Nab. 5.
7.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841178-p0002-0

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS QVARTVS

DENVO EDIDIT
VARIISQVE OBSERVATIONIBVS
ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

TVBINGAE
SVMTIBVS JO. GEORGII COTTAE.
MDCCLXXVI.



PRÆFATIO
EDITORIS.

Eo jamjam perductum vides, Benevole Lector, opus *Gerhardianum*, ut *tomum* ejus *decimum quartum*, prelo tandem liberatum, in manus accipere queas. Occupatur hicce tomus in exponendo loco *de magistratu politico*, qui nobilem omnino materiam, rerumque scitu utilissimarum insignem jucundamque varietatem suppeditat. Et sole de quidem, ut solet, atque egregie in ejus explicatione versatus est b. Gerhardvs; interim nec nostram qualemcunque operam auctori, ubi opus esset, castigando, emendando, illustrando defuisse, testantur observationes varii generis, eæque ex parte largiores, subinde a nobis adspersæ, v. g. de *vocatione ministrorum*, de Nicolao Machiavello, *politico illo Florentino famosissimo*, de *fide* Hvsso *denegata*, de *vi atque auctoritate hodierna legum politiæ Mosaicæ judicialium*, de *usuris*, de *pœnis*

nis capitalibus, de *suppliciis hæreticorum*, de *legione Thebæa*, & quæ sunt plura ejusmodi, quibus heic recensendis non immorabimur. Subjunximus etiam *supplementum de jure sacrorum ad principes pertinente*, tribus distinctum observationibus, quod quidem argumentum peculiari opera nostra eo magis dignum judicavimus, quo curatius recentiori maxime ætate a Viris eruditis, theologis æque ac jureconsultis pertractatum, diversisque præcipiendi formis adornatum est. Nec diffitemur, plura adhuc superesse, quæ hoc loco singularem expositionem suo quodam jure desiderare viderentur, veluti *lites Febronianæ*, *Romani antistitis potestatem concernentes*, *impugnatio notissimæ illius Bullæ in Cœna Domini*; *controversiæ de juribus episcopalibus*, *de immunitate vel exemtione clericorum*, *de dissentientium in religione tolerantia*. Sed hæc & alia, ut voluimus, prosequi, ob nundinas Lipsienses, proxime instantes non licuit, cum non modo temporis angustia premeremur, sed laborum quoque concatenatorum vicissitudinibus in alia distraheremur. At vero differre tantum res istas, non prorsus seponere animus est. Cum enim spes haud dubia nobis sit, fore ut opus *Gerhardianum*, cujus successum omni, quantum in nobis est, studio promovemus, brevi temporis spatio ad finem optatum perducatur; nos quidem subsecutura interim otia nostra in observationibus illis perficiendis ita collocabimus, ut absoluto opere, peculiari *supplementorum* tomo adjungi possint. Ceterum conatus nostros qualescunque in favorem *Tuum*, B. L. de meliore nota commendamus, studiaque nostra integerrima ex animo *Tibi* addicimus.

Scriptum in alma universitate Tubingensi
d. XXVII. Martii, a. p. r. s.
MDCCLXXVI.



LOCI XXV.
DE
MAGISTRATV POLITICO
PARS II.
SECTIO I.
DE OFFICIIS MAGISTRATVS ERGA DEVM.

§. CXLII.

Quomodo magistratus erga Deum se gerere debeat?

Ea quæ a magistratu debentur Deo, unico εὐσεβείας ac *pietatis* nomine complecti possumus. Ante omnia igitur requiritur, ut magistratus sit pius ac religiosus, timens Deum non hypocritice & ad externam duntaxat speciem, sed sincere & ex corde. Machiavellus (*) quidem in lib. de princ. c. 18. præter cætera venenata dogmata etiam hoc instillat principum animis, *non requiri in principe veram pietatem, sed sufficere illius quamdam umbram & simulationem externam.* At contrarium probant: 1.) *Dei præcipientis majestas.* Deus ab omnibus omnino hominibus requirit pietatem, & sanctum sui timorem, ergo etiam a principibus, quippe qui hic nulla exceptionis lege gaudent, quo minus Dei, utpote superioris legi reverenter se subjiciant, quinimo in specie a magistratu, tam superiore quam inferioribus Deus exigit, ut sint pii, timentes Deum, & mandata ejus custodientes. Deut. XVII. 18. Jos. I. 8. Exod. XVIII. 21. 2. Par. XIX. 7. Psal. II. 10. &c. 2.) *Magistratus dignitas.* Sunt *dii*, ergo Deum exprimere debent pietate. *Optime deorum exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales deos sibi velit*, inquit Seneca lib. I. de clement. c. 2. in quo dicto ethnici præter deorum pluralitatem nihil est Ethnicum. *Decorum est, ut probitate emineat, qui dignitate. Decet id, quod optimum est, ab optimo coli & quod imperat ab imperante*; inquit Diogenes apud Stobæum. *Non videtur dignus regis nomine, qui secundum mandata Dei se & sibi subditos contemnit regere*: Angelomus lib. IV. reg. c. 14. & ex eo Petrus Gregorius lib. XXI. syntax. art. mirab. c. 6. *Quo quis in republica majorem dignitatis gradum adeptus est, eo Deum colat submissius*, inquit Agapetus præc. 1. 3.) *Summa pietatis utilitas* quam & magistratui & subditis

(*) De famosissimo hocce politico infra ad §. CLVIII. nonnulla dicemus.

ditis adfert. Pietas est ἀρχὴ τῶν ἀρετῶν Philo lib. de decal. p. 478. imo virtutum omnium anima, absque qua reliquæ virtutes sunt inanime quoddam cadaver. *Solent pietatem comitari virtutes reliquæ, a qua non magis divelli possunt, quam umbra a corpore, quod in sole versatur*, ait idem Philo lib. de carit. Virtutibus ergo veris ac Deo gratis studere quisquis cupit, a pietate & timore Domini initium faciat necesse est. Optimum etiam ac tutissimum principis munimentum est pietas. *Nemo facile insidiis petet illum, quem ob pietatem Deo curæ esse, persuasum habuerit*, inquit Cyrus apud Xenophontem lib. VIII. pæd. (*) *Super omnia præclara, quæ regnum habet, pietatis cultusque divini corona regem exornat*, inquit Agapætus in exposit. parænet. tom. I. orthodox. p. 185. & addit evidentem rationem: *Divitiæ evanescunt, vulgi favor ut aura evanescit, sola vitæ Deo placentis gloria immortalibus seculis coextenditur, & trans oblivionis tenebras collocat possidentes.* Nec minores in rempublicam a pietate principis redundant utilitates. Est enim principis vita *speculum*, in quo se contemplantur subditi, est *exemplar*, ad quod vitam conformant, *norma* est, secundum quam mores dirigunt, ut non *tam imperio ipsis sit opus quam exemplo.* Plinius in panegyr. Trajani. Eccles. X. 2. *Qualis est rector civitatis, tales etiam habitantes in ea.* Plurimum igitur magistratus pietas valet ad inserendam subditorum animis pietatem, ex pietate vero civium in republica omnis prosperitas & felicitas oritur, cum pietas *& hujus & futuræ vitæ* promissionem habeat: 1. Tim. IV. 8. *Felix respublica*, inquit Cominæus part. II. c. 49. *in qua qui imperat princeps, Deum timet.* 4.) *Impietatis pernicies.* Cum pietas & Dei timor sit quoddam quasi frenum ac repagulum, quo in officio continetur magistratus, præsertim summus; fieri inde nequit, quin remota ex magistratuum animis pietate, abusus potestatis turpissimus consequatur. Ac velut venenum fonti infusum omnes inficit rivulos, sic a principe ad omnes subditos impietas sese diffundit, ex quo tandem eversionem reipublicæ consequi, necesse est. Persarum regnum, quamvis ditissimum, impietas perdidit, subditos eorum omnes corrupit, ac Persas omnibus mortalibus exosos reddidit. Xenophon lib. VIII. Cyrop.

Pietatis in magistratu nutricula.

§. CXLIII. Εὐσεβείας hujus in magistratu requisitæ nutricula est *verbi divini studium ac sedula meditatio.* Cum enim nemo Deum recte colere possit, nisi ipsum recte agnoscat, cumque salutaris illa Dei cognitio post lapsum non innascatur hominum mentibus, sed ex verbo unice sit petenda; ideo ad pietatem & cultum Dei primo omnium requiritur, ut ex verbi divini auditu, lectione ac meditatione magistratus Deum recte agnoscere, timere ac colere discat, quo spectat expressum mandatum divinum: Deut. XVII. 18. *Postquam rex sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a sacerdotibus levitici tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.* Ad Josuam dicit Dominus: Jos. I. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, quia tunc prosperam faciet viam tuam & prudenter ages*; ex quo loco David, propheta regius, beatum illum pronunciat, qui *in lege Domini meditatur die ac nocte* Psalm. I. 2. Jojadas, summus sacerdos, regi Joas in solenni inauguratione tradit *testimonium* sive librum legis, 2. Reg. XI. 12. 2. Paral. XXIII. 11. ut admoneatur, diligenter sibi illum esse evolvendum. Josias, reperto libro legis

(*) Nicephorus lib. XVIII. c. 8. *Demophilus Plutarchum Chæroneum dixisse refert, propter solam urbem Romam virtutem & fortunam inter se fœdus pepigisse, ego autem dixerim, veram etiam in Deum pietatem & felicitatem in solo Mauritio conjunctione ita convenisse, quod pietas scilicet felicitatem in suam potestatem redegerit, eamdemque everture & labi prorsus non permiserit.* GERHARDVS.

legis in templo Domini, curat eum *publice prælegi*, & auditis verbis voluminis illius, *humiliat se coram Domino.* 2. Reg. XXII. 11. & 19. Alphonsus, Arragoniæ & Siciliæ rex, hoc nomine commendatur, quod sacra biblia cum glossis a capite ad calcem *decies quater* perlegerit. Nec illam duntaxat utilitatem scripturæ lectio principi præstat, quod veram & salutarem Dei agnitionem ex ea discere potest; sed etiam de imperio recte gerendo salutaria præcepta & exempla ex eadem peti possunt, unde propheta regius Psalm. CXIX. 24. dicit: *Testimonia tua sunt gaudium meum, & consiliarii mei sunt justificationes tuæ.* Cum omnia abunde suppetant principibus, sæpe tamen indigent illis, a quibus veritatem & sana consilia audiant, ac consiliarii quandoque metu se impediri patiuntur, quo minus libere suam proferant sententiam; sed scripturæ sacræ libri, nullo personarum respectu habito, tam magistratus quam privatorum peccata arguunt, & salutaria consilia principibus suppeditant.

Ejusdem requisita.

§. CXLIV. *Requisita & partes* illius, quam magistratus Deo debet, pietatis sunt: 1.) *Precum adsiduitas.* Cum enim ars imperandi sit omnium maxima & difficilima, ad quam divina quædam prudentia requiritur: cum magistratus multorum odiis & insidiis sit expositus: cum in proclivi sit, a justitiæ tramite aberrare, & in fastigio dignitatis positum, super alios efferri, ac potestate sua abuti; ideo magistratui preces necessariæ sunt vel maxime, quibus & prudentiam & alia ad ἐυαρεστειαν necessaria dona a Deo impetret, atque adversus diaboli suggestiones & hostium molitiones sese muniat, qua in parte rex David suo omnibus principibus prælucet exemplo, cujus adsidua fuit occupatio *Dei laudatio & ardens precatio.* Salomonis preces describuntur 1. Reg. III. 6. & seqq. *Tu Domine Deus meus regnare fecisti servum tuum, &c. dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum.* Sap. IX. per tot. *Deus patrum meorum & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, &c. da mihi sedium tuarum adsistricem sapientiam, & noli me reprobare a servis tuis &c.* De Carolo V. Zenocarus in ipsius vita refert, quod in precibus ad Deum fundendis fuerit adsiduus, unde ipsius aulici de eo dixerunt, quod *sæpius cum Deo, quam cum hominibus loqueretur.* 2.) *Subjectionis erga Deum humilitas.* Agnoscat magistratus, etiamsi in terris summus sit, esse in cœlis regem superiorem, qui est *rex regum, & Dominus dominantium:* 1. Tim. VI. 15. Apoc. XVII. 14. agnoscat, ab illo se suam obtinere potestatem, ac de usu vel abusu potestatis rationem aliquando reddendam esse: Psal. II. 10. *Reges, intelligite, erudimini, qui judicatis terram* v. 11. *Servite Domino cum timore, & exsultate ei cum tremore.* Sap. VI. 2. *Audite, reges, & intelligite & discite, judices finium terræ.* v. 4. *Quia data vobis potestas a Domino, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur.* Augustinus lib. V. de civ. D. c. 24. *Felices reges fore*, ait, *si honoribus & obsequiis non extollantur, si, se esse homines, meminerint, si ad Dei majestatem & laudem agant, si eum colant.* Sui ipsius præceptor princeps singulis momentis hæc secum loqui debet: *Hodie diis immortalibus, si a me rationem repetant, adnumerare genus humanum paratus sum*; ait Seneca libr. I. de clem. cap. 1. *Audit princeps, omnis potestas a Deo est, protinus surgunt cristæ. Cur magis tumidum te reddit scriptura, quam solicitum? Cogitas, quod Deus tradidit tibi gerendum imperium, & non cogitas, quod gesti imperii idem exigit rationem.* Erasmus in milit. christ. p. 162. Princeps, ut hominibus se imperare norit, ita se Deo inferiorem & se ipsum quoque hominem esse, cogitet, itaque *voces & laudes, quæ soli numini debentur, tanquam putidissimas adsentationes oderit*; Plinius in paneg. Trajan. *Diis te minorem quod geris, imperas. Huc exitum omnem huc & principium refer*; canit Horatius lib. III. od. 4. Josephus prorex Ægypti constitu-

ſtitutus erat, idem tamen reverenter ſe Deo ſubjicit, quando fratribus ſuis deprecantibus amantiſſime reſpondet, *nolite timere, quia ſub Deo ſum ego*: Gen. L. 19. David coronam ſuam regiam Deo ſubjicit dicens Pſal. CXVI. 16. *O Domine ego ſervus tuus, ego ſervus tuus & filius ancillæ tuæ.* Philippus, Macedonum rex, per puerum ſibi ſingulis diebus adelamari curabat: Φίλιππε, μέμνησο, ἄνθρωπον σε εἶναι. Contra Herodes, dum patitur ſibi divinos honores tribui, ſibique adelamari: *Vox Dei & non hominis!* ab angelo percuſſus, miſere exſpirat Act. XII. 23. Perſeus, ut eſt in poëtarum fabulis, habuit gorgonem vel clypeum, quo alios in ſaxa convertit, prohibitum autem fuit ſibi ipſi, *ne adſpiceret ſuum clypeum*, ſed illud negligens & gorgonem introſpiciens, converſus eſt in ſaxum, id eſt, princeps non debet admirari ſuam potentiam, ne incidat in faſtum & ex faſtu in exitium. 3.) *Vitæ integritas.* Cum vita principis velut ſpeculum quoddam omnibus ſubditis ſit propoſitum, ideo vitam ſuam omnem ad legis divinæ normam ac Dei voluntatem conformare ſummopere ſtudeat. *Nullum eſt præſtabilius & pulcrius Dei munus erga mortales, quam caſtus, & ſanctus, & Deo ſimilimus princeps*; ait Plinius in paneg. Trajan. Noverit princeps, ſe ut Deo, ita quoque divinis legibus eſſe ſubjectum; ſummopere igitur ſtudeat juxta divinorum mandatorum regulam vitam conformare omnem, & in omnibus Deo ſeſe obſequentem præſtare. Alphonſus ſemper in ore habebat, *tanto privatis hominibus reges meliores eſſe debere, quanto honoribus & dignitate antecellerent.* Panormitanus lib. VI. de rebus geſtis Alphonſ. Contraria pietati ſunt *ſuperſtitio* in exceſſu, & *impietas* in defectu peccans, a quibus tanquam ſcopulis ſibi cavere debet princeps, ne exitio immergatur.

SECTIO II.

DE OFFICIIS MAGISTRATVS ERGA SE IPSVM.

Quomodo magiſtratus ſe debeat gerere erga ſeipſum? Continentiæ requiſita. 1.) Sobrietas ac temperantia.

§. CXLV. Ea, quæ magiſtratus debet ſibi ipſi, *continentiæ* nomine complectimur omnia, ut ſcilicet, quo plus licet magiſtratui, eo minus ipſi libeat. Auguſtinus libr. V. de civit. Dei cap. 24. *felices reges* fore ait, *ſi ſint luxuria tanto caſtigatiores, quanto poſſunt eſſe liberiores, ac ſi imperent ſuis cupiditatibus.* Pertinent autem ad continentiam: 1.) *Sobrietas ac temperantia*, quæ in cibo ac potu debitum obſervat modum. Ea vero magiſtratui curæ debet eſſe vel maxime, 1.) ad gerendum magiſtratum requiritur prudentia, ea vero in temulentia & luxuria non poteſt habere locum. *Fundamentum ſapientiæ temperantiam eſſe*, dicebat Xenophanes. *In ſicco habitare ſapientiam*, dicebat Socrates, *non in humido.* Σωφροσύνη Græcis dicta eſt quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν. Contra vero ἀσωτία ſobrietati oppoſita prudentiam ſuffocat omnem. Prov. XX. 1. *Luxurioſa res eſt vinum, tumultuoſa ebrietas, quicunque his delectatur, ſapiens non erit.* 2.) Temulentia eſt vitium ſervile, ideoque magiſtratus dignitate & autoritate plane indignum. *Qui luxui & ſaginæ mancipati ſunt, ut ignava animalia, ſi cibum ſuggeras, jacent, torpentque, & præterita, inſtantia, futura pari oblivione dimittunt.* Tacitus lib. II. hiſt. 3.) Ebrietas a cura reipublicæ animos magiſtratus abſtrahit, & ad corporis cuticulam unice curandam revocat. Eccl. X. 16. *Væ tibi terra, cujus rex puer eſt, & cujus principes mane comedunt.* v. 17. *Beata terra, cujus rex nobilis eſt, & cujus principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum & non ad luxuriem.* Epaminondas cum feſto quodam die reliqui cives compotationi operam darent, ſolus circumiens muros luſtrabat, *ſobrium eſſe & vigilare ſe* dicens, *ut aliis ebriis eſſe & dormire liceret*; Plutarchus ad princ. ind. 4.) Sobrietas eſt

frenum

frenum poteſtatis, quo per vinolentiam ſublato, injuſtitia & abuſus peſſimi ſolent conſequi. Alexander vino æſtuans Clitum familiarem ſuum interfici curavit, ſed poſtea tanta ductus eſt pœnitudine, ut ſibi ipſi manus inferre voluerit. Socrates ad Demonicum ſcribit, *menti vino obrutæ idem accidere, quod curribus auriga excuſſo*, cum quo conſentit illud Senecæ epiſt. LXXXIII. *Non eſt animus in ſua poteſtate ebrietate devinctus.* 5.) Temperantia eſt caſtitatis nutricula & munimentum; contra vero *venter mero æſtuans cito deſpumat in libidinem* cap. *Venter* &c. diſt. 35. & *proximus a Libero patre ad inconceſſam Venerem eſt intemperantiæ gradus.* Valerius Maxim. lib. II. memorab. *Monſtrum haberetur libido ſine gula, cum hæc duo tam unita atque concreta ſint, ut ſi disjungi omnino potuiſſent, ipſi prius ventri pudenda non adhærerent.* Tertullianus adv. Pſychicos. *Venter & genitalia ſibimet ipſis vicina ſunt, ut ex vicinitate membrorum conſideratio intelligatur vitiorum; hinc Nabuzardan princeps cocorum muros Jeruſalem deſtruxiſſe legitur, quia venter, cui multitudo cocorum deſervit, ædificia virtutum ad ſolum redigit;* in principio diſt. 44. ex Hieronymo. Comites Bacchi a poëtis finguntur ſatyri, quia ebrietatem comitatur libido: ſatyri enim perhibentur adeo ſalaces, ut pruritus libidinis dicatur ſatyriſmus, Sab. in met. Jam vero nullum tetrius vitium in magiſtratu, quam libido. 6.) Ebrietas omnes animi ſinus aperit & operta recludit. Jam vero arcana reipublicæ eliminari, cum maximo ejusdem incommodo eſt conjunctum. Seneca epiſtol. LXXXIV. Vt muſto dolia rumpuntur, & omne quod in imo jacet, vis caloris ejicit: ita ebrii omne, quod in ſecreto pectoris concluſum habent, vini calore ejiciunt. 7.) Ex ebrietate oriuntur rixæ, cædes & mala longe plurima. Ægyptiorum animis perſuaſum fuit, vitem ex ſuſo in terram gigantum ſanguine pullulaſſe, unde & *amentiam & furorem vino ineſſe.* Pierius lib. LIII. hierogl. Cyrus Aſtyagi ſciſcitanti, cur vinum, quod ei in patera offerri juſſiſſet, bibere recuſaſſet, reſpondit, *quia venenum eſſe credidi, cum nuper in convivio vidiſſem, neminem ex amicis, qui id bibiſſet, non ita debilitatum corpore, ut ambulare non poſſet, itaque animo ægrum, ut nihil ſaperet aut intelligeret, ſed in furorem potius verteretur.*

O fœda ebrietas (canit Palingenius) *animi lethum, o vitiorum*
Nutrix ac ſcelerum, quid non mortalia cogis
Pectora? quid per te non audent? jurgia, lites,
Prælia dira moves, & gaudes ſanguine fuſo.

Tygres, lynces & pantheræ finguntur a poëtis Bacchum comitari, vel quod ſint vini adpetentes, vel potius quod ſint feræ ſupra modum immanes, *ebrietatis enim comes eſt feritas & immanitas.* Sabin. in metam. ideo Solon conſtituit, *principem, ſi ebrius deprehenſus eſſet, morte mulctandum*, referente Laertio lib. I. fol. 10.

§. CXLVI. II.) *Caſtitas*, quæ 2.) *Caſtitas.* quo rarius in delitiis & abundantia reperitur, eo magis commendata eſſe debet magiſtratui. 1.) Caſtitas eſt virtutum reliquarum peculiare ornamentum, absque qua virtutes reliquæ ſunt inſtar trunci a capite revulſi.

Vt cum de ſtatua facies formoſa revulſa eſt.
Non decus in reliquo corpore truncus habet.
Sic reliqui mores ſpreti ſine honore jacebunt,
Ni ſint ornati laude pudicitiæ.

Phil. Melanchthon lib. III. epigr. ex Bacchylide. *Caſtimoniam corporis & ſanctimoniam animi duas eſſe virtutis & felicitatis claves*, ſcribit Beroſus Chald. lib. III. 2.) Libido omnes & corporis & animi vires enervat, nec prudentia in mente locum habere poteſt, quam libido occupavit, unde Sodomitæ libidinis æſtro perciti dicuntur percuſſi *cæcitatibus*, Gen. XIX. 11. ubi *pluralis* numerus, interprete Aben Ezra, notat non *oculorum* ſolum, ſed etiam *mentis* tenebras ac cœcitatem. 3.) Nihil turpius in principe quam vagæ libidines, per quas generoſus animus brutarum voluptatum mancipium redditur, & ingenuis imperare debens turpiſſimis ſervit ſcortis, ſicut de

Sardanapalo dicitur, quod pellicum gregi se immiscuerit. 4.) Vagæ libidines principem reddunt contemtum & exosum subditis. *Quemadmodum apes oderunt homines a coitu olidos: sic subditi principem libidinosum exsecrantur*: Pierius lib. XXVI. hierogl. 5.) Eædem secum trahunt reipublicæ perniciem atque interitum: tum, quia subditi magistratus exemplum cupide sequuntur, sibique licere putant, quod illi licet; tum, quia in aliis plectere non audet magistratus, quod ipse committit, ex quo nihil aliud quam scelerum colluvies, & consequenter reipublicæ pernicies exspectanda. Raptus Helenæ Trojæ regnum perdidit. Refert Plutarchus, Leuctris in pago Borotiæ Scedasum quemdam duas habuisse filias forma & virtute præstantes, qui cum duos Lacedæmonios hospitio excepisset, illi forma filiarum capti, post paucos dies redeunt, & patre absente per vim stupratas filias interficiunt, inque proximum puteum abjiciunt. Redit pater &, canicula monstrante, cadavera invenit. Spartam igitur proficiscitur, ut supplicium de sceleratis hospitibus sumi petat, sed derisus ab ephoris, utpote crimini huic vel obnoxiis vel patrocinantibus, civitate egreditur, & dira illi imprecatur. Brevi post Lacedæmonii exercitum in illum locum ducunt, ubi virgines sepultæ erant, ibi tanta Lacedæmoniorum multitudo interfecta est, ut imperium Sparta amiserit. Caveat igitur princeps non ipsum solum libidinis peccatum, sed omnes etiam peccati illius occasiones & illecebras. Caveat adspectus libidinosos exemplo Jobi, quem regem Jobabum (*) fuisse quidam putant, cap. XXXI. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne quidem cogitarem de virgine.* Cyrus a conspectu Pantheæ, Alexander ab intuitu Darii conjugis & filiarum abstinuerunt, timentes illud adspicere, quod non licet concupiscere. Caveat otium, lectionem librorum amatoriorum, sermones amatorios, & quæcunque libidini fomitem & incitamenta præstant. Contra vero lectione scripturarum sacrarum delectetur, si enim *scripturas quis amat, carnis vitia nunquam amabit;* ineat conjugium, quod post lapsum non solum valet *ad officium*, sed etiam *ad remedium* contra libidinis morbum, ut ex Augustino loquitur Bonaventura in breviloq. tract. VI. c. 13.

§. CXLVII. III.) *In corporis cultu moderatio.* Continentia enim non solum in cibo, potu & ἀφροδισίοις modum statuit, sed etiam in corporis cultu & vestitu. Sane non improbandum, si princeps pretiosioribus ac augustioribus vestibus amiciatur: nam de Salomone commemorat Christus Matth. VI. 29. quod *coopertus fuerit ἐν δόξῃ glorioſe* & magnifice, & ad majestatem apud subditos conciliandam vestitus etiam aliquid potest; interim tamen etiam hac in parte debita adhibenda est moderatio, & in ipso vestitus splendore exteriore vigere debet humilitas & animi moderatio interior. *Tu Domine scis necessitatem meam*, orat Esther XIV. 16. *quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei.* Herodes in veste regia insolentiorem se se gerens ac divinos honores admittens, misere perit, Act. XII. 23. ac Spiritus sancti judicium de pompa regali Agrippæ ac Bernices hoc est, quod fuerit πολ-

3.) *Moderatio in corporis cultu.*

(*) *Jobum* fuisse *Jobabum*, Idumæorum regem, ipse statuit Gerhardus noster in *exegesi articuli de scriptura sacra §. CXXXIV.* quæ in editione nostra *tomum II. locorum* ejus *theolog.* conficit, *p. 106 seqq.* ubi hancce sententiam variis argumentis confirmare adnititur. Observavimus vero in *adnotat.* ad *h. l. p. 107.* hancce sententiam a scriptoribus quibusdam recentioribus haud levibus impugnatam fuisse rationibus. Repugnant enim eidem *partim* temporis rationes, siquidem mors Jobabi ad minimum toto seculo Mosis legationem antecessit, *partim* vero diversitas locorum, ubi Jobabus & Jobus habitasse dicuntur. Sedes quippe Jobi, ut omnibus constat, fuit Utz, cum contra Jobabi sedes fuerit Bazra, in confiniis Idumææ & Moabitidis, *Genes. XXXVI. 32. 33.* Accedit, quod Jobabus *loc. cit.* ut rex Edomiticæ regionis describatur, cum contra ex tota historia Jobi nulla probabili ratione colligi queat, eundem regem fuisse. Plura qui hanc in rem legere voluerit, adeat Georgii Serpilii *personalia*, ut vocat *Jobi*, ac Frid. Spanhemii *historiam Jobi.*

πολλὴ φαντασία Act. XXV. 23. *Turpe est sapienti, cum animam habeat, laudes ex corpore captare*, ait Julianus imperator apud Marcellinum lib. XXV. Proinde quod Tertullianus de cultu fœmin. ad mulieres dicit, illud ad principes etiam adcommodari potest: *Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ, taliter ornatæ etiam Deum habebitis amatorem.* Aristoteles Alexandrum discipulum suum docuit, *multo pulchrius magisque regium esse, animum habere cultum & compositum, quam elegantiorem corporis vestem*, cui consilio Alexandrum obtemperasse, refert Ælianus lib. VIII. var. hist. cum quo convenit illud Alphonsi, qui, cum vestitu non multum differeparet a popularibus suis, admonitus, ut regio ornatu incederet, respondit, *se malle moribus & autoritate suos excellere, quam diademate & purpura*; Panormitanus lib. I. de reb. gest. Alph.

4.) *Robur animi & magnanimitas.*

§. CXLVIII. IV.) *Robur animi & magnanimitas.* Continentia enim etiam adfectibus frenum injicit, ne vel in prosperis princeps animo nimis efferatur, vel in adversis penitus dejiciatur. Magnam fortunam, magnumque dignitatis fastigium decet animus magnus. Absque illo animi robore princeps, utpote perpetuis negotiorum ac periculorum ventis obnoxius, nunquam erit pacatus & tranquillus, sed in pectore magnanimo animus bene compositus est *mediis tranquillus in undis. Hic ordo*, inquit Cicero act. V. in Verrem de magistratu, *quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiæ circumflari posse videatur*; requiritur igitur animi robur contumelias, detractiones, invidiam & adversa quævis parvi æstimans. Lutherus in Genes. XLVII. f. 627. *Magistratus sint fortes & animosi, nec frangantur periculis & procellis, quibus concutiuntur imperia, ut vere hoc sint, quod dicuntur, strenui, generosi, magnifici, illustres, dass sie recht vest und Ehrnvest seyn.* *Regium est bene facere & male audire*, dicebat Alexander. *Si magnanimus fueris*, inquit Seneca, *nunquam judicabis, tibi contumeliam fieri. De inimico dices, non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, & cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare potuisse.* Generosus equus non curat minorum canum latratus ac morsus; animus magnus injurias atque offensiones leviores ex alto despicit. Plutarchus in lib. de ira cohibenda de Philippo Macedonum rege commemorat, amicos autores ipsi exstitisse, *ut Arcadionem, a quo maledicta & convitia audierat, puniret*, Philippum vero illis obsequi noluisse, sed cum homini occurrisset, benigne potius cum ipso esse locutum, quin & dona ac xenia misisse. Postea quæsivit ex amicis, *quomodo Arcadion de se loqueretur*, cum vero omnes testarentur, cum jam mirum Philippi laudatorem factum, subjecit rex: *Ego igitur melior medicus sum, quam vos.* Ad hoc animi robur non mediocre adjumentum ac velut momentum confert pietas & vitæ honeste ac laudabiliter actæ conscientia; qui enim pietati studet, Deo sese curæ esse novit, qui vero Dei protectione nititur, cum Davide rege dicit Psalm. XXVII. 1. *Dominus illuminatio & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Psalm. LVI. 5. *In Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi caro?*

\- - - - - *Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Optima principum custodia *ipsorum* virtus ac *innocentia*, & *subditorum benevolentia.* Cyrus apud Xenophontem lib. VII. pæd. unde Alphonsus cum ab aliquibus argueretur, quod solus incederet, ipsique suaderetur, ut more aliorum principum etiam ipse armatorum manu stipatus, graderetur, respondit, *se minime solum, sed innocentia adsociatum incedere.* Panormitanus libr. II. de reb. gest. Alph.

SECTIO

SECTIO III.

DE OFFICIIS MAGISTRATVS ERGA DOMESTICOS.

Quomodo erga domesticos se gerere debeat magistratus.

Erga parentes.

§. CXLIX. Domesticorum ac *familiarium* nomine intelligimus illos, cum quibus princeps quotidie versatur, quos quidam distinguunt in personas *necessarias* & *officiarias*. Necessariæ sunt *parentes*, *conjunx*, *liberi*, *fratres*, *sorores*, *cognati*. Officiariæ sunt *consiliarii* & *ministri aulici*. Parentes, si adhuc in vivis sunt, princeps honoret, memor quarti præcepti, a quo nullius privilegii tenore vel favore excluſus est, cum *Dei & naturæ* legibus princeps sit subjectus, ut Bartolus recte scripsit. Josephus prorex Ægypti constitutus, cum patrem suum Jacobum ad se in Ægyptum invitaret, non est usus verbis mandati. In vulgata quidem versione habetur Gen. XLV. 9. *hæc mandat filius tuus*, sed textus hebræus simpliciter habet: *Hæc dicit filius tuus.* Idem, cum patrem suum adventare intelligeret, in signum honoris & reverentiæ *junctis curru suo adscendit illi obviam*: Gen. XLVI. 29. Salomon rex sapiens matrem Bethsabeam ad se venientem videns *surrexit in occursum ejus*, *adoravitque eam, & positus est thronus matri regis, quæ sedit ad dextram ejus.* 1. Reg. II. 19. Cogitet princeps illud Hieroclis, τὰς δευτέρας καὶ ἐπιγείους τιμὰς θεὸς γονέας εἶναι, vel ut Philo loquitur lib. de special. legib. p. 490. *effigies & simulachra divini numinis*; nequaquam igitur a majestate sua alienum existimet, honorem debitum illis exhibere. *Quamvis nunquam parentibus τὰ ἴσα referre possimus*; inquit Franc. Philelphus in lib. IV. de educat. liberor. c. 3. (*Quidquid enim est, quod dat patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam facultatem dandi pater dedit*; Seneca lib. III. de benefic. c. 30.) *tamen quantum possumus, efficiamus, officiose eos tractemus, adsidue comitemur, hortantibus faveamus, mandantibus pareamus, voluntates ac deliberationes eorum tanquam divina verba & jussa prebemus & suscipiamus.* Quidquid parentibus exhibet princeps, idem aliquando a filiis suis exspectabit. Quæritur apud Gellium lib. II. noct. Atticar. cap. 2. *an filius in magistratu constitutus patri privato se anteferre vel ab aliis anteferri debeat*, in cujus quæstionis tractatione pleriique distinctionem adhibent. In publicis actionibus, muneribus & locis jura patrum cum filiorum in magistratu constitutorum potestatibus collata, paululum interquiescunt lib. 9. ff. de his, qui sunt sui vel alieni. *Publica instituta paterna pietate potiora sunt*, ait Valerius lib. II. cap. 1. unde in illis, quæ foris ac palam fiunt, majorem esse autoritatem filii magistratus, quam patris privati ex Baldo probat Tiraq. de nobilit. c. 28. Sed cum extra rempublicam agitur, publici honores cessant, naturales & genuini vicissim oriuntur, nam in actibus privatis, ut in familia, solum ordo naturæ inspiciendus, sed lege naturæ parentes sunt honorandi. c. Est ordo 33. q. 5.

Erga conjugem.

§. CL. In *conjuge* diligenda solicitus sit princeps, ne adsciscat sibi talem, quæ hæreticis opinionibus sit pertinaciter dedita; testatur enim historia ecclesiastica, ex gynæceo virus hæreticum in totam provinciam sæpius fuisse sparsum. De *Salomone*, rege omnium sapientissimo, memoratur, *quod mulieres alienigenæ*, idololatricis cultibus addictæ, *averterint cor ipsius, idque inclinarint, ut sequeretur deos alienos.* 1. Reg. XI. 3. Frustra igitur sperat princeps, se blanditiis & illecebris muliebribus non posse a veritate averti, neque enim Salomone est sapientior. *Achab* impulsu Jesabelis uxoris, quæ fuit filia Ethbaal regis Sidoniorum, *servivit Baal & adoravit eum.* 1. Reg. XVI. 31. *Herodes* suasu conjugis Herodiadis Johannem baptistam, aulicum suum concionatorem, interficit. Matth. XIV. 10. *Eudoxia* Augusta, Honorii uxor, effecit, ut Chrysostomus in exsilium pelleretur,

in

in quo in Armenia inter barbaros mortuus est. Tripartita hist. lib. XX. c. 13. Conjugem ergo piam, veræ religioni addictam, bene moratam & heroicis virtutibus præstantem princeps eligat, selectam unice amet, honeste tractet, nec permittat eam nimis esse sumtuosam; neque ad consilia reipublicæ secretiora, vel partem regiminis eam admittat. Justinianus quidem in constitutione gravissima conjugem suam Theodoram *participem consilii* adsumsit nov. 8. ac Tacitus lib. de morib. German. refert, *Germanos mulierum consilia non fuisse aspernatos*, testatur quoque exemplum conjugis Pilati, Matth. XXVII. 19. salutare quandoque consilium a fœmineo sexu proficisci posse; sed hæc sunt exempla singularia, ex quibus probari nequit, ordinarie & semper in difficilioribus reipublicæ negotiis fœminarum consilia esse expetenda, vel audienda.

Erga liberos. §. CLI. *Sobolis*, præsertim masculæ, recte instituendæ & informandæ curam maximam princeps gerat. ἄρσενες γὰρ τύλοι ὄικων, & qualis est junioris principis in imperio quondam successuri institutio, talis etiam aliquando erit imperii administratio. Rex David filium suum Salomonem, qui imperio destinatus erat, *misit in manu Nathan prophetæ*, 2. Sam. XII. 25. hoc est, curavit eum in vera religione a Nathane, concionatore aulico, diligenter institui, & ad omnem pietatem ac virtutem formari. Qui magna præstare cupit, statim a teneris annis virtuti rectæque educationi adsuescat. Comminæus c. 18. in fine: *Qui in spem imperii educantur, solicita omnino cura a primis statim annis sic sunt instituendi, ut non solum sibi ipsis, sed & aliis, quibus præsunt, sapientia & exemplo olim præsint.* Patritius lib. II. de regis instit. tit. 8. *Nihil enim difficilius, quam imperare*, ut Diocletianus apud Vopiscum agnoscit. Præficiat igitur princeps filiis idoneos morum ac studiorum gubernatores, curet in illis potissimum artibus eos exerceri atque instrui, quæ tradunt rationem recte administrandi regnum. Erasmus lib. I. apophtegm. in Agasicle. Reges Persici in schola magorum instituebantur, ita ut nulli ad imperii gubernacula pateret aditus, qui non fuisset prius in ipsorum schola institutus. Cicero lib. I. de div. ab illorum uno formabatur ad prudentiam, ab altero ad temperantiam, a tertio ad justitiam, a quarto ad fortitudinem. At quantum hodie in principum juniorum educatione peccatur? quid ergo mirum, tam infelices postmodum sequi gubernationes?

Erga agnatos. Erga consiliarios & ministros aulicos. §. CLII. *Fratres, sorores & agnatos* princeps amet, & concordiam cum illis alat, fratribus de honesta & genere suo digna sustentatione prospiciat, sorores honorifice elocari curet. *Consiliarios & ministros aulicos* princeps tales eligat, quales describuntur Psal. CI. 6. *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* v. 7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit dolum; qui loquitur mendacia, non permanebit in conspectu oculorum meorum.* Eligat eos, qui sunt veræ religioni addicti, qui enim hæreticis opinionibus sunt imbuti, pertentant principum animos, iisque virus suum occulte instillare conantur. Eligat tales, qui prudentia, eruditione, rerum usu, virtutibus & auctoritate excellunt, quia consiliariorum qualitates magnum principi honorem & reipublicæ emolumentum præstare possunt, si sint ad normam præscriptam compositæ, neque quidquam majus decus principi conciliat, quam aula bene composita. *Consiliarius optimus est res etiam regibus ipsis præstantissima ac utilissima*, inquit Isocrates ad Nicoclem. *Vbi non est consilium, populus corruet: salus autem, ubi multi sunt consiliarii;* dicit rex sapiens Prov. XI. 14. *In manu Dei successus hominis & super faciem scribæ imponet honorem suum.* Lutherus reddidit: *Es stehet in Gottes Händen, daſs einem Regenten gerathe, derſelbe gibt ihm einen löblichen Canzler.* Eccles. X. 5.

§. CLIII. Quamvis vero princeps ipsemet consilio & sapientia polleat, sedulo tamen caveat,

ne opinio propriæ sapientiæ ipsum adeo excæcet, ut alienam aspernetur. *Princeps facile evertitur, qui nullo, nisi sui ipsius consilio utitur;* inquit Comminæus cap. 94. Marcus Antoninus imperator, philosophus dictus, sæpius hoc usurpavit: *æquius est, ut ego tot taliumque virorum consilium sequar, quam tot talesque amici meam unius voluntatem.* Capitolinus in ejus vita & ex eo Melchior ab Ossa de prudent. regnat. cap. 7. Id enim majorum nostrorum institutis ac diuturna experientia præceptum est atque cognitum, *plures consilio communicato melius ac certius, quam singulos judicare.* Bodinus lib. IV. de republ. cap. 4. Meminerit princeps, *quod consilium sit res sacra* ἱερὸν ἡ βελὴ, quodque

Res sit consiliis secura fidelibus uti;

ut canit Baptista Mantuanus. Monendum interim, ex parte altera etiam illud principi cavendum esse præcipitium, ne totus a consiliariorum nutu ac jussu pendeat, inque illorum humeros gubernationem omnem rejiciat, ne contingat illud, de quo Vopiscus in Aureliano conqueritur: *Ego* (inquit) *a patre meo audivi, Diocletianum principem adhuc privatum dixisse: Nihil est difficilius, quam bene imperare. Colligunt se quatuor, vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt. Dicunt, quid probandum sit? Imperator, qui domi clausus est, vera non novit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur, facit judices, quos fieri non oportet; amovet a republica, quos debet obtinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat, bonus, cautus, optimus venditur imperator.* Suspecta quandoque principi suorum æque ac exterorum fides, *ut se ipso meliorem, quem consulere possit, habeat neminem.* Bodinus lib. III. de republ. cap. 1.

SECTIO IV.

DE OFFICIIS MAGISTRATVS ERGA ÆQVALES, VICINOS SCIL. POPVLOS ET MAGISTRATVS ALIOS.

Quomodo erga æquales se debeat gerere?

§. CLIV. Cum vicinis populis & magistratibus aliis princeps 1.) concordiam alere studeat, 2.) fœdera cum illis ineat, 3.) fidem datam religiose servet, & 4.) legatos ipsorum honorifice excipiat & secure dimittat, quæ omnia ad φιλησυχίαν & concordiæ studium proximo debitum pertinent. I.) *Concordiæ* studium principi vel maxime debet esse commendatum. Quod in genere apostolus omnibus præcipit Rom. XII. 18. *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem colitote*; id peculiariter sibi quoque dictum esse magistratus noverit. Concordia cum vicinis populis & magistratibus aliis regni tutela est ac firmamentum, unde Augustinus lib. II. de civ. Dei cap. 21. *arctissimum atque optimum in republica vinculum incolumitatis esse* dicit *concordiam*, quod de concordia tum subditorum inter se, tum magistratus ac subditorum, tum regni cum vicinis populis est accipiendum. II.) *Fœderum* in republica maxima omnino est utilitas. Quas enim vires regnum in sese non habet, eas per fœdera cum vicinis adquirit. *Unita virtus fortior* & ad hostiles impetus tolerandos ac propulsandos instructior. Contra vero de civitate *Lais* dicitur Jud. XVIII. 28. quod facili negotio potuerit occupari, *quia non habuit* דבר *verbum*, seu negotium *cum ullo homine*, hoc est, quia non fuit in fœdere cum aliis civitatibus. Adhibenda tamen in pangendis fœderibus prudentia, ut monet Paradinus in symb. *Vis nescia vinci.* p. 198. ut scilicet eligantur potissimum illorum fœdera, qui sunt in proximo & qui potentia valent, qui enim imbellium & infirmorum societatem ambiunt, quærunt cum quibus opprimantur. III. Fœdera & pacta semel inita firmiter & sancte sunt custodienda, ac fides data religiose est servanda. *Rupti fœderis pœna ut pluri-*

mum

mum sequitur ipsos perfidos & fœdifragos; Thucydides lib. II. de Thebanis Platæas occupantibus. Principis verba & promissa ad firmitatem propemodum divinam debent accedere, postquam alicui fidem dedit, imo principis simplex verbum plus auctoritatis & securitatis habere debet, quam aliorum hominum juramenta; Alphonsus referente Panormitano lib. I. de gestis. Dinothus lib. VI. hist. Gall. f. 479. est enim princeps Deus aliquis terrestris ac divini numinis simulachrum, imitetur igitur exemplum veri & summi Dei, *cujus singula verba sunt juramenta*, inquit Philo. *Fraudulentiam turpiorem ac fœdiorem esse censeat princeps, quam violentiam*; Thucydides lib. IV. hist. in orat. Brasidæ ad Acanthios; est enim animi abjecti & servilis indicium fidem fallere: *Si nullibi in toto orbe, tamen in principis verbis fides locum invenire debet. Si toto mundo fides exsulet, tamen apud imperatorem eam oportet confisterz*; dicebat Carolus V. cum ad frangendam Luthero datam fidem a pontificiis flabellis infligaretur, referente Zenocaro in ipsius vita. IV.) *Legatos* vicinorum populorum, qui honorifice excipit, illorum animos sibi conciliat ac devincit. Jure gentium legati sunt sacrosancti & inviolabiles, adeo ut pro illis violatis bellum juste geri censeatur. Polybius lib. II. histor. Rex David injuriam legatis suis ab Ammonitarum rege Hanone illatam gravissimo bello ulciscitur. 2. Sam. X. 7.

§. CLV. Quæritur hoc loco: I.) *An licitum sit pio magistratui fœdera inire cum diversæ religionis hominibus*? (*) Petrus Martyr class. IV. locor. comm. cap. 16. n. 23. Albericus Gentil. lib. III. de jure belli cap. 19. & alii (**) negant. 1.) Vrgent *interdictum expressum*, tum *generale*, tum *speciale*. Deus expresse & *generaliter* interdixit, fœdus cum infidelibus inire. Exod. XXIII. 32. *Non inibis cum illis* (Cananæis) *fœdus*. Exod. XXXIV. 15. additur prohibitionis ratio, *ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum diis suis, & sacrificaverint simulachris suis, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis*. Deut. VII. 2. prohibitio reperitur. In *specie* a propheta Hanani reprehenditur Asæ regis Juda

Quæstio I) *An cum diversæ religionis hominibus fœdera inire liceat? Argumenta* 1) *Negantium.*

B 2 con-

(*) Sæpius hac de re fuit disputatum, cumprimis tempore Caroli V. imperatoris & Francisci I. Galliarum regis, cum hic Solimannvm adversus istum ad arma conciret. Laudat hocce institutum Grammondvs, *hist. Gallicæ libr. III.* idque a multis emolumentis in rem christianam ab illo fœdere profectis commendat. Alii contra longe aliter judicant, contenduntque, Franciscum, Galliæ regem, maximum christiani orbis odium incurrisse, quod nulla rerum suarum tuendarum necessitate, sed sola aliena rapiendi ambitione ductus, contra christianos cum Turcis societatem iniit, qua his non solum ingens occasio nata sit occupandi plurima, quæ christiani in Africa alibique tenebant; sed & Italiam, Siciliam, Sardiniam, Corsicam aliasque maris oras invadendi aperta fuerit janua. Conf. Henniges ad Grotivm *de jure belli ac pacis, libr. II. cap. XV. §. X.* ubi tamen Reinkingivm fœdera cum infidelibus absolute improbantem refellit. Add. Hochstettervm in *collegio Pufendorfiano p. 535. seqq. not. c.* Resuscitata fuit hæc controversia recentiori ævo variisque in scriptis agitata, occasione regis Sueciæ Caroli XII. Non patitur instituti nostri brevitas, ut argumentum hoc data opera heic excutiamus. Adeat, qui adcuratiorem ejus evolutionem legere anhelaverit scriptores tum antiquiores, tum recentiores, in *bibliotheca juris imperantium quadripart. p. 42. seqq.* adlegatos. Sufficiat ex ingenti eorum numero Besoldvm *de jure fœderum cap. II.* Conringivm in *disput. polit. de fœderibus*, Witteb. *MDCLIX.* Lyservm in *disput. de jure fœderum*, Witteb. *MDCL.* Zieglervm *de juribus majest. libr. I. cap. XXXVIII. §. 6. seqq.* Becmannvm in *meditat. polit. cap. XXII.* Kvlpisivm in *collegio Grotiano exerc. VII. §. 2. p. 81. seqq.* Hochstettervm *loc. excit. p. 534. seqq.* nec non Bvddevm in *theol. morali, part. II. cap. III. sect. IV. §. 13.* nec non in *dissertat. de ratione status circa fœdera §. IX. seqq.* heic nominasse.

(**) Rungius in Exod. p. 880. Fœdera cum diversæ religionis hominibus non esse ineunda, docemur Exod. XXIII. 32. & talia fœdera sæpe reprehenduntur a prophetis, Esa. VIII. 12. c. XXXI. 3. Oseæ VIII. 13. ac Josaphat adcusatur ob fœdus cum Achabo, 2. Paral. XIX. 2. quia nulla societas Christo cum Belial 2. Cor. VI. Idem tamen in Gen. p. 426. *Licet fœdus facere cum diversæ religionis hominibus, ita tamen, ut eius capita non religionem, sed communem tranquillitatem & defensionem spectent.* Gerhardvs.

confœderatio cum Benhadad, Syriæ rege 2. Paral. XVI. 7. *Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua.* v. 8. *Nonne Æthiopes & Lybes multo plures erant quadrigis & equitibus & multitudine nimia, quos cum in Domino credidisses, tradidit in manu tua?* v. 9. *Oculi enim Domini contemplantur universam terram & præbens fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, & propter hoc etiam ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.* Ostendit propheta in hac redargutoria concione fœdera illa plerumque conjuncta esse cum quadam diffidentia divini auxilii, ideoque Dei nomine pœnas regi denunciat. 2. Paral. XIX. 2. Jehu propheta, Hanani filius, reprehendit Josaphatum, regem Juda, quod cum Achabo, idololatrico rege Israël, fœdus inierat, & in bellum cum ipso descenderat, cujus exitum fuisse infelicem ex præcedente capite manifestum. 2. Paral. XX. 37. ejusdem Josaphati fœdus cum Ochozia, impio rege Israël, ab Eliezero propheta improbatur. *Quia* (inquit) *habuisti fœdus cum Ochozia, disrumpet Dominus opera tua.* Esajas VIII. 12. arguit populum, quod cum idololatricis regibus fœdus inire voluerit: *Non dicatis confœderatio, omnia enim, quae loquitur populus iste, confœderatio est, & timorem ejus ne timeatis, Dominum exercituum sanctificate.* c. XXX. 2. *Vae vobis, qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, ut confortetis vos in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Aegypti.* c. XXXI. 1. *Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt.* 2.) *Interdictum ex consequentiis elicitum.* Deus in principio statim humani generis *inimicitias posuit inter semen mulieris & semen serpentis infernalis*, Gen. III. 15. jam vero diversæ religionis homines ac cumprimis infideles pertinent ad semen infernalis serpentis. Ergo cum illis nulla debet piis intercedere fœderalis amicitia. Ecclesiam malignantium *perfecto odio* prosequi debemus: Psalm. XXVI. 5. *Odi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.* Ps. CXXXIX. 21. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam?* v. 22. *Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Jam vero, quos debemus odisse, cum illis non oportet fœdus inire. 2. Cor. VI. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quae enim participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci cum tenebris?* v. 15. *Quae conventio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infideli?* v. 16. *Qui consensus templo Dei cum idolis?* Jam vero inter confœderatos est quædam voluntatis consensio, societas officiorum & amicitiæ communicatio. In baptismo fidem Christo dedimus, quod simus futuri palæstritæ strenui adversus omnes Christi perduelles; cum illis igitur qui fœdus ineunt, a fœdere cum Christo in baptismo inito recedunt. Huc referunt omnia dicta, quæ de hæreticis agunt, quod eos debeamus *fugere, devitare, ne ave quidem illis dicere &c.* Matth. VII. 15. Tit. III. 10. 2. Joh. v. 10. sed illos, cum quibus fœdera inimus, nequaquam devitamus. 3.) *Exemplorum probatorum cumulum.* Illicitum censebant Ægyptii *comedere cum Hebraeis*, ob religionis scilicet diversitatem: Gen. XLIII. 32. Judæis nullum erat *cum Samaritanis* apostatis commercium: Joh. IV. 9. Luc. IX. 53. Judæi illicitum censebant *in aedes gentilium ingredi*, & cibum cum illis capere. Joh. XVIII. 28. Act. XI. 3. 4.) *Praesentissimum talium confœderationum periculum. Qui picem tangit, ab ea inquinatur:* Eccl. XIII. 1. qui cum inimicis veræ religionis sese conjungit, facile aliquod vitium ab illis contrahit. Ex fœderibus nascuntur familiares conversationes, ex familiaribus conversationibus peculiaris quædam animorum conjunctio, ex animorum conjunctione accidit, ut zelus in detestanda religione adversa refrigescat, cui enim peculiariter favemus, illius religionem mollius tractamus. Quæ ergo est humanæ naturæ infirmitas, facili negotio contingere potest, ut piis ac veræ religioni addictis ex conversatione cum apostatis & infidelibus, præsertim ex archiore amicitia per fœdera cum illis

lis inita, aliquid labis adfricetur. 5.) *Infelicem iſtarum confœderationum exitum*, quem oſtendunt exempla ſuperius citata. Aſſæ peſſime cecidit fœdus cum Benhadad, Syriæ rege, quia propter illud perpetuis implicatus fuit bellis: 2. Paral. XVI. 9. Joſaphatus in extremum vitæ periculum incidit, quando Achabo in bello contra Ramoth Galaad ſeſe conjungit: 1. Reg. XXII. 32. 2. Paral. XVIII. 31. idem naufragium facit & claſſem amittit, quando fœdere cum Ochozia inito naves ſuas ipſius claſſi conjungit: 2. Paral. XX. 37. Maccabæorum cum Romanis & Lacedæmoniis fœdera quem habuerint exitum, docet hiſtoria. Franciſcus Galliarum rex moriens graviſſime de eo conqueſtus eſt, *quod voluerit eſſe fœderatus chriſtiani nominis hoſti, quod fœdus cum Turca pepigerat, & chriſtianorum capita tanquam armenta ad Mahumetanam ſervitutem abigi vivus videnſque paſſus erat.* Sleidanus lib. XV. comment. pag. 332.

2) *Adſtruantium.* §. CLVI. Qui contrarium ſtatuunt, hæc fere argumenta proferunt. 1.) Legitima defenſio eſt *juris naturalis*, l. 3. ff. *de juſt. & jure*, proinde non pugnat cum jure divino. Jam vero inire fœdus cum aliis, cujuscunque tandem ſint religionis, pertinet ad legitimam ſui defenſionem. Vt enim religionis diverſitas, vel alia quæcunque conditio & qualitas non impedit, quo minus naturali jure defenſio competat illi, qui injuſte opprimitur, modo obſervet moderamen inculpatæ tutelæ; ſic non intereſt, cui religioni ſit addictus, per quem & cujus opera nos defendimus, quo minus defenſio illa ſit juris naturalis. 2.) *Evangelium non abolet politias*, quam regulam urget Lutherus in quæſtione de ſui defenſione tom. VII. Jen. germ. fol. 389. Ergo nec politiarum firmamenta & munimenta, videlicet fœdera, quæ ſunt converſationes mere politicæ ac civiles. Eccleſia hoſpitium habet in politiis. Ergo non turbat nec turbare debet earum quietem, robur & firmamentum: quod in fœderibus conſiſtit. Si omnis etiam politica converſatio & pacificatio cum infidelibus ac falſæ religioni addictis eſſet prohibita, *mundo nos exire oporteret*, 1. Cor. V. 10. 3.) Præſto ſunt *exempla* talium fœderum. Quidam adducunt fœdus *Abrahae cum Mamre, Eſcol & Anere*; Geneſ. XIV. 13. ſed veriſimile eſt, illos, licet origine eſſent Cananæi, tamen patriarchæ religionem fuiſſe amplexos. Niſi enim religio & fides in certam victoriæ ſpem eos erexiſſet, auſpiciis Abrahæ tam exigua manu tantæ potentiæ hoſtes vix fuiſſent adgreſſi, a quibus gigantes & Sodomæos ad internecionem usque cæſos noverant. Adducunt etiam fœdus *Abrahæ cum Abimelecho*, Palæſtinorum rege: Gen. XXI. 32. *& Iſaaci cum Abimelecho, rege Geraris*; Gen. XXVI. 31. ſed illi quoque videntur veræ religioni fuiſſe addicti, cum de Deo, quem colebant Abrahamus & Iſaacus, tam honorifice loquantur, ac felicitatem utriusque patriarchæ divinæ benedictioni tribuant. Producimus igitur fœdus, quod iniit *Jacobus cum Labano* idololatra, Gen. XXXI. 44. *Joſua cum Gabaonitis*, Joſ. IX. 15. *Salomon cum Hiramo*, 1. Reg. V. 12. *Judas Maccabæus cum Romanis*, 1. Maccab. VIII. 20. *Jonathan & Onias cum Romanis & Spartanis*, c. XII. 1. 6. 20. *Simon cum iisdem*, c. XIV. 18. & 25. quæ fœdera nuſpiam leguntur damnata. 4.) Pacificationis Paſſavienſis, per quam inter evangelicos & proteſtantes fœdus mutuum eſt initum, ſaluberrimus fuit effectus, quies ſcilicet & tranquillitas Germaniæ, regnis ac provinciis reliquis perpetuis fere bellorum turbinibus implicatis, qua de re inferius plura adferentur.

Sententiæ auctoris. §. CLVII. Poſteriori igitur huic ſententiæ, ſed *certis diſtinctionibus* & conditionibus limitatæ accedimus. 1.) Diſtinguendum inter fœdera, de *non offendendo*, ac quæ *defenſionis cauſa* inſtituta ſunt & inter ea, quæ *in oppugnando aliquo tertio* mutuas operas exigunt. Illa etiam cum infidelibus & diverſæ religioni addictis inire licet; hæc vero non facile permittenda, (*) ſi is, qui oppugnan-

(*) Eandem cum Gerhardo ſententiam adoptavit quoque Jo. Adam. Osiander, cancellarius olim Tubin-

pugnandus, veræ religioni est addictus. 2.) Distinguendum inter fœdus initum cum infidelibus *contra infideles alios*, & inter fœdus initum cum infidelibus *contra fideles*. Prius dicimus licitum, posterius illicitum. Potest fidelis contra infidelem alium jungere arma cum infideli cap. *Imperatores* &c. caus. 11. q. 3. ergo etiam potest auxilium infidelis contra alium infidelem implorare; sed si bellum contra fidelem sit suscipiendum, auxilio infidelis uti, & fœdus cum eo inire neutiquam debet. 3.) Distinguendum inter fœdera, *quæ politicas duntaxat conditiones adjunctas* habent, & ex quibus nullum metuendum est veræ religioni periculum, aut præjudicium, & inter ea, *quæ in fraudem veræ religionis* panguntur. *Licet fœdus facere* (scribit Rungius in comm. Gen. XIV. p. 426.) *cum hominibus diversæ religionis, ita tamen, ut ejus capita non religionem, sed communem tranquillitatem & defensionem spectent.* (*) Sic probari nequit illud fœdus, in quo requiritur, ne errores doctrinæ, quibus altera pars confœderatorum est immersa, a ministerio ecclesiastico taxentur. 4.) Distinguendum inter fœdera, *quæ sine urgente necessitate & absque evidenti reipublicæ utilitate* cum infidelibus, vel falsæ religioni addictis instituuntur, atque ea, *quæ necessitatem & reipublicæ salutem conjunctam habent.* Priora haudquaquam probanda, sed præferenda illis fœdera cum piis & veræ religioni addictis instituta. 5.) Distinguendum inter *fœdera ipsa & adhærentem confœderatorum animis perversam opinionem.* Fœdera ipsa urgente reipublicæ salute cum infidelibus ac diversæ religionis hominibus instituta non possunt absolute & simpliciter improbari; cavendum interim, ne adhæreat fiducia in humanum auxilium ac diffidentia erga Deum, neve defensio ecclesiæ, quæ est solius Dei opus, fœderibus illis transferibatur. Jer. XVII. 5. *Maledictus omnis, qui carnem ponit brachium suum.* (**)

§. CLVIII.

Tubingensis, in *observat. in* GROTIVM *de J. B. & P. p.* 1020. verum CASPAR ZIEGLERVS *lib. V. de jure majestat. cap. XXXVIII.* bellum etiam offensivum adversus *infideles* concedit. Nos, cum b. BVDEO aliisque theologis, bellum ejusmodi offensivum etiam adversus eos, qui vocari volunt christiani in certis casibus licitum esse, non dubitamus, cum adversus alios atrociter ac manifeste injurii nomine potius, quam re tales sint. Conf. VLRICVM HVBERVM *de jure civitatis, libr. III. sect. IV. cap. III. §. 10. seqq.* & CHRISTIAN. THOMASIVM in *adnotat.* ad *b. l. p.* 727. n. 11.

(*) Diligenter consideranda est causa *impulsiva* & *finalis* fœderum. Si enim alicui immineat periculum propter religionem, utique non licet illi συμμαχίαν quærere ab hostibus religionis. Talia enim fœdera per se absurda & impia sunt, Deique destituuntur benedictione. Sin autem ad defensionem communis patriæ adversus hostem extraneum opus sit virium conjunctione sine religionis respectu, nihil est in tali fœdere vitii. *Qualis est conjunctio christianorum pugnantium adversus Turcas.* Rungius in Exod. XXXIV. p. 1191. Ex Petro Martyre in 1 Reg. cap. XV. Zepperus in tract. de legibus forens. Mosaicis lib. IV. cap. 6. sic distinguit fœdera, quod quædam habeant communes expeditiones & auxilia mutua cum idololatris & impiis, quæ sunt illicita & impia, siquidem ibi semper aliquid mali adfricatur populo Dei, & qui fidem Deo non servant, quomodo servabunt nobis? Quædam vero sint de finibus, commerciis, ut vicini pacifice inter se agant, ubi pax servanda est cum omnibus, quantum in nobis est Rom. XII. 18. Quibus consentit Paræus in comm. Gen. XIV. *Illicita*, inquit, *sunt fœdera, quæ sunt de societate religionis; licita, quæ de rebus civilibus cum infidelibus sunt contracta.* Sed quod ibidem putat, *necessitatem posse accidere piis tantam, ut etiam illa priora possint contrahi cum infidelibus*, in eo non videtur sibi satis constare, quia quod per se malum est & illicitum, nullo pacto aut respectu licitum aut bonum fieri potest. GERHARDVS.

(**) Alii ita procedunt, fœdera æstimanda, 1) ex suo principio, 2) objecto, 3) fine, 4) ac circumstantiis. Polanus lib. X. syntagm. cap. 11. *Distinguuntur fœdera ex causis efficientibus, finibus & effectis; quæ fœdera ex diffidentia, vel avaritia, vel ad placendum infidelibus, vel ad perturbandam pacem publicam contrahuntur: item, quæcunque occasiones præbere possunt, aut corrumpendi puri cultus Dei, aut corruptelas serpentes augendi, ea profecto illicita sunt, divinitus prohibita & infelicia. At si qua fœdera ineuntur vel ad mutuam defensionem hostis communis, (ubi nos vocatio conjunxit) vel de non lædendo, & in summa, quæ veram religionem ac pietatem erga Deum non lædunt, sunt licita. Vbi tamen etiam atque etiam cavendum est, ne cum hostibus ac persecutoribus ecclesiæ Dei sese fœdere conjungant pii, quia neque illis bona conscientia possunt præbere auxilium, neque ab his ex-*

§. CLVIII. Ex his facile adparet, quid ad contraria argumenta respondendum sit? 1.) Cananææ gentes divino judicio erant excidio & internecioni destinatæ, Deus igitur Israëlitas fœderibus illis conjungi noluit; sed ut patriarchæ ante legem illam latam cum Cananæis fœdera quandoque inierunt, sic post sublatum μεσότοιχον inter Judæos ac gentes lege illa non amplius obstringimur: Ephes. II. 14. modo observentur debitæ conditiones. Idem ostendit causa prohibitionis legi addita, prohibentur enim Israëlitæ *ex idolothytis edere*; Exod. XXXIV. 15. sed apostolus 1. Cor. X. 27. libertati christianæ id relinquit: *Si quis vocat infidelium, quidquid adponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Asæ confœderatio cum Benhadad ideo reprehenditur, quia regem Syriæ ad fœdus, quod cum rege Israëlis habebat, violandum missis muneribus impulit, cumque ad bellum regi Israëlis movendum concitavit. Josaphati fœdus cum Achabo & Ochozia nulla exigebat necessitas: bellum, quod adversus Assyrios suscipiebat, non erat defensivum, sed offensivum: prophetæ præposteram in istæc fœdera fiduciam arguunt. 2.) Conversatio *politica* & civilis a *spirituali* communione distinguenda: *exire ab infidelibus* & diversæ religioni addictis debemus animo & adfectu; non autem simpliciter loco & quoad politicam conversationem, alias *e mundo nos exire oporteret.* 1. Cor. V. 10. Augustinus serm. XVIII. de verb. Dom. *Separatio fieri debet corde, non corpore, recedendum a talibus non corporaliter, sed spiritualiter.* 3.) Ægypriis illicitum erat cum Hebræis cibum capere non præcepto quodam divino, *sed more duntaxat patrio*, uti Philo censet: Onkelos hanc adfert rationem, *quia pecus, quod Aegyptii colunt*, (bovem puta) *Hebræi comedunt.* Alii tribuunt hoc fastui Ægyptiorum, quod indignum putaverint cum Hebræis convivari. (*) Daniel in Chaldæa, Christus cum pharisæis falsæ religioni addictis cibum sumsit. *Judæis* non erat lege quadam politica conversatio cum *Samaritanis* & gentibus interdicta, sed quia *illos* propter apostasiam, *has* propter infidelitatem abhorrebant, ideo ab illorum conversatione abstinebant; Christus tamen cum Samaritana muliere absque ullo contaminationis periculo collocutus, & Petrus in domum gentilis est ingressus. Joh. IV. Act. X. 4.) Talia fœdera cum incommodis & periculis conjuncta

exspectare; *imo cum improbis & infidelibus promiscua conversatio non est licita, nisi ideo instituta, ut lucrifaciamus illos, aut cum vocatio nostra id requirit, ut quando Christus cum peccatoribus edit, Luc. XV. 1. quando conjunx cum infideli habitat, 1. Cor. VII. 13.* Fœdera distinguuntur: 1) Respectu *causæ efficientis*, seu personarum, quæ fœdus contrahunt. Hæ enim vel non sunt in ecclesia, ut gentes ac profani homines veri Dei plane ignari, iique aut simpliciter infideles κατ' ἐξοχήν sic dicti, aut etiam in veram religionem blasphemi: vel sunt in ecclesia, iique vel orthodoxi, vel heterodoxi, ut sectarii, hæretici ac quodammodo schismatici, qui tamen non sunt de ecclesia, sive non sunt vera ac viva ejus proprie sic dicta membra. 2) Respectu *objectorum*, seu rerum, de quibus initur contractus. Illarum respectu fœdera sunt in triplici differentia. Vel enim concernunt religionem solam, & dicuntur ecclesiastica; vel pacem publicam externam respiciunt, quo referimus omnia pacta, quæ ad necessitatem usumque incolarum & peregrinantium in mercibus importandis exportandisque spectant, quæque sunt de vitandis injuriis & suis unicuique terra marique servandis finibus, de securitate itinerum, possessionum, navigationum &c. hæc vocari solent fœdera pacificationis, pactiones de non offendendo; vel tandem partim religionem, partim res politicas simul respiciunt, earumque adtentionem & libertatem concernunt, unde adpellantur mixta. 3) Respectu *finis*. Fœdera iniri soleut potissimum ob duplicem finem, ut videlicet vel nos conjunctis confœderatorum nostrorum viribus bellum nostris inferamus hostibus, quod dicitur bellum offensivum; vel quando ab hostibus contra nos bellum movetur, ut advocatis συμμάχοις illam vim injustam a nobis depellamus, quod bellum defensivum nominari consuevit. GERHARDVS.

(*) *Ebræos* fuisse pastores ovium, qui pecora mactabant, ex historia sacra constat, cum contra apud *Ægyptios* certa animalium genera fuerint sacra. Atque hinc procul dubio ratio derivanda, cur *Ebræi Ægyptiis* fuerint *abominationi*; quod tamen non ita capiendum, ac si Aegyptii eosdem ferre haud potuerint, sed quod ad consortium familiare eosdem haud admiserint, inferiorique loco & sejunctos quodammodo ac separatos a sese esse voluerint, vid. CLERICVM in *comment.* ad *Genes. XLVI. 34.* & *Exod. VIII. 26.*

juncta esse non negamus, ideo etiam absque urgente reipublicæ necessitate iniri neutiquam debent; interim tamen ex eo evinci nequit, esse absolute & simpliciter prohibita. Neque ex eventu illud colligi potest, cum fœdera etiam cum piis inita non semper lætos habeant exitus, cumque diffidentiam fœderibus illis utplurimum conjunctam pœna illa respiciat. Vide plura de hac quæst. apud Tarnovium in adpend. comm. in Obadiam.

II.) *An principi fidem fallere sit integrum?*

§. CLIX. Quæritur II.) *An principi fidem fallere & a pactis fœderum recedere sit integrum?* Machiavellus (*) lib. II. comm. c. 13. & de princ. cap. 19. illud licere censet: *Prudens & acutus princeps* (inquit) *fidem hosti datam & ab ipso metu, vel vi extortam temporique adcommodatam nec debet, nec potest servare, si tale pactum vel fœdus obfuturum ei sit, atque occasiones & necessitates, quæ illud extorserunt, præterierint. Si fides violanda, regnandi causa violanda est, in reliquis pietatem colas*; dicebat ille apud Senecam. Darius apud Herodotum lib. III. existimat, *magnæ publicæque utilitatis gratia licere principi mendacium dicere.* Sed ab omni fraudulentia & perfidia princeps abhorrere debet. 1.) Pacta servari est *juris divini ac naturalis.* 2.) Vinculum humanæ societatis *ac nervus imperiorum*

(*) De Nicolao Machiavello, politico illo Florentino famosissimo, de quo heic differit Gerhardvs, legendus Petr. Bælivs, in *dict. hist. & crit. tom. III.* voce *Machiavel, p. 244 seqq.* Jac. Frid. Reimmannvs, in *hist. literar. vol. I. pag. 31 seqq.* & cum primis Jac. Bruckervs, in *hist. crit. philosoph. tom. III. period. III. part. II. libr. II. cap. V. §. VI—VIII. p. 784.* ut complures alios jam taceamus. Nos, in gratiam lectorum, pauca de eo heic subjungamus.

Floruit is exeunte seculo XV. & ineunte XVI. natusque est Florentii, & postea ducis illius a secretis & historiographus fuit. Anno MDXXX. vel, ut alii certioribus nixi rationibus referunt, *MDXXVII.* diem obiit supremum, postquam gratia, qua apud principem suum floruerat antea, exciderat.

Multa post se reliquit scripta, inter quæ cumprimis eminent: *dissertationes in Livium, sive disputationum de republica libri tres ad decadem Livii primam.* Lucem adspexerunt dissertationes istæ primum Venetiis *MDXXX*, posteaque sæpius non italice tantum, sed & latine, gallice atque anglice typis fuerunt exscriptæ. Traduntur in iis, ut ut tectius, illa ipsa axiomata, quæ Machiavellus postea apertius in *principe*, hic enim libri italico sermone conscripti titulus est, disseminavit. Prima ejusdem editio Venetiis MDXXXII. 4. prelo exiit. Latine hunc librum reddidit Sylvester Telivs, licet non satis feliciter. Emendatiorem autem versionem adornavit Hermann. Conringivs, tandemque Helmstadii *MDCLXIII.* evulgavit, repetitam postea anno MDCLXXVI. Præmisit laudatissimus vir huic editioni epistolam introductoriam eandemque lectu dignissimam, in qua & de Machiavello præclare judicavit, judiciaque Jovii & Possevini, nec non vitam Castruccii a Machiavello scriptam aliaque tractationi huic adjunxit.

Aliam tamen post Conringium, versionem latinam hujus libri exornandam in se suscepit Caspar Langenhert eandemque anno MDCXCIX. cum orbe erudito communicavit. Anglicam quoque Ed. Dakes Londini *MDCXL.* Gallicam vero Amelot de la Houssaye an. MDCLXXXVI. luci exposuerunt publicæ. Exstat quoque versio hujus libri germanica, quæ Francofurti ad Mœnum anno MDCLXXX. lucem vidit. Recentissima denique operum Machiavelli editio ea est, quæ sermone italico, duobus comprehensa voluminibus, Genevæ *MDCCXXVI.* in 8. prodiit.

Diversa vero fuerunt virorum eruditorum de Machiavello ejusdemque libris, speciatim illo, quem de *principe* scripsit, judicia. Nonnulli enim, & quidem plerique, qui principia politica in hocce libro stabilita improbabant, auctorem inter atheos referre haud dubitarunt. Ipse Pavlvs Jovivs, qui vitam ejus descripsit, postquam fata ejus duriora enarrasset, mox subjungit: *Fuit exinde semper inops, uti irrisor & arbeus &c.* in *elogiis doctorum p. m. 194* Theophilvs quoque Raynavdvs, cum in *erotematibus de malis ac bonis libris* Lugduni *MDCLIII.* 4to editis, atheorum, quos vocat, clancularium, tertium ordinem eorum constituisset, qui religionem eatenus retinendam censent, quatenus ad subditos in obsequio continendos potest conducere, Machiavello primum inter eos locum adsignat. Ita enim *loc. cit. p. 27.* infit: *Tertiæ classis ductor omnium consensu est Machiavellus, libris discursuum, ac de principe, usque eo retris ac projectæ in religionem & sancta omnia audaciæ, ut ipsi quoque sectarii in eum calamos strinxerint, & omni studio libros ejus exterminandos esse sint professi.*

Equidem ubi primum prodierant Machiavelli scripta, ea per longum temporis spatium, &, ut Reimmann-

rum est fides, nec ulla major inter mortales necessitas, quam fidei servandæ, qua sublata nec imperia permanere, nec quidquam aliud subsistere potest. 3.) Violatores fœderum ac datæ fidei graviter a Deo sunt *puniti*, id quod exemplis inferius comprobatum dabitur in quæstione de fide hæreticis servanda. Monendum tamen, quod jure a fœdere recedat is, cui fœdus ex altera parte non est servatum, sed prius violatum, vel ut violaretur, aperte tentatum.

§. CLX.

MANNVS & BRVCKERVS adnotarunt, per integrum fere seculum secta fuerunt in republica litteraria sine ulla atheismi suspicione. Quin tantum abfuit, ut vel ipsi ecclesiæ Romanæ præsules quidquam olim in iis desideraverint, ut potius ex iis CLEMENS VII. post obitum Machiavelli, typographo Angelo Bladio decennii privilegium in hujus viri opera junctim edita concedere haud dubitaverit. Tandem vero CLEMENS VIII. instigatione & clamoribus ANTON. POSSEVINI, Jesuitæ haud incelebris, nec non THOMÆ BAZII, qui presbyter erat oratorii Rom. permotus, Machiavelli *principem* Romæ damnavit. Atque hi ipsi duumviri præcipui fuerunt Machiavelli adversarii, qui eundem bonis omnibus maxime reddiderunt invisum. POSSEVINVS quidem id egit in *judicio de quatuor scriptoribus, Philippo de Nue, Jo. Bodino, Phil. Mornæo & Nicol. Machiavello*, quod jussu Innocentii IX. P. R. concinnavit. Quod vero ad BAZIUM attinet, is peculiarem tractatum *de imperio virtutis* Machiavello oppositum, qui Coloniæ Agrippinæ anno MDXCV. in lucem prodiit. Majori tamen eruditi orbis adplausu exceptus est liber anonymi cujusdam, hac inscriptione insignitus: *commentariorum de regno aut quovis principatu rite & tranquille administrando libri tres, de consilio, religione, & politia, quas princeps in ditione sua tueri debet, adversus Nicol. Machiavellum.* Prima hujus libri editio prodiit Lausannæ anno *MDLXXVI.* 8. quam deinceps complures aliæ sunt insecutæ. Exstat quoque versio ejusdem germanica, sub titulo: *Anti-Machiavellus, das ist, Regenten-Spiegel.* Argentor. *MDCXXIV.* 8. De ejus auctore, qui nihil aliud, quam quod ex exulum reformatorum Galliæ numero sit, de se prodidit, nihil certi definiri potest. Fuerunt nonnulli, qui librum hunc a FRANCISCO HOTOMANNO profectum existimarunt, qui eo ipso tempore, quo iste prodiit, apud Lausonenses exsul vixit. Alii tamen eundem VINCENTIO GENTILLETO, JCto ex Delphinatu Galliæ oriundo, qui ob religionem reformatam, cui addictus erat, multa in Gallia perpessus est mala, majori veri specie tribuerunt. Vid. BÆLIVM *loc. cit. tom. III. p. m. 240.* Notarunt tamen nonnulli, hunc ipsum auctorem, quicunque ille fuerit, impietatem duntaxat Machiavelli adgressum esse, ejusdem vero errores politicos intactos reliquisse. Non patitur instituti nostri brevitas, ut & reliquos Machiavelli adversarios hic recensemus. Adeat, qui eorum indicem legere voluerit, *bibliothecam philosoph. Struvianam* KAHLII, *part. II. p. 185. seqq.* itemque *bibliothecam imperantium, cap. II. p. 114.* nec non REINHARDVM in *theatro prudentiæ civilis*, ARNDIVM, CONRINGIVM, BVDDEVM aliosque, cumprimis Jo. FRID CHRISTIVM, qui tribus libris *de* NICOL. MACHIAVELLI *vita, scriptis & secta ejus, atque in universum de politica nostrorum post instauratas litteras temporum, ex parte inclitis cusis, ex parte primum editis*, Machiavelli res copiose enarravit.

Omnes tamen, qui contra Machiavellum calamum strinxerunt, longissime post se reliquit augustus auctor *Antimachiavelli* gallico sermone editi, sub titulo: *l'Anti-Machiavel, ou examen du prince de Machiavel, avec des notes historiques & politiques; a Londres* MDCCXLI. in 8. Recensetur hicce liber, immortali rarissimi exempli gloria dignissimus, in *bibliotheque Britannique, tom. XVI. part. II. art. I. p. 211. seqq.* variisque locis fuit recusus, quin & in linguam latinam nec non germanicam conversus, observante BRVCKERO in *adpendice historiæ criticæ philosoph. p. 948. not.* (p). Add. *nouvelle letter. publicate in Firenze, tom. II. p. 600. 610. seqq. nouv. bibliorh. MDCCXL.* mens. Nov. *la bibliotheque raisonnée tom. XXV. part. I.* itemque MEISTERVM in *biblioth. juris nat. & gent. part. III. p. 55.* ubi ex vero pronunciat: *Omnibus, quæ in hunc usque diem contra Machiavelli principem prodierunt, scriptis cavere tuto possumus, ex quo illud regiæ manus opus habemus, summi oratoris laude majus, quod sub Anti-machiavelli titulo omnium, quibus vera philosophia & sapientia in pretio est, gentium plausum habet, atque admirationem. Ex hoc quippe cognoscimus, omnes cæteros, qui in hoc genere aliquid posse voluerunt, aut nihil, aut Catone hoc infinitis numeris inferiores esse.* Atque huic judicio procul dubio lubentissime subscribent omnes, quotquot justum rebus pretium statuere didicerunt.

Cæterum paucis adhuc notamus, non defuisse viros doctos, qui Machiavellum excusare aliisque persuadere sint aussi, non tam malum scriptorem fuisse Machiavellum, etsi de argumento malo scripserit. Eundem enim malas dominantium artes duntaxat in lucem produxisse, nec docere voluisse, quid principi agendum sit, quam quid reapse agat tyrannus, prout observavit WIOVEPORTIVS. Vid. BÆLIVM *loc. cit. not.* (E) Vnde illustriss. BACO

III.) *An legati semper inviolabiles?*

§. CLX. Quæritur III.) *An legati semper haberi debeant inviolabiles?* (*) Principi merito sacri & inviolabiles sint legati; 1.) Quia repræsentant illos, a quibus mittuntur; 2.) Quia absque legatorum immunitate non potest constare societas inter vicinos populos, nec de pace vel fœderibus consilium iniri; 3.) Quia

DE VERVLAMIO in incomparabili tractatione *de augmentis scientiarum libr. VII. cap. II.* pronunciat: *Est, quod gratias agamus Machiavello & hujusmodi scriptoribus, qui aperte & indissimulanter proferunt, quod homines facere soleant, non quod debeant.* Prætermittimus alia virorum eruditorum judicia, quæ legi possunt in doctiss. CHRISTII *dissertatione* supra a nobis laudata. Cumprimis vero evolvi heic meretur REIMMANNVS in *histor. atheismi sect. III. cap. IV. §. 14. p. 350.* qui ea infirma judicat, quæ de atheismo Machiavelli vulgo objiciuntur, interque alia & hoc urget, nusquam in scriptis Machiavelli vel directe, vel indirecte oppugnari numinis exsistentiam.

Verum, utut hæc sint verissima, ac Machiavellus directe, quantum constat, exsistentiam supremi numinis non negaverit, nec impugnaverit, eundem tamen hominem nullius religionis, nulliusque fidei fuisse, vix quisquam dubitaverit, qui scripta ejus attenta mente perlegerit. In iisdem enim passim denudat animum suum impium, quantumvis simulet aliud. Docet, inter alia, doctrinam christianam reipublicæ rationibus haud convenire. Quod qui statuit, non potest non simul optare religionem, qua reipublicæ rebus melius consulatur, prout recte judicat b. BVDDEVS in *thesib. de atheismo & superst. p. 134.* ubi & illud non sine ratione in Machiavello reprehendit, „quod vim robure virtutis & honesti infregerit, quod non „tantum omnia ad utilitatem referre principem docuerit, sed & pro virtute solida simulationem virtutis commendaverit, si eam utilitatis ratio postulet, „immo a virtutis regia via subinde deflectendum „principi suo suaserit, si sua salva esse velit.„ Speciatim sinceris doctrinæ sanctioris cultoribus plurimum displicuere, quæ Machiavellus in *capite XV.* & *XXV.* in medium adtulit, siquidem in illo virtutem infamasse, in hoc vero providentiam divinam labefactasse, haud immerito videri queat, prout observavit BRVCKERVS *loc. cit. tom. IV. part. II. p. 787.* Cumprimis vero attentione lectorum nostrorum dignissima sunt, quæ de *principe* Machiavelli generatim monuit regius auctor *Anti-Machiavelli* in *præfatione* libri sui throno digni. Ita vero ille: „Le *Prince* de Machiavel est en fait de Morale ce, „qu'est l'ouvrage de Spinosa en matiére de Foi. „*Spinosa* sappoit les fondemens de la Foi, & ne tenoit pas moin qu'à renverser l'edifice de la Religion; *Machiavel* corrompit la Politique, & entreprit de detruire les preceptes de la saine Morale. Les erreurs de l'un n'étoient que des erreurs de speculation; celles d'autre regardoient „la pratique. Cependant il s'est trouvé, que les „theologiens ont sonné le tocsin & crié aux armes „contre Spinosa, qu'on a refuté son ouvrage en forme, & qu'on a constaté la divinité contre ses attaques; tandis que Machiavel n'a été que harcelé „par quelques Moralistes, & qu'il s'est soutenu, „malgré eux & malgré sa pernicieuse Morale, sur „la chaire de la Politique, jusqu'à nos jours.„ Adjungimus huic loco alium, qui in *Anti-Machiavello* occurrit, hisque conceptus est verbis: „Machiavel autorise, tantôt par ses discours, tantôt „par un silence très suspect, les sentimens de cette „ambition, qui fait les Conquerans, les Usurpateurs, „& ces Princes, qui s'imaginent, que les Rois ne „sont pas faits pour les peuples, mais les peuples „pour les Rois. L'innocence, la beauté, ou meme la necessité supposées de ces sentimens ambitieux, paroit être la base de tout le système de „Machiavel. Il intitule son livre, *le Prince*: Il „auroit pû l'intituler, *l'Usurpateur* ou *le Tyran*. „Il fait en grand, ce que feroit en petit un Casuiste, qui, dans un traité expres, enseigneroit aux „Fripons la maniére la plus sûre, la plus profitable & la plus glorieuse d'exercer leur metier; & „qui pour deguiser les odieux principes necessairement supposés dans l'idée d'un pareil ouvrage, au „lieu d'intituler nettement *le Fripon*, l'intituleroit „(par exemple) *le Negociant*, ou *l'homme d'affaires*, ou *le Procureur*.„ Addimus vel tandem locum, qui *cap. XIX. anti-Machiavelli* hisce verbis elatus legitur: „si Machiavel avoit composé un „Recueil de fourberies à l'usage des Voleurs, il „n'auroit pas fait un ouvrage plus blamable, que „celui-ci.„ Atque hæc pro instituti ratione sufficiant.

(*) Duo sunt, quæ legatis ipso *jure naturali* debita sunt; primum est *admissio*, alterum *inviolabilitas*. De utroque copiose commentati sunt, qui de jure naturæ ac gentium data opera scripserunt. Eminet ex iis vir summus, HVGO GROTIVS in opere *de jure belli ac pacis, libri II. cap. XVIII. §. 3 seqq.* Huic jungi merentur SAMVEL PVFENDORFIVS in *jure nat. & gent. libr. II. cap. III.* Jo. GEORG. KVLPISIVS in *collegio Grotiano exercit. VIII. p. 91.* ANDR. ADAM HOCHSTETTERVS, theologus olim Tubingensis, in *collegio Pufendorfiano, exercitat. XI. §. XIV. p. 408. seqq.* Jo. WOLFEG. TEXTOR, in *synopsi juris gent. cap. IX.* aliique. Cumprimis vero huc pertinent scriptores, qui de legatis peculiares libros ediderunt, veluti FRANC. LE VAYER, ALBE-

3.) Quia apud omnes populos veluti communi quodam naturæ consensu illud ratum, quod non sint violandi. Cicero act. III. in Verrem: *Legationum jus divino humanoque vallatum est præsidio, cujus tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modo intra sociorum jura, sed hostium tela incolume versetur.* Et in lib. de arusp. resp. *Sic sentio, jus legatorum cum hominum præsidio munitum, tum etiam divino jure esse vallatum.* 4.) Quia divinitus punitur legatorum violatio. Ammonitæ ob violatos Davidis legatos bello petiti succumbunt 2. Sam. X. 14. Helena, Russorum regina, cum legatos ad se missos concremasset, ipsa post contrario mortis genere interiit, ipsa enim sese in profundos aquarum gurgites misere immersit. Bodinus lib. V. de republ. cap. ult. Interim tamen, si qui legatos sese mentiuntur, ac sub specie & prætextu legationis exploratores deprehenduntur, illi hac immunitate nequaquam gaudent. Addunt quidam, si legati suo officio ac persona se indignos reddant, tunc ad meritas pœnas ipsos posse pertrahi. Sic Alexander Macedo, proavus Alexandri magni, legatos Persicos intemperanter in convivio se gerentes & virginum pudicitiam adtentantes trucidari curavit. Philippus lib. II. chron. p. 94. Legati superbe petierant nobiles mulieres in convivium adduci, & inter convivas collocari, jamque ebrii & basia dabant honestis mulieribus, & sinus adtrectabant. Ea cum ægre ferrent Amyntas pater & filius Alexander, filius hortatur patrem, ut ex convivio cubitum discedat. Eo digresso hilaritatem simulat Alexander, & petit concedi mulieribus, ut aliquantisper surgant, mox pollicetur redituras, jubet deinde totidem adolescentes nobiles induere earum vestes & gladios sub vestibus abditos sumere, ac cum Persæ eos adtrectarent, ipsos confodere, hæc ita facta sunt, (inquit Philippus) & lasciviæ ac petulantiæ pœnas legati juste dederunt. Livius lib. III. decad. 3. *Macedonum & Carthaginensium legatos*, utpote fœdus contra Romanos facturos, & hac ratione hostilia molientes, a Romanis captos esse memorat. Thucydides lib. III. refert ab Athenienses captos & interfectos esse *Legatos Lacedæmoniorum* ituros ad Persas, ut auxilia contra Athenienses peterent. Sed æquius est, & majorem principi conciliabit gratiam, si legatos impunitos dimittat, & postea de ipsis apud legantes conqueratur. Sic Livius lib. II. decad. 1. p. 29. de Tarquiniorum legatis dicit, *quamquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit, ut cum querimonia de ipsorum injuria ad suos remitterentur.* Alexander legationis nomen tam sanctum habuit, ut Carthaginensibus legatis, qui ad Tyrios in ipsum armandos venerant, pepercerit. Curtius lib. IV.

Albericvs Gentilis, Frid. de Marselaer, & vel maxime Abrah. Wicqvefortivs, cujus opus an. *MDCLXXVI.* primum prodiit, hac inscriptione insignitum: *memoires touchant les Ambassadeurs & ministres publics*; postea vero sæpius fuit recusum, sub titulo: *l'Ambassadeur & ses functions &c.* Legenda, quæ de hocce libro disseruit Christian. Thomasivs in *observat. XVII. tomi II observat. Halens.* nec non in *specimine jurisprudentiæ judicialis, cap. III.* Tacemus alios auctores, quos larga manu dederunt Martin. Lipenivs in *biblioth. philosoph. p. 820.* Kvlpisivs, supra jam laudatus, in *præfat.* tractatus *de legationibus statuum imperii*, & Struvivs in *bibliotheca juris selecta*, cujus octava editio cum emendationibus & accessionibus Christ. Gottlieb Buderi Jenæ *MDCCLVI.* prodiit, *cap. VII. §. CVII. p. 283.* Nec prætermittendæ hoic sunt dissertationes singulares, quæ de hocce argumento diversis temporibus prodierunt, veluti Jac. Thomasii, Cocceji, Speneri, Simonii, Conringii, Christ. Thomasii, supra jam laudati, Willenbergii, Dornii, Boehmeri aliorumque, quos adlegavit auctor *bibliothecæ juris imperantium quadripartitæ, p. 250 seqq.*

SECTIO V.

DE OFFICIIS MAGISTRATVS ERGA SVBDITOS.

Quomodo magistratus erga subditos sese gerere debeat?

§. CLXI. Magistratus erga subditos officium 1.) ratione *objecti* versatur vel in rebus *ecclesiasticis* vel *politicis*: 2.) ratione *effecti* spectatur in *justitiæ & judicii* administratione: 3.) ratione *adjuncti* temporis vel *in pace*, vel *bello* consideratur; quo respectu Aurelius Victor Trajano imperatori quatuor insignes virtutes tribuit, *sanctitatem domi, fortitudinem in armis, justitiam & prudentiam utrobique.* Sed hæc brevitas explicatius proponenda ac deducenda: 1.) quod magistratus subditis suis debet, est *amor & benevolentia*, quæ est fundamentum ac basis reliquorum omnium, quæ a magistratu subditis præstantur. Cogitet princeps *patris* titulum sibi a Spiritu sancto adsignari, 1. Sam. XXIV. 12: paternum igitur erga subditos animum induat. Alphonsus symboli loco habuit Pelicanum rostro ex pectore sanguinem elicientem & pullos vivificantem cum inscriptione: *Pro lege & pro grege*, quo ipso suum erga subditos amorem exprimere voluit. Benevolentia populi erga principem est tutissimum illius munimentum, sicut Eberhardus I., dux Würtenbergicus, cum alius princeps de vini copia, alius de vi argenti maxima gloriaretur, beatum se hoc nomine prædicabat, *quod tutus in gremio cujusvis subditorum suorum dormire possit: Inexpugnabile munimentum amor civium.* Sed hanc subditorum benevolentiam magistratus non potest alia ratione, quam amore & benevolentia erga ipsos prius præstita obtinere. *Ut ameris, amabilis esto. Diligi princeps, nisi ipse diligat, non potest*, inquit Plinius in paneg. Trajan. Cogitet princeps, subditos velut præclarum *aliquod depositum* a Deo sibi traditum & concreditum esse, amore igitur illos complectatur tanquam thesaurum divinitus sibi datum. Pius magistratus subditos suos amat ac fovet, impius ac tyrannus eosdem odit. Pius magistratus est pater patriæ, tyrannus est pestis patriæ. Pius magistratus civibus est carus, tyrannus omnibus exosus. *Illo in publicum procedente tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim advolant; hoc vero conspecto tanquam malum aliquod, cum noxium animal e cubili prosiliret, omnes defugiunt.* Seneca lib. I. de elem. cap. 3.

Præstet illis: 1.) Amorem & benevolentiam.

§ CLXII. Ex hoc amore & benevolentia erga subditos profluit II.) *comitas & adfabilitas.* Quibus enim favemus, erga illos comes atque adfabiles nos præstare solemus. Josephus, Ægypti prorex, Gen. XLIII. 26. amice & blande adloquitur fratres; a quibus nondum agnoscebatur. 2. Sam. XIV. 17. Thecuitis ad regem Davidem dicit: *Sicut angelus Domini, sic est dominus meus rex, ut audias bonum & malum*; hoc est, ut facies angeli est amica & grata, sic adspectu & adloquio es amicus. Talis *adfabilitas virtus maxima in principe*, inquit Plinius in paneg. Trajan. inter epitheta & laudes boni principis a Julio Polluce imperatori Commodo præscriptis hæc etiam habentur, quod sit εὐπροσήγορος, εὐέντευκτος, μειλίχιος, προσηνὴς, *facilis accessu, facile salutans, facile admittens interpellantes & supplicantes, blandus & lenis.* Contra vero inter tyranni vituperia refertur, quod sit δυσπρόσιτος, δυσπροσήγορος, δυσέντευκτος *difficilis aditu, ferox in accessu, parum salutans, paucos audiens.* Hac adfabilitate & comitate vehementer sibi conciliat princeps subditorum animos, quod Absoloni probe notum erat, is enim cum benevolentiam apud subditos patris sui quæreret, & regno viam pararet, *mane consurgens stabat juxta introitum portæ in via, & omnes, qui negotium habebant coram judicio, blande compellabat, cumque accederet ad eum homo, ut adoraret illum, extendebat manum suam, & adprehendens osculabatur eum*, quo stratagemate *furatus* dicitur *corda filiorum Israel.*

2.) Comitatem & adfabilitatem.

Israel. 2. Sam. XV. 2. 5. & 6. Interim comitas eo modo debet esse principi commendata, ut majestatis eum non capiat oblivio. (*) Rarae quidem, sed magnae laudis est, cum hae virtutes specie dispares, prudentia junguntur. Vt comitas cum majestate in principe combinata subditorum animos ad benevolentiam & reverentiam flectit, sic nimia familiaritas contemtum inducit.

3.) *Clementiam.* §. CLXIII. III.) Ex amore erga subditos originem quoque ducit *clementia*, quae bono principi maxime debet esse commendata. Romae repertum marmor in foro Trajani his characteribus insignitum: *Potentissima dos in principe liberalitas atque clementia.* Marloratus topogr. libr. V. cap. 22. Princeps est Dei in terris imago, ejusdemque veluti vicarius. Jam vero *Dei propium est misereri & parcere*, Bernhardus serm. V. in nat. Dom. col. 60. qui gladium vindictae miserationis oleo semper exacuit. *Nulla re propius homines ad Deum accedunt, quam salute hominibus data.* Cicero pro Ligar. cum quo consentit illud Jovii: *Vna clementia mortales superis aequat, ejusque muneris memoria nunquam apud conservatos obsolescit.* Dinothus in fine histor. Gall. p. 536. *Rex apum solus aculeum non habet, vel certe eo non utitur: exemplar hoc magnis regibus ingens.* Plinius XI. nat. histor. cap. 17. Seneca lib. I. de clem. cap. 19. Bodinus lib. IV. de rep. cap. 6. Clementia est, quae firmum ac stabile reddit principis regnum, *qui enim benignitate ac clementia imperium temperavere, his candida & laeta omnia fuere, etiam hostes aequiores, quam aliis cives.* Salustius ad Caesar. quod longe rectius ex Salomone petitur, qui Prov. XX. 28. inquit: *Misericordia & veritas custodiunt regem, ac roboratur clementia thronus ejus*; vel ut Hebraea habent: *in misericordia fulcit thronum suum. Non opus est instruere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribusque sepire. Salvum regem in aperto clementia praestabit.* Seneca lib. I. de clem. cap. 19. Contra vero: *Instabile est regnum, quod non clementia firmat.* Cumprimis *imperium inchoantibus utilis est clementiae fama*, monente Tacito. *David* regno post Absolonis seditionem restitutus ac novum quasi regnum inchoans ignoscit Simei, a quo insigni injuria adfectus fuerat. 2. Sam. XIX. 22. *Roboamus*, Salomonis filius, asperitate sua occasionem exhibet, ut ab ipso decem tribus una die deficerent. 1. Reg. XII. 16. Quanto rectius *Alphonsus*, qui nihil tam proprium principis esse statuebat, quam clementiam, regis, quam misericordiam, majestatis, quam lenitatem; cumque quidam conquererentur ipsum nimis lenem & mansuetum esse, respondebat, *exspectandam ipsis esse, ut ursi ac leones quandoque regnarent, hominis esse clementiam, beluarum feritatem.* Panormitanus lib. II. de reb. gest. Alph. *Hostes armis domantur velut ferae, subditi vero clementia ac beneficentia velut oves propriae demulciuntur ac devinciuntur.* (**) Agapet. diacon. prae. 20. Cogitet princeps, se homines regere ac tractare, non autem feras & bruta, humaniter ergo cum subditis agat. Cavendum tamen, ne clementia degeneret in nimiam facilitatem, *quae delinquendi incentivum praebet.* cap. *Est injusta &c.* 23. q. 4. Celebratur dictum Frontonis: *Malum est imperare*

C 3 *eum*

(*) Nicephorus libr. XVIII. eccles. histor. cap. 8. de imper. Mauritio: *A multis adire se & convenirri non facile passus est: neque in hominibus audiendis dissolutus, aut remissus fuit. Alterum enim contemtum adfert, alterum autem adsentationi aditum praebet. Itaque non frequenter; & tantum de rebus gravibus acturos ad se homines admisit, & aures sermonibus inutilibus & fatuis clausit &c.* GERHARD.

(**) Prov. XVI. 15. *In hilaritate vultus regis vita, & clementia ejus quasi imber serotinus,* c. XIX. 12. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira; & sicut ros super herbam, ita & benevolentia ejus. Duo brachia regis, duo fulcra majestatis, quae ingentes imperiorum moles, tanquam magni quidam atlantes humeris suis sustinent, clementia nimirum & justitia.* Aust. de jur. bel. Belg. Carolus V. imperator dicere consueverat, *principes decere moderationem & clementiam*, referente Iusto Iona in ep. ad Lutherum, apud Chytraeum in hist. August. conf. GERHARDVS.

eum, sub quo nemini quidquam licet, sed longe pejus vivere sub eo, sub quo omnia licent. Temperandus est justitiæ rigor æquitate & clementia, non autem exstinguendus. Clementia est impiorum luna, justitia solis vicem sustinet. *Secedere poterit ab acri justitiæ sole hæc luna, sed secedere, non discedere, diversa potius, quam adversa.* Lipsius lib. II. polit. cap. 13. Quandoque adhibenda est *salutaris quædam severitas, quæ inanem speciem clementiæ vincit.* Cicero epist. lib. II. ad Brut. Breviter, misericordia sine justitia est fatuitas, justitia sine misericordia crudelitas.

4.) *Liberalitatem & beneficentiam.*

§. CLXIV. IV.) Ex amore erga subditos etiam profluit *beneficentia & liberalitas*, quæ vel maxime ornat regem, unde etiam vocantur נְדִיבִים, εὐεργέται, quod propria ipsorum virtus debeat esse liberalitas. Job. XII. 21. Luc. XXII. 25. Princeps est *imago Dei*, jam vero benefaciendi studium Deo quam maxime nos similes reddit: *Qui beneficium dat, Deum imitatur;* inquit Seneca lib. III. de benef.

Ergo aliis meritum bene de mortalibus esse,
Hoc est esse Deum, veteri si credimus ævo,

canit Baptista Mantuanus. (*) Principem decet animus magnus & generosus, jam vero *generosi & magnifici animi est juvare ac prodesse.* Seneca lib. III. de benef. cap. 15. contra vero avaritia ac tenacitate nihil quidquam sordidius, nihil servilius aut abjectius. Talis etiam beneficentia ac liberalitas conciliat principi subditorum animos. Titus Vespasianus propter morum facilitatem & εὐεργεσίαν *delitiæ generis humani* fuit dictus; tam comis enim ac liberalis fuit, ut nulli quidquam negaret, id cum amici reprehenderent, respondisse dicitur, *neminem a vultu principis tristem discedere oportere.* Platina in vita Cleti. Idem *dum se perdidisse existimavit, quo nihil cuiquam præstitisset.* Aurelius Victor, & ex eo Guevara lib. III. horol. c. 31. Diocletianus propriam principum dotem adpellavit liberalitatem. Pomp. Lat. in Dioclet. Cavendum tamen ne liberalitas degeneret in profusionem: *Non ita claudenda est respublica, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita aperienda, ut pateat omnibus;* inquit Cicero lib. II. de offic. Ærarium nimiis largitionibus exhaustum expilationibus subditorum postea impleri consuevit. Quare cum duo sint *maxime probabilis liberalitatis fontes, verum scilicet judicium & honesta benevolentia*, teste Valerio Maximo lib. IV. memorabil. cap. 7. ideo recto judicio & deliberato consilio largiri debet princeps, ne scilicet cæco profusionis impetu regni opes dispergat, sed bene de republica merentibus præmia juxta regulam justitiæ distribuat.

5.) *Solicitam reipublicæ curam.*

§. CLXV. Ad hunc amorem & benevolum in animo principis erga subditos adfectum accedere debet V.) *solicita cura*, qua salutem reipublicæ & subditorum commoda princeps unice quærat. Cogitet princeps, non sibi datum esse regnum, ut eo pro lubitu utatur vel abutatur, sed se potius regno datum, ut saluti & commodis ejus prospiciat. παραπλήσια ἔργα νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ, dicit Cyrus apud Xenophontem lib. VIII. pæd. Vt ergo pastor omnes cogitatus suos dirigit ad salutem commissi sibi gregis, quem & regit & tuetur: sic bonus princeps omnes suas cogitationes, consilia omnia ad procurandam subditorum salutem unice dirigat, quos exemplo pastoris & regere & tueri convenit. *Bonus & salutaris princeps universis servire debet civibus, plerumque etiam singulis;* dicebat Tiberius imperator; ideo namque ad illud dignitatis, auctoritatis & potestatis fastigium est evectus, ut commodis subditorum provideat, & injustam violentiam ab illis prohibeat. Consistit igitur magistratus officium, quod subditis debet, tum *in commodorum ac salutis publicæ*

(*) Aristoteles ad Alexandrum scribens hortatur eum ad beneficentiam, & jubet eum potentiam suam conferre ad publicam utilitatem & salutem omnium gentium, non ad superbiam, διὸ πειρῶ τὴν ἀρχὴν μὴ εἰς ὕβριν, ἀλλ' εἰς εὐεργεσίαν καταστήσαι. GERHARD.

blicæ provisione, hoc est, *in legitima gubernatione per honestas leges earumque exsecutione*, tum *in reipublicæ ac subditorum defensione*. Magistratui curæ sit, ut respublica floreat *interius*, & tuta sit *exterius*; ut subditi inter se vivant *pie*, *juste*, *pacifice*, & ab aliorum injuriis atque oppressionibus *secure*, quod ipsum ut magistratus obtineat, & in *ecclesiasticis* & *politicis* rite constituendis solicitum eum esse convenit. Ad tria igitur membra juxta apostoli dictum 1. Tim. II. 2. magistratus officium erga subditos revocabimus. Primum est, curare, ut subditi vivant ἐυσεβῶς. Secundum, ut vivant σεμνῶς καὶ δικαίως. Tertium, ut vivant ἡσυχῶς. Prima officii pars *pietatem* subditorum concernens in eo occupata est, ut vera religio ac sincerus Dei cultus, utpote fundamentum pietatis, apud subditos vigeat atque floreat, de quo etiam primo loco agemus. Sit ergo

MEMBRVM I.

DE CVRA MAGISTRATVS CIRCA SACRA.

An ad magistratum pertineat religionis cura?

§. CLXVI. Non heri, nec nudius tertius, sed jam olim dubitatum ac disceptatum fuit, *an ad magistratum politicum religionis & sacrorum cura pertineat?* quibusdam peccantibus ἐν ἐλλείψει, dum ab omni rerum ecclesiasticarum cura magistratum etiam pium & christianum arcent; quibusdam ἐν ὑπερβολῇ aberrantibus, qui καισαροπαπίαν quamdam introducunt, potestatem ecclesiasticam omnem magistratui vindicant, & inter regalia ipsorum referunt, adeoque ecclesiastico ministerio penitus oppresso omnia ad nutum & voluntatem magistratus conformant. (*) Vt ergo medium iter inter Scyllam ac Charybdin teneamus, primo omnium demonstrandum fuerit, christianum

(*) Magistratus non debet sibi in ecclesia potestatem quamdam αὐτοκρατορικὴν, nec ea, quæ sunt ministerii propria, arrogare. Athanasius in ep. ad solit. vitam agent. f. 650. adlegat epist. Hosii, in qua hæc exstant: *Ne te, imperator, misceas ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit, nobis, quæ sunt ecclesiæ, concredidit, & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ: ita & tu cave, ne quæ sunt ecclesiæ, ad te trahens magno criminis obnoxius fias. Date, scriptum est, quæ sunt cæsaris cæsari, & quæ Dei Deo. Neque ergo fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum imperator habes potestatem.* Et postea f. 654. inquit Athanasius ipse: *Si istud est judicium episcoporum, quid commune cum eo habet imperator? sin contra ista minis cæsaris constantur, quid opus est hominibus titulo episcopis, quando judicium ecclesiæ auctoritatem suam ab imperatore accepit?* Apud Suidam Leontius, Tripolis Lybiæ episcopus, ad Constantium inter episcopos præsidentem & ecclesiis præscribere volentem ait: *Miror, imperator, qui fiat, ἕτερα διέπειν τακτεῖς ἑτέροις ἐπιχειρεῖς, ut aliis curandis destinatus alia tractes, qui cum rei militari & reipublicæ præsis, episcopis ea præscribas, quæ ad solos episcopos pertinent.* Imperator itaque verecundatus ejusmodi edictis imposterum *abstinuisse fertur*. Ambrosius ep. 33 *Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ Dei Deo, quæ cæsaris cæsari. Ad imperatorum palatia pertinent, ad sacerdotia ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.* Idem ad Theodosium imp. apud Theodoretum lib. V. c. 17. *Purpura imperatores, non sacerdotes efficit.* Damascenus orat. II. de imag. ὁ βασιλέων ἐστὶ νομοθετῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ. Augustinus ep. 48. 50 165. docet, *principes legum divinarum non interpretes & magistros, sed custodes; ecclesiæ non dominos, sed nutricios & defensores esse debere.* Valentinianus lib. VII. tripart. c. 8. *Nostis aperte, evidii utique divinis eloquiis, qualem oporteat esse pontificem, & quod non deceat eum verbo solum, sed etiam vita gubernare subjectos, & totius semet ipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conversationem bonam habere. Talem itaque in pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittimus, & ejus monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessario veluti curantis medicamenta suscipiamus.* Quidam ex Calvinianis, seu potius *Remonstrantibus*, ut in Belgio vocantur, plus æquo tribuunt magistratui

ſtianum & pium magiſtratum non poſſe nec debere *ab omni religionis & ſacrorum cura* ſimpliciter excludi, ſecundo *certi limites* conſtituendi ſunt, ne eccleſiaſtici ac politici ordinis munia confundantur, ſed utrique debitæ partes relinquantur. Prius demonſtramus ſequentibus fundamentis. I.) Ex *mandatis divinis.* Magiſtratui divinitus commiſſa eſt *cuſtodia legis divinæ*, jam vero ad legem divinam pertinet non ſolum poſterior decalogi tabula de officiis proximo præſtandis, verum etiam prior de cultu divino, ejusque publico exercitio. Deut. XVII. 18. *Poſtquam ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar a ſacerdotibus levitica tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cerimonias, quæ in lege præcepta ſunt.* Joſ. I. 7. dicit Dominus ad Joſuam: *Confortare, & eſto robuſtus valde, ut cuſtodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moſes ſervus meus;* inde regi Joas in ſolemni inauguratione liber teſtimonii a Jojada pontifice datur, ut intelligat *cuſtodiam illius* ſibi eſſe commendatam: 2 Reg. XI. 12. 2. Paral. XXIII. 11. ubi vulgata ſic παραφράζει: *dederunt in manu ejus tenendam legem.* Ex quibus omnibus ſic concludimus: Cui cuſtodia legis divinæ eſt commiſſa, ad illum quoque ſpectat religionis & ſacrorum cura. Sed magiſtratui commiſſa eſt legis divinæ cuſtodia. Ergo ad magiſtratum etiam ſpectat religionis & ſacrorum cura. Ne quis excipiat, *cuſtodiam illam ad perſonam regis privatam pertinere, quod videlicet ipſe non minus quam reliqui ad obſervantiam & cuſtodiam divinorum præceptorum obligetur, ſicut alias populus jubetur cuſtodire legem divinam, hoc eſt, in mandatis divinis ambulare*; Exod. XII. 17. Lev. XI. 2. XVIII. 5. Deut IV. 2. &c. notandum, quod hæc præcepta peculiariter dentur regibus quatenus talibus, hoc eſt, in regni officio conſideratis, ut intelligant ipſos non ſolum pro ſe ad obſervantiam divinæ legis obſtrictos eſſe, ſed etiam poteſtatem officii ſui ad cuſtodiam legis divinæ adhiberi, quorſum enim alias peculiariter regibus hæc cuſtodia committeretur? ac teſtantur piorum regum exempla, ipſos hoc ſenſu verba præcepti accepiſſe

Affirmativa probatur I.) *Ex mandatis divinis.* 1.) *Deut. XVII. 18. Poſtquam ſederit rex in ſolio &c.*

ſtratui circa eccleſiæ regimen. Joh. Vytenbogardus de off. chriſt. magiſt. in eccl. p. 84. *Oportet itaque chriſtianum magiſtratum neceſſario agnoſcere pro magiſtratu ſub Chriſto etiam in eccleſia & rebus ad eccleſiam ſpectantibus ad eam regendam ac gubernandam ſecundum verbum ejus.* p. 86. *Officium magiſtratus in regimine eccleſiæ ſpeciatim ſe etiam extendit ad condendum leges & conſtitutiones eccleſiaſticas* p. 69. *Poteſtatem leges eccl. condendi, figendi & refigendi ad magiſtratum pertinere docent exempla piorum regum, Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Joſiæ & aliorum.* Caſp. Barlæus differt. p. 14. *Tantum abeſt, ut principibus ſumma in eccleſiæ negotiis juris dicendi poteſtas denegari merito debeat, ut plerique veterum tum in Dei populo ante Moſis & Aaronis tempora, tum etiam apud gentiles duo hæc munia conjuncta habuerint, ſacerdotium inquam & regnum. In Melchiſedeco res plana eſt, & quæ regni cujusdam ſpeciem habebant, in patriarcharum familiis. Inter ethnicos Diotogenes Pythagoricus tria in legitimo rege requirit, ut belli dux ſit, ut judex, ut ſacerdos. Auguſtus pontificatum maximum imperio adjunxit, eumque ſecuti principes idem fecere,* Arminius art. perpend. p. 38. *Penes magiſtratum eſt leges de politia eccleſiaſtica condere.* Epiſcopius diſput. de jure magiſtr. th. XI. *Magiſtratus non ſimpliciter opus habet conſilio illorum, quibus ſacrorum adminiſtratio demandata eſt, in conficiendis decretis ſuis, aut in iis roborandis & ſtabiliendis, auctoritate, cum ſufficienter a ſcriptura conſiliis inſtructus & plenaria poteſtate, qua omnia ſolus, quando vult, exſequi poteſt, deſuper a Deo donatus ſit.* Rectius Damaſcenus orat. II. de imag. ὁ βασιλεὺς ἐσὶ νομοτεθῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ. & Ambroſius lib. V. orat. *Bonus imperator intra eccleſiam, non ſupra eccleſiam,* Caſaubonus in præfat. exercit. ad annal. Baronii. 1. *Recte quidem illud dicitur, non eſſe principum, aut civilium magiſtratuum leges novas de cultu Dei conſcientiis ferre, aut propria ſacerdotum obire munia; ſed utinam conſiderare principes vellent, aliud eſſe ſacerdotem agere, ex ambone ſcripturas interpretari, ſacramenta adminiſtrare, in nomine Chriſti ligare & ſolvere, aliud auctoritate ſua proſpicere, ut quæ ſunt ſacerdotis, agat ſacerdos, atque id rite, ut eſt a Deo juſſus. Has partes in eccleſia Dei jam inde a principio pii principes ſibi ſemper vindicarunt.* GERHARDVS.

cepisse, quod in administratione officii sui legem divinam debeant custodire. Neve quis excipiat, *posterioris tantum decalogi tabulae curam magistratui esse commissam, nequaquam vero prioris, quippe quae divinum cultum spectet, ac cujus custodia levitico sacerdotio commendata fuerit*; notandum 1.) Quod indefinite ac indeterminate Dominus loquatur, *ut discat custodire verba legis*: Deut. XVII. 18. 2.) Quod universaliter loquatur, ut custodias & facias *omnem legem* Jos. I. 7. jam vero qui dicit omne, nihil excludit: 3.) Quod in specie *legum cerimonialium* mentionem faciat, quae sunt prioris decalogi tabulae adpendices. Ergo custodia etiam prioris tabulae magistratui denegari nequit.

2.) *Ps. II, 12, Osculamini Filium.*

§. CLXVII. Conjungimus huic praecepto de custodia legis divinae illius generis praecepta reliqua: Psal. II, 10. *Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* v. 11. *Servite Domino in timore, & exsultate ei in tremore.* v. 12. *Osculamini Filium, ne quando irascatur.* Particula וְעַתָּה *& nunc*, hanc cohortationem ad reges factam cum superioribus eo modo connectit, quod considerata regni Christi divina stabilitione & confirmatione non debeant conatu prorsus irrito & frustraneo illud amplius oppugnare, sed evangelium hujus regni amplecti, doctrinae Christi in suis regnis & provinciis locum dare, ejus propagationem promovere & hac ratione, *Filium osculari*. Petrus Galatinus lib. III. de arcan. cath. verit. cap. 6. ex Midras Tehillim talem adfert expositionem: *Quid sonat illud:* Osculamini Filium? *Simile est cuidam regi, qui contra filios, seu incolas civitatis indignatus est. Iverunt ergo cives & supplices facti filio regis petiverunt, ut sua intercessione patrem sibi reconciliaret. Abiit filius, & placavit subditis patrem suum. Accesserunt postea cives regem sibi reconciliatum, ut gratias agerent, quibus rex dixit, Mihine gratias agetis? quin abite potius, & filio gratias agite, cujus intercessione vitam & omnia vestra debetis, nisi enim ille medius interveniisset, actum de vobis esset.* Sanctes Pagninus in lexico adlegat verba rabbi AbenEzrae: *Servite Domino respectu Domini, osculamini Filium respectu Messiae*, & addit, *in India morem fuisse, ut subditi regem deoscularentur*, sicut & Samuel 1. Sam. X. 1. *Saulem* regem noviter electum deosculatur. Gen. XLI. 40. *Super os tuum osculabitur omnis populus.* LXX. interpretes: ὑπακόσεται. Hieronymus: *ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Quando igitur reges jubentur *osculari Filium*, intelligitur non tam *osculum amoris* & dilectionis, quam *honoris, reverentiae & subjectionis* (*), quod huic regi sua sceptra submittere, ipsique servire & potestatem divinitus acceptam ad regni hujus propagationem & defensionem convertere debeant. Drusius in comm. ad difficiliora loca Gen. cap. 118. pag. 139. Inter genera osculorum, quae recensent Hebraei, est *osculum* גְּדוֹלָה *dignitatis seu magnitudinis.* Thanchama 23. 4. *ut cum regem recens creatum osculo recipimus & admittimus, eique homagium praestamus, de quo intelligendum illud* Psal. II. 12. *Osculamini Filium.* Proinde sic concludimus: Si reges & judices quatenus tales Domino servire ac Filium osculari jubentur, utique etiam illis cura religionis incumbit. Quomodo enim Christo sua potestate & officii administratione servirent, si in religionis negotio quod agerent, non haberent? Tunc vero Christo serviunt; ipsumque osculantur, si non ipsi solum doctrinam Christi recipiunt ac fide amplectuntur, sed etiam potestate divinitus sibi data hoc efficiunt, ut puritas doctrinae in ecclesia conservetur, idololatriae & falsi cultus aboleantur, lupi ab ovili dominico arceantur, ministri ecclesiae commode alantur &c.

3.) *Ps. XXIV. 7. Elevate portae capita vestra.*

§. CLXVIII. Ps. XXIV. 7. inquit Psaltes: *Elevate portae capita vestra, & elevate vos portae seculi, & introibit rex gloriae.* LXX.

(*) Imo & osculum *cultus religiosi* hic intelligitur, ut 1. *Reg. XIX. 18. Hos. XIII. 2. Job. XXXI. 27. Luc. VII. 38.*

LXX. interpretes reddiderunt: ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. Variæ quidem proferuntur loci istius expositiones. Quidam existimant, Davidem per προσωποποιΐαν adloqui portas templi Hierosolymitani, sicut etiam chaldaicus paraphrastes exposuit: *Levate portæ domus sanctuarii capita vestra.* Atqui tempore Davidis nondum fuit exstructum templum. Justinus Martyr exponit de *portis cœli*, quod angeli Christum adscendentem his verbis excipiant. Hieronymus & Augustinus allegorice per portas seculi intelligunt *voluptates*, quas tollendas esse dicunt, ne aditus ad regnum cœlorum per eas præcludatur. Quidam de *portis inferorum* accipiunt, quæ Christo ad infernum descendenti patere jussa sunt. Quidam referunt *ad desiderium ædificandæ domus Dei*, quod per prosopopœiam adloquatur portas domus Dei futuræ nondum existentes. Sed simplicissime verba Davidica sic accipiuntur, quod sint sedula ac gravis cohortatio ad omnes cujuscunque generis & conditionis homines, (*) cumprimis vero ad magistratus directa, ut Christi doctrinam recipiant, portas illi aperiant, & ecclesiæ hospitium concedant, unde LXX. interpretes nominatim ad ἄρχοντας referunt, qui ob quas causas portis conferantur, superius §. XII. fuit expositum. Sic ergo ex hoc dicto concludimus: Qui jubentur Christi evangelio locum relinquere & propagationi ejus inservire, illis cura religionis demandatur, quomodo enim possent absque religionis cura in evangelii prædicatione & propagatione promovenda Christo inservire? Sed magistratus jubentur Filium osculari & Deo servire, hoc est, Christi evangelio locum relinquere & propagationi ejus inservire. Ergo &c.

4.) *1. Tim. II. 1. Vt quietam*

§. CLXIX. Addimus etiam locum apostolicum 1. Tim. II. 1. *adhortor igitur obsecrationes, orationes, postulationes &c. fieri pro omnibus hominibus.* v. 2. *pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, in omni pietate & honestate.* Ex eo sic concludimus: Qui finis est precum pro magistratu a christianis fundendarum, is etiam finis debet esse magistratui in suo officio propositus. Proinde si pii subditi solicitis precibus Deum invocare debent, ut magistratum regat Spiritu suo sancto, quo sub ejus tutela & patrocinio *tranquillam & quietam vitam in omni pietate & honestate agere possint*: utique etiam magistratus ipse suo hac in parte non debet decesse officio. Sed jubet apostolus preces hoc fine pro magistratu a subditis fieri, ut in pietate & honestate tranquille & quiete sub eo vivere possint. Ergo etiam magistratui incumbit, ut hunc finem in officii sui administratione sibi præfixum habeat. Vlterius: Si magistratus in officii sui exsecutione eo spectare debet, *ut subditi in omni pietate & honestate tranquillam agant vitam*, utique etiam cura religionis ad illum spectat; sed verum prius. Ergo & posterius. Ratio consecutionis est in aperto, quia *pietas* ad priorem, *honestas* ad posteriorem decalogi tabulam pertinet; *pietas* Deum, *honestas* homines respicit; *pietas* ad vitam spiritualem, *honestas* ad civilem pertinet. Jam vero magistratui incumbit, diligenter uti curet, quo non solum *in honestate*, sed etiam *pietate* subditi vivant, id quod absque vera veri Dei cognitione & ejusdem juxta præscriptum verbi legitimo cultu fieri nequit. Vera ac Deo grata pietas non consistit cum idololatricis cultibus, blasphemiis & hæresibus; eas igitur coërcere, contra vero doctrinam Christi

vitam agamus in omni pietate.

(*) Davides nimirum per *prosopopœiam* inanimatas adloquitur portas, per *synecdochen partis* loca portis munita (vicos, pagos, oppida, urbes, ut *Genes. XXII. 17. Deuter. XVI, 5, 18.* immo & regna & regiones, coll. *Nah. III. 13.*) intelligit, eaque non incolis vacua, sed omnes potius eorum *incolas*, notissima in scripturis *metonymia*. Vt adeo sensus sit: o homines, quot estis, & quorumcunque locorum incolæ, qui portas quasi & accessus salutari evangelii verbo adhuc præclusistis, excitamini ex illo vestro torpore! *capita vestra* animosque *erigite v. 9. Luc. XXI. 28.* & submisso atque læto animo regem illum vestrum ac redemtorem suscipite. Vid. MARTINI GEJERI, nec non Jo. HENR. MICHAELIS *adnotationes ad h. l.*

Christi promovere debet pius magistratus, ut ad scopum ab apostolo propositum pertingat. Atque huc respexit pientissimus ac laudatissimus Saxoniæ elector Augustus, vere augustus, quando in constitutione ecclesiastica f. 288. generales articulos sic orditur: *Nachdem wir als ein Christlicher Fürst, dem nicht allein löbliche Policey, sondern auch der Kirchen Sachen vermæge tragenden und uns von Gott befohlenen Ampts, angelegen, eine christliche Visitation angestellet &c.*

II.) *Ex divinis promissis.* 1.) *Ps. XXII. 30. Pingues terræ adorabunt.*

§. CLXX. II.) Ex *divinis prædictionibus & promissis.* Psal. XXII. 30. prædicitur, quod דִּשְׁנֵי־אֶרֶץ *pingues terræ Christum adoraturi*, seque *coram ipso incurvaturi sunt*, per quos pingues intelliguntur illi, qui potentia & auctoritate, honore & opulentia aliis antecellunt, quibus opponuntur *pauperes*, & *qui in pulverem descendunt.* Psal. XLVII. 10. נְדִיבֵי *optimates populorum adgregati sunt populo Abraham, Deo adjungent se præsidia terræ, vehementer elevatus est*, scilicet Deus. LXX. interpretes ad scuta seu protectores terræ elevationem retulerunt, ὅτι τῷ Θεῷ οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν, ita quoque Latina: *quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, ut & Chaldæus: *quoniam coram Deo scuta terræ vehementer exaltata sunt.* Sed verbum נַעֲלָה ponitur in *singulari*, & in præcedente verbo אֶרֶץ est accentus *Rebija* incisum majus constituens, rectius igitur statuitur quædam ellipsis: *Dei ipsius sunt scuta terræ*, Deo adhærebunt scuta terræ, vel quod commodius est, verbum נֶאֱסָפוּ ex præcedente membro repetendum: *Deo ipsi adgregabuntur scuta terræ, vehementer elevatus est Deus apud ea.* Tigurini reddiderunt: *quoniam diis protectoribus terræ longe superior est*, acceperunt מָגִנֵּי לְאֵל׳הִים per adpositionem; sed in proxime præcedente sententia אֵל׳הִים de vero Deo accipitur, & scopus ostendit, verum ac genuinum sensum hunc esse, quod non pauci nec plebeji solum, sed etiam proceres & optimates, scuta & capita terræ, magnates ac potentes sint Christum agnituri, verbum ejus recepturi & vero Deo Abrahæ per ejusdem fidei consortium sese juncturi. Psal. LXVIII. 23. *Dixit Dominus* מִבָּשָׁן *ex Basan redire faciam.* Quidam *proprie* accipiunt vocem *Basan* pro regione Ogi regis in parte Moabitarum, atque his verbis celebrari existimant insignem illam victoriam, quam divino beneficio Israëlitæ ex Ogo rege Basanis reportarunt. Quidam *tropice* accipiunt pro conversione quorumdam ex Judæis: sed regio Basan pascuorum commoditate ac terræ fructuum magnitudine, copia & laude celebris fuit, unde factum, ut animalia ibi pascentia fuerint pinguiora, robustiora & grandiora, ideo per Basan *synecdochice* intelliguntur homines potentes & divites; Psal. XXII. 13. Am. IV. 1. continet igitur hic locus vaticinium de conversione magnatum ac potentum ad Christi regnum.

2.) *Ps. XLVII. 10. Optimates populorum adgregati sunt.*

Ps. LXXII. 10. *Reges maris & insularum munus reddent*, v. 11. *& incurvabunt se ei omnes reges.*

3) *Ps. LXXII. 11. Reges se illi incurvabunt.*

Ex quibus sic concludimus: De quibus peculiaria exstant vaticinia, quod nomen suum Christo sint daturi, verbum ipsius fide amplexuri, & regno ejus sese adgregaturi, ex illorum conversione magnus & peculiaris aliquis ad ecclesiam redundat fructus. Sed de regibus & magnatibus peculiaria exstant vaticinia, quod nomen suum Christo sint daturi, verbum ipsius fide amplexuri, & regno ejus sese adgregaturi. Ergo &c. Vlterius, si ex regum & magnatum conversione magnus & peculiaris aliquis ad ecclesiam redundare debet fructus, utique ad illos etiam spectat potestatem suam ad propagationem evangelii ac regni Christi convertere. Sed verum prius, ergo & posterius. *Connexio* probatur, quia fructus, qui ex conversione regum & magnatum ad ecclesiam redit, non solum in eo consistit, quod *exemplo* suo alios ad evangelium Christi amplectendum provocant, sed etiam quod subditos suos Christo adducunt; ecclesiæ *hospitium* in suis ditionibus parant, & pro-

pagationem evangelii ſua poteſtate promovent. Cumprimis vero huc pertinet illuſtre vaticinium. Eſa. XLIX. 23. *Erunt reges nutritii tui, & reginæ eorum nutrices tuæ.* Antecedentia oſtendunt, proponi vaticinium de converſione gentium ad regnum Chriſti, cui generali vaticinio ſubjungitur ſpeciale de converſione regum ac magnatum addito peculiari fructu, qui ex illorum converſione ſit redundaturus ad eccleſiam, quod videlicet reges futuri ſint nutritii, אֹמֵן ſignificat *nutritorem, alitorem,* item *curatorem, tutorem ac diſpenſatorem,* a radice אָמַן *fidelis fuit,* quia tutor ac nutritor alterius filium in ſuam fidem & clientelam recipit: Num. XI. 12. 2. Reg. X. 1. Eſth. II. 7. Targum reddidit תּוֹרְבְּנָא LXX interpretes: τιθηνοὶ. De reginis dicitur, quod futuræ ſint מֵינִיקוֹת *nutrices ac lactatrices eccleſiæ.* LXX. interpretes: τροφοὶ. Comparatur eccleſia orphanis & pupillis, quorum curam, tutelam & patrocinium pius magiſtratus debet ſuſcipere, miniſtris eccleſiæ de ſuſtentatione & ſalariis proſpicere, ut impleatur vaticinium huic ipſi parallelum: Eſa. LX. 10. *Reges miniſtrabunt tibi,* v. 16. *ſuges lac gentium & mammilla regum lactaberis.* Noverit igitur magiſtratus eccleſiæ omni humano præſidio utplurimum deſtitutæ curam ac clientelam ſibi velut tutoribus ipſius Dei voce hoc loco eſſe commendatam.

4) *Eſ. XLIX. 23. Erunt reges nutritii tui.*

III.) *Ex encomiis magiſtratui datis.*

§. CLXXI. III.) Ex *adpellationibus & encomiis* magiſtratui adtributis. Magiſtratus dicuntur *Elohim, dii:* Exod. XXI. 6. Pſal. LXXXII. 6. Ergo ut Dei vicarios ſeſe gerant, & gloriam Dei unice promoveant, id vero commodius fieri nequit, quam ſi diligentem religionis & eccleſiæ curam geraut. Dicuntur *paſtores:* Eſa. XLIV. 28. Jer. XLIX. 19. Ergo curent, ut ſubditi ad paſcua ſalutaris ac ſalutiferæ doctrinæ deducantur. Qui magiſtratui & quidem chriſtiano unicum illum atque ultimum finem propoſitum eſſe debere exiſtimant, ut externam duntaxat felicitatem atque tranquillitatem in hac vita eis procuret, illorum vocem non aliter audire debemus, quam ſi magiſtratum bubulcum atque opilionem adpellarent. Quemadmodum enim armentorum atque gregum præfectus ſuo ſatis perfunctus eſt officio, ſi de commodis paſcuis illis proſpiciat, etiamſi catervatim poſtea ad lanienam abducantur: ſic ejusmodi homines magiſtratum officii ſui partes peregiſſe omnes exiſtimant, ſi de corporum cura ac tutela ſubditis recte caveat, etiamſi animæ ipſorum miſere langueant, & in languore iſto æternum pereant. Vocantur *patres:* 1. Sam. XII. 15. Quemadmodum igitur parentibus incumbit liberis non ſolum de victu & amictu proſpicere, ſed eosdem etiam ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου educare; Eph. VI. 4. ita quoque magiſtratui incumbit non ſolum de externa tranquillitate & pace, ſed etiam de ſubditorum in vera religione inſtitutione eſſe ſolicitum. Si ad officium chriſtiani parentis pertinet cura religionis in familia & domo ſua inſtituendæ; utique etiam ad magiſtratum, qui eſt pater patriæ, pertinet, in ſuo regno religionem promovere. Vocantur *ſcuta terræ:* Pſal. XLVII. 10. ergo pertinet ad officium magiſtratus eccleſiæ defenſionem ſuſcipere, & a perſecutorum violentia eandem ſua auctoritate ac poteſtate tueri.

§. CLXXII. IV.) Ex *probatis regum ac magiſtratuum exemplis.* Ex *Moſes,* de quo Deut. XXXIII. 5. dicitur, quod *officium regis* in populo Iſraëlitico adminiſtraverit, divina auctoritate religionem in populo Iſraëlitico conſtituit, legem divinitus acceptam promulgavit, Aaronem ſacerdotem & ipſius filios initiavit, leges tum toti populo, tum ſacerdotum ordini præſcripſit. Exod. XX. Levit. VIII. & X. Numer. III. &c. De *Ioſepho,* Ægypti prorege, dicitur Pſal. CV. 22. quod *principes Pharaonis erudierit, ſicut ſe ipſum, & ſenes ejus ſapientiam docuerit,* ex quo recte colligit Auguſtinus in comm. quod Ægyptios in vera religione

IV.) *Ex probatis regum ac magiſtratuum exemplis.*

gione inſtitui curaverit: *Vnde fieri poſſit*, (inquit,) *ut vir tantus unius veri Dei cultor in Ægypto alendis tantummodo corporibus & rebus tantum corporalibus gubernandis eſſet intentus, & quo eos meliores redderet, curam non haberet animorum? Ioſua*, ſucceſſor Moſis, deductionem arcæ Levitis præcepit, renovavit fœdus inter Deum & populum, ac plurima, quæ ad religionis & cultus divini conſtitutionem pertinent, ſuſcepit Joſ. V. 8. 24. *Saul abſtulit magos & hariolos de terra*, 1. Sam. XXVIII. 9. juxta præceptum divinum: Levit. XX. 27. Deut. XVIII. 11. *David* arcam Domini ex ædibus Obededom reduxit 1. Sam. VI. 12. 1. Paral. XIII. 2. vaſa aurea, argentea & ærea hoſtibus erepta, vel in ſignum ſubjectionis ab ipſis donata, Domino ſanctificavit, 2. Sam. VIII. 11. exemplum proponens omnibus gubernatoribus, ut de ſuis facultatibus ad conſervationem miniſterii & propagationem cultus divini aliquid conferant, *conſtituit coram arca Domini de Levitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent & laudarent Dominum Deum Iſraëlis*, 1. Paral. XVI. 4. præparavit neceſſaria ad templi ſtructuram, 1. Paral. XXII. 2. officia Levitarum per certas vices diſtribuit. 1. Paral. XXIII. 4. & ſeqq. *Salomon* ab officio removit Abiatharem, ſummum ſacerdotem, ac Sadocum in illius locum ſubſtituit, 1. Reg. II. 27. exſtruxit templum Hieroſolymitanum, 1. Reg. VI. 1. & ſeqq. arcam Domini magna ſolemnitate in illud deduxit, ac precibus & ſacrificiis illud ſanctificavit. 1. Reg. VIII. 1. Paral. VI. *Aſa*, rex Juda, *fecit, quod bonum & placitum erat in conſpectu Domini, ſubvertit altaria peregrini cultus & excelſa, & confregit ſtatuas, lucosque ſuccidit, abſtulit effæminatos de terra, purgavitque univerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres ejus.* 1. Reg. XV. 12. 2. Paral. XIV. 3. *Intulit ea, quæ ſanctificaverat pater ipſius, & ſancta pertinentia in domum Domini, argentum, aurum, & vaſa;* 1. Reg. XIV. 15. *ac præcepit Iuda, ut quæreret Dominum Deum patrum ſuorum, & faceret legem & univerſa mandata*: 2. Paral. XIV. 4. *renovavit altare Domini & ſubditos fœdus cum Deo inire, idque juramento confirmare juſſit.* 2. Paral. XV. 8. & ſeqq. *Ioſaphatus*, Aſæ filius, *excelſa & lucos de filiis Iuda abſtulit*, 2. Paral. XVII. 6. *ac miſit principes & ſacerdotes, qui circumirent in toto regno, ac populum in lege Dei inſtituerent*, v. 7. hoc eſt, abolevit cultus idololatricos, inſtituit reformationem, & viſitatores ablegavit, quin & ipſe *egreſſus ad populum de Berſabee usque ad montem Ephraim revocavit eos ad Dominum Deum patrum ſuorum;* 2. Paral. XIX. 4. *conſtituit inſuper ſacerdotes & Levitas & principes familiarum ex Iſraël ad judicium Domini & controverſias ejus, illisque certa præcepta propoſuit.* v. 8. & ſeqq. *Ioas* inſtauravit ruinas templi. 2 Reg. XII. 4. 2. Paral. XXIV. 4. *Ezechias diſſipavit excelſa, contrivit ſtatuas, ſuccidit lucos, confregit ſerpentem æneum, cui Iſraëlitæ adolebant incenſum;* 2. Reg. XVIII. 4. *aperuit valvas domus Dei, & inſtauravit eas*; 2. Paral. XXIX. 3. *inſtituit reformationem cultus & repurgationem templi, iniit fœdus cum Domino, & conſtituit Levitas in domo Domini cum cymbalis & pſalteriis*; v. 5. 10. & 25. celebrationem paſchatos in uſum revocavit, & populum ad verum Dei cultum reduxit; c. XXX. ſacerdotum officia diſtribuit, & decimas illis adſignavit. c. XXXI. *Ioſias* librum legis ab Helcia ſacerdote repertum publicavit, & univerſo populo prælegi curavit, præcepit etiam ſacerdotibus, ut vaſa idololatrica templo ejicerent, delevit Camarim, quos poſuerant reges Juda ad adolendum in excelſis, atque inſtrumenta idololatriæ e medio removit; 2. Reg. XXXIII. 2. Paral. XXXIV. fecit Domino Phaſec, ſacerdotes in officiis ſuis conſtituit, eosque hortatus eſt, ut miniſtrarent in domo Dei. 2. Paral. XXXV. *Nabuchodonoſor*, rex Babylonis, publico edicto verum Deum Iſraëlis coli præcipit, & blaſphemias contra Deum ſub pœna mortis prohibet. Dan. III. 29. Ex quibus omnibus ſic concludimus: Quod congruit probatis exemplis & factis piorum regum vet. teſt. illud in magiſtratu chriſtiano nequaquam eſt improbandum. Sed curam religionis & di-

vini cultus suscipere convenit exemplis & factis piorum regum vet. test. Ergo. Circa *adsumtionem* observetur, quod nuspiam commemorata regum Israëliticorum facta a Spiritu sancto improbentur, quin contra potius hoc nomine commendantur, *quod fecerint ea, quæ grata & placentia in oculis Dei*, ac reprehenduntur illi, *qui non abstulerunt lucos & excelsa*; quo ipso innuitur, negligentes illos in suo officio fuisse, qui idololatricos cultus non abstulerint. Hisce piis vet. test. regibus christiani imperatores etiam adnumerandi sunt: *Constantinus magnus* laudibus ob id deprædicatur maximis, quod edicto publico templa idolis ethnicorum consecrata occluserit, christianis de libertate religionis caverit, stipendia piis doctoribus constituerit, & propter hæresin Arianam Nicænum concilium convocaverit. Idem in epistola ecclesiis scripta post synodum Nicænam apud Eusebium lib. III. de ipsius vita p. 891. *Putavi mihi ante omnia id enitendum esse, ut in ecclesia fides una felicissimi populi sincera caritas & religio erga auctorem omnium Deum nusquam discrepans observetur.* Marcianus imperator in prima sessione concilii Chalcedonensis sic adloquitur sanctam synodum: *Cum primum per electionem in regnum de secreto Dei provecti sumus, inter tantas publicas utilitates nullum magis nos constrinxit negotium, quam rectam & veram fidem christianorum, quæ sancta & veneranda consistit, indubitatam omnibus declarare.* Socrates in procem. lib. V. hist. scribit, se propterea in historia ecclesiastica mentionem imperatorum fecisse, *quod ex illo tempore, quo christiani esse cœperunt, ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sint, & maxima concilia de eorum sententia convocata.* Theodosium hoc nomine commendat Ambrosius, quod morti vicinus *potiorem ecclesiæ, quam imperii curam egerit.* Justiniani vox memoratu digna exstat novell. 3. *Non minor nobis cura est horum, quæ sanctissimis ecclesiis prosunt, quam ipsius animæ.* Carolus magnus confecto bello difficili ac diuturno, quo Saxones ad Christi agnitionem cultumque traduxit, episcopatus complures apud ipsos instituit. (*)

§. CLXXIII. V.) Ex *rationibus.* 1.) Quibus commendata est reipublicæ salus, illis etiam commendata intelliguntur ea, absque quibus respublica salva consistere nequit, quia finis præsupponit media ad eum ducentia. Sed magistratui commendata est reipublicæ salus. Ergo etiam ipsi commendata sunt ea, absque quibus respublica salva consistere nequit. Inter ea vero eminet religionis & sacrorum cura, unde Philosophus lib. VII. pol. cap. 8. inter ea, ὧν ἄνευ πόλις οὐκ ἂν εἴη, curæ religionis, quam ipse vocat περὶ τῶν θείων ἐπιμέλειαν principem locum adsignat. Plato etiam lib. II. de rep. *præcipuam curam in republica de religione suscipiendam esse* dicit. Ac nititur hæc philosophi sententia optimis rationibus. Religio est *societatis humanæ fundamentum*, Cicero lib. II. de nat. deor. Est *magistratus propugnaculum*; Plato lib. IV. de rep. *est vinculum* V.) *Ex rationibus.*

(*) Hispanorum historiæ regem commemorant Reccaredum, Wisigothum, qui miseratione divina factus orthodoxus de Ariano, veram fidem in regno suo circa annum Christi 589. curavit recipiendam. Ipse igitur synodum cogere, ipse interesse, ipse tridui jejunium episcopis indicere, ipse confessionem scribere, & firmandam synodo exhibere. Adgarum, Angliæ regem, qui circa annum Christi 959. habenas regni suscepit, celebrant historiæ Anglicanæ, non solum ut principem pium, sed etiam de conservanda pietate solicitum. Is rex in oratione quadam ad ecclesiarum & monasteriorum patres hæc verba inter cetera habuit: *Sed & meæ solicitudinis est, ecclesiarum ministris, gregibus monachorum, choris virginum & necessaria procurare, & paci eorum & quieti consulere, de quorum omnium moribus spectat ad nos examen*; ut referunt Albertus Ricwalensis in epist. ad illustrem Normannorum ducem, postmodum regem, & Guilielm. Rishanger in chronico. (Jesuita Parsonius magna temeritate *nos* mutavit in *vos*, sed omnes antiquæ membranæ habent *nos*, ut Robertum Cotionem sibi ostendisse, refert Casaubonus in præfat. exerc. ad ann. Baronii.) Exstat etiam synodus provincialis regis ejusdem jussu coacta, quam Dunstanus episcopus describens Adgarum in præmio dilaudat, ut regali officio ea in re functum veluti pastorum pastorem. GERHARD.

culum legum & honestæ disciplinæ; idem lib. VIII. de legib. nec ulla re magis tam qui parent, quam qui imperant, in suo contineri possunt officio, quam religione & Dei metu. Carolus de Marill. episcopus Viennensis in conventu Fonteneblicano dixit, *regnâ duabus præcipue niti columnis, veræ religionis exercitio & subditorum benevolentia, quæ ex veræ religionis cognitione oriatur, & clementi gubernatione comparetur.* Osiander in hist. anno 1560. Contra vero sublata religione tollitur erga Deum pietas, sublata pietate fides ac justitia ex societate humana tolluntur; Cicero lib. I. de nat. deor. Excusso ex animis hominum Dei metu, immanitate ac scelere omnia complentur. 2.) Cui cura & tutela reipublicæ est commissa, is avertere debet ea, quæ rempublicam possunt ac solent evertere. At magistratui cura & tutela reipublicæ est commissa. Ergo avertere debet ea, quæ rempublicam solent evertere, inter quæ cum falsa religio & cultus idololatricus locum facile principem obtineant, de eorum abolitione magistratum pium ac christianum vel maxime convenit esse solicitum. *Veri Dei ignoratio est praesentissima pestis rerumpublicarum*; inquit Plato lib. X. de legib. 3.) Maximum reipublicæ momentum ac fulcrum consistit in honestis legibus. Atqui religio est bonarum legum fons & origo; Plato lib. VI. de legibus. ἐστὶ συνεκτικὸν πάσης κοινωνίας, καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα, *vinculum omnis societatis; & fulcrum legum recte sanciendarum.* Ergo de religione solicitum oportet esse magistratum, si salvam velit esse rempublicam. 4.) Qui magistratui religionis curam incumbere negant, pessime ecclesiæ saluti consulunt. Quid enim si pastor degeneret in lupum, an christianus magistratus non habebit potestatem eum coërcendi? quid si episcopi fiant negligentes, nec præsint ecclesiæ juxta præscriptum verbi, num magistratus non habebit potestatem eos corrigendi? hac ratione periclitabitur ecclesiæ salus. Huc referimus etiam 5.) communem gentium consensum ex lumine naturæ ortum. Nam & gentilium nomothetæ inter leges politicas etiam aliquas de religione tulerunt, nimirum quia persuasum ipsis fuit, ad magistratum potestate ferendarum legum instructum curam religionis pertinere vel maxime.

§. CLXXIV. VI.) Ex *veterum ecclesiae doctorum actis & pronunciatis.* Constat ex libr. Augustini contra Petilianum & Parmenianum & ex epist. CLXII. Donatistas adcusasse Cœcilianum, Carthaginensium episcopum, apud Constantinum imperatorem, qui causam primum remisit ad Melchiadem, episcopum Romanum, apud quem victi rursus ad imperatorem provocarunt, nec ille provocationem eorum a se rejecit, sed negotium Arelatensi episcopo commisit, a quo denuo sunt condemnati, nec ibi quieverunt, sed ad imperatorem iterum provocarunt, qui eos audivit, causam cognovit, illos damnavit, & sententia sua Cœcilianum absolvit. Quod si ergo causa religionis non pertinet ad magistratum, cur orthodoxi eam imperatori commiserunt? cur imperator ejus cognitionem suscepit? Augustinus epist. XLVIII. ad Vincentium, non longe a principio: *Non invenitur exemplum in evangelicis & apostolicis literis aliquid petitum a regibus terrae pro ecclesia & contra inimicos ecclesiae, quis negat non inveniri? sed nondum implebatur illa prophetia: Et nunc reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore. Adhuc enim implebatur, quod in eodem psalmo legitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? adstiterunt reges terrae & principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Veruntamen si facta praeterita in propheticis libris figurae fuerunt in rege illo, qui adpellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus figuratum est; & quod sub apostolis habuit, & quod nunc habet ecclesia. Temporibus itaque apostolorum & martyrum illud implebatur, quod figuratum est, quando rex memoratus pios & justos cogebat adorare simulatra, & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulo post in eodem* VI.) *Ex patrum dictis.*

rege

rege figuratum est, cum conversus ad honorandum Deum verum decrevit in regno suo, ut quicunque blasphemaret in regno suo Deum Sadrach, Mesach & Abednego, pœnis debitis subjaceret. Prius ergo tempus illius regis significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt christiani pro impiis. Posterius vero tempus illius regis significavit tempora posteriorum regum jam fidelium, quos patiuntur impii pro christianis. Et postea circa medium epist. *Serviant reges terrae Christo etiam leges ferendo pro Christo. Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis & fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio: quando autem veritatem praedicat errantibus & discordantibus, cordatis utilis admonitio est, & insensatis utilis adflictio. Non est tamen potestas, nisi a Deo &c. Sive enim potestas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa, qui fuerit emendatus; sive inimica veritati in aliquem saeviat, laudem habet ex illa, qui victor fuerit coronatus.* Epist. L. ad Bonif. comitem circa medium: *Quod dicunt, qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petisse a regibus terrae apostolos talia, non considerant, aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes &c. nondum autem agebatur, quod paulo post in eodem psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, servite Domino &c. Quomodo ergo reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quae contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter, qua vero etiam rex est, servit leges justa praecipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo; sicut servivit Ezechias lucos & templa idolorum & illa excelsa, quae contra Dei praecepta fuerant constructa, destruendo: sicut servivit Josias talia & ipse faciendo: sicut servivit rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo: sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili revocando. In hoc ergo serviunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere, nisi reges &c. Posteaquam cœpit impleri, quod scriptum est: & adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient illi; quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, a quo tueatur, vel oppugnetur ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus; quibus dici non potest: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus esse? Cum enim datum sit homini liberum arbitrium, cur adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? an fidem non servare levius est animam Deo, quam fœminam viro? aut si ea, quae non contemtu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda sunt?* Lib. III. contra Cresc. grammaticum cap. 51. *In hoc reges, sicut eis divinitus praecipitur, Deo serviunt, in quantum reges sunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam, quae ad divinam religionem.* Tractat. II. in Johan. *Mirantur,* (Donatistæ) *quia commoventur potestates christianae adversus detestandos dissipatores ecclesiae; si non ergo moverentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat caritas vestra, quid dicam, quia pertinet hoc ad reges seculi christianos, ut temporibus suis pacatum velint matrem suam ecclesiam habere, unde spiritualiter nati sunt.* Lib. II. contra epist. Gaudentii cap. 21. *Ad docendum populum Israël* (scripserat Gaudentius Donatista) *omnipotens Deus prophetis praeconium dedit, non regibus imperavit; salvator animarum Dominus Christus ad insinuandam fidem piscatores, non milites misit.* Respondet Augustinus,

nus, *ad curam regis pertinuisse, ut Ninivitæ Deum placarent, cujus iram propheta adnunciaverat,* & addit: *Quamdiu vos non tenetis ecclesiam, quam prænunciaverunt piscatores, apostoli plantaverunt, tamdiu reges, qui eam tenent, rectissime ad suam curam judicant pertinere, ne vos adversus eam rebelletis impune. Nam Deus & reges habuit inter prophetas, David quippe sanctus rex fuit, audite itaque prophetantem regem, & nullum religiosum regem formidabitis irascentem.* (*) Leo Epist. IX. ad Theodosium: *Pro integritate fidei christianissimum principem convenit esse solicitum.* Epist. XII. *Quantum rebus humanis consulere divina providentia dignetur, solicitudo clementiæ vestræ Spiritu Dei incitata demonstrat, quæ in catholica ecclesia nihil impacatum, nihil vult esse diversum, quoniam fides, quæ non nisi una est, in nullo potest esse sui dissimilis.* Epist. LXXV. ad Leon. August. *Debes imperator incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesiæ præsidium esse collatam.* Cap. *Boni* &c. dist. 96. ex Marcello: *Boni principis est ac religiosi ecclesias contritas atque consissas restaurare, novasque ædificare, & Dei sacerdotes honorare ac tueri.* Cap. *Principes* &c. 23. q. 5. ex Isidoro lib. III. sent. cap. 53. *Principes seculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Cæterum intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævalent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleste regnum proficit, ut, qui intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam utilitas ecclesiæ exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, & ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiatur. Cognoscant principales seculi se Deo debere esse reddituros rationem propter ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit.* Cap. *Administratores* &c. caus. & quæst. iisdem: *Administratores secularium dignitatum ad ecclesiarum tuitionem constituti esse debent.* Huc referri potest, quod elector Trevirensis in electione Caroli V. anno 1519. dixit, *statum reipublicæ desiderare talem imperatorem, qui præter alia constituat, & emendet reipublicæ statum:* quod & Moguntinus elector admonuit. Sleidanus lib. I. comm. f. 24. anno 1520. b. Lutherus ad Carolum imperatorem scripsit, *confugere se Athanasii exemplo ad ipsum, velut ad aram præsidiumque legum, orare, ut doctrinæ christianæ tutelam suscipiat, seque contra vim & injuriam omnem defendat, quousque de causa constiterit, hoc ad officium ipsius pertinere.* Sleidanus lib. II. comm. f. 42. anno 1521. In literis ad Fridericum, Saxoniæ electorem, *vehementer sibi gratum esse* scribit, *quod cæsar hujus causæ, quæ publica sit, cognitionem ad se recipiat.* Sleidanus lib. III. f. 55. In recess. imperii in comit. August. anno 1530. §. *Nachdem aber* &c. imperator adpellatur *supremus ecclesiæ patronus, der oberiste Voigt der Christenheit.* Anno 1533. protestantes legato pontificio, Hugoni Rangono, quem cæsaris legatus comitabatur, inter cætera in hanc sententiam responderunt: *Cum postulato ac desiderio*

(*) Anno 813. tempore Caroli magni & Leonis tertii habita fuit synodus Cabilonensis in Gallia, cujus canones ab episcopis & abbatibus imperatori Carolo ad correctionem, vel confirmationem oblati fuerunt. Sic enim habet illius concilii præfatio: *Auxiliante Domino nostro Jesu Christo & imperante serenissimo atque inclyto Augusto Carolo convenimus episcopi & abbates totius Galliæ Lugdunensis in urbem Cabilonensem, & de quibusdam rebus, in quibus nobis emendatio necessaria videbatur, quædam capitula, quæ subter inserta sunt, eidem domino imperatori præsentanda, & ad ejus sacratissimum judicium referenda adnotavimus, quatenus ejus prudenti examine ea, quæ rationabiliter decrevimus, confirmentur, sicubi minus egimus, illius sapientia suppleatur.* Gerhard.

derio tum cæsaris, tum ordinum imperii pontifex nondum satisfaciat; orare se plurimum, ut cæsar considerata causæ magnitudine, quæ universam rempublicam & omnes nationes complectitur, det operam, ut legitime res agatur, nam hoc ipsius esse officium, eique licere legibus, quando videlicet pontifex veritatem impugnat. Sleidanus lib. VIII. comment. f. 233. Vide etiam Brentium in præf. apol. conf. Wirtemb. contra Petrum a Soto.

§. CLXXV. Ad has generales rationes respectu protestantium principum accedit quædam specialis, videlicet constitutio pacificationis Passavienſis, qua cautum est, ne *jurisdictio ecclesiastica* ab episcopis pontificiis adversus Augustanæ confessionis socios exerceretur. Vigore hujus constitutionis *jura episcopalia* in provinciis statuum evangelicorum non amplius episcopis, eorumque officialibus, sed principibus jus territorii habentibus competunt. Quæcunque igitur ad jus episcopale pertinent, ea vigore hujus decreti principes evangelici in suis territoriis exercent, ea tamen ratione ac moderamine, ut quædam ad jus illud spectantia immediate per se ipsos, quædam per judicium ecclesiasticum, sive consistorium, quædam per superintendentes suos exerceant, qua de re in loco de ministerio latius fuit dictum.

Antithesis anabaptistarum & pontificiorum.

§. CLXXVI. Anabaptistæ fingunt primæ tabulæ custodiam magistratui non esse demandatam, dicentes, *ad magistratus civilis judicia non pertinere fidem atque infidelitatem, quæ sint res spirituales, non civiles; falsas doctrinas & impios cultus non esse potestate civili abrogandos, vel amovendos, nec auctores eorum & disseminatores puniendos. Magistratus officium non pertinere ad ecclesiam Christi.* In colloq. Embd. *Negotia de doctrina ecclesiæ Dei judicio esse relinquenda juxta consilium Gamalielis. Act. V. coalitionem ad pietatem, ad fidem, ad sacras conciones, ad orationem, ad usum cœnæ efficere hypocritas, & idcirco neminem a magistratu esse cogendum, fidem gratuitum esse Dei donum, idcirco non esse opus animadversione ulla magistratus,* & quæ similia Monasterienses, cæterique anabaptistici gregis duces, sive scriptis, sive aperta quondam prodiderunt voce, de quibus vid. Bullingerus & Wigandus. Pontificii a cura religionis & sacrorum magistratum penitus excludunt, vel si dicis causa admittunt, exsecutorem eorum, quæ a clero statuta sunt, duntaxat faciunt. (*) Cum Carolus V. imperator de dissidiis religionis solicitus colloquia & conventus institueret, concilium promitteret, ac pacem ecclesiæ reddere laboraret, graviter hoc nomine a Paulo III. pontifice Romano, fuit reprehensus, qui literas ad ipsum dedit 24. August. anno 1544. in quibus inter cætera sic scribit: *Cum de concilio generali tanquam de remedio omnium opportunissimo adflictis ecclesiæ rebus & ipsius Germaniæ mentionem facis, vel de nationali, vel de futuro ad proximum autumnum imperiali conventu, in quo de religione, cæterisque rebus, quæ ad illam pertinent, tractare promittis, ita agis, ita statuis, ut supprimas ejus nomen ubique, cui divina & humana jura, adprobante tot seculorum consensu, supremam cum cogendi concilia, tum statuendi de his & ordinandi, quæ ad ecclesiæ unitatem utilitatemque spectant, auctoritatem dederunt.* Postea comparat institutum imperatoris *facto Vsiae arcae ruinam minanti manum admoventis, seditioni Core, Dathan & Abiran adversus Mosen & Aaronem; temeritati Vsiae incensum in altari adolentis,* & addit: *An non putas hoc incensum esse coram Deo leges de religione sancire? Est quidem incensum, idque omnium Deo gratissimum, sed non est tuum munus illud, imperator, est sacerdotum Domini, est*

(*) Principes, qui res ecclesiasticas adtingunt, Baronius ubique maledictis incessit, ausus etiam reges veteres Francorum eam ob causam comparare latronibus in sylvis, anno Domini 855. Principum fideles consiliarios, qui jura suorum regum adversus curiam Romanam defendunt, locis innumeris terrimæ damnat hæreseos, neque aliud occurrit frequentius in posterioribus tomis, quam hæreseos politicorum dirissima detestatio. GERHARD.

est nostrum inprimis, quibus Deus potestatem ligandi & solvendi dedit. Nec te excusat, (inquit) *quod sanctum sit factum, vel quod non perpetuum, sed ad tempus, hoc est, usque ad futurum concilium duraturas leges laturum te esse dicas, ut enim id per se pium sit, tamen in eo, cui Deus hoc ministerium non dedit, maxime est impium. Sumis enim tibi jam personam, quae propria est Dei, cui solum de sacerdotibus judicium relinquitur, quam ne ad tempus quidem cuiquam sumere licet.* Et postea: *Si pluribus dissuasimus, ne in disceptationes super his, quae ad religionem pertinent, componendas jus tibi vel auctoritatem sumeres, non ob id scripsimus, quod disceptationes componi non maxime optaremus, sed ut exemplis tum ex divina scriptura, tum ex ecclesiasticis historiis citatis te admoneremus, ne quod ad tuum ministerium non pertinet, ipse tibi arrogares, & pro tua & imperatoria dignitate juberes &c. Quod prae te fers studium & desiderium, ut componantur controversiae in religione, & ut aliqua disciplina morum in universa ecclesia renovetur, te in hoc quidem magnopere laudamus, & abs te petimus, ut in hoc operam tuam praebeas, ceu cui Deus curam hujus ministerii commisit. Vt enim in te tanquam caput in rebus hujusmodi tractandis minime ferendum censemus, ita tanquam brachii adcommodatissimi tuam inprimis opem desideramus.* Concludit tandem: *Obtemperabis Dei monitis, si ita animum inducas, nullum ut in iis, quae ad religionem pertinent, tibi jus & auctoritatem vindices, si divinam institutionem & ecclesiae consuetudinem sequens ab ipsis conventibus imperialibus, a quibus adsunt, qui auctoritatem de ejusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de sacerdotibus ac de religione disputationes prorsus excludas, & ad eorum proprium tribunal rejicias, si de bonis ecclesiasticis nihil statuat.* Videatur integra epistola apud Wolffium tom. II. lect. memorab. p. 539. Cens. Colon. anno 1560. edit. art. XII. sic differit: *Illud est certum, alienum esse a principe rempublicam administrante definire dubia circa fidem, sed hoc relegandum ad solos sacerdotes, deinde hoc tantum esse officium magistratus, quoad religionis negotium, ut in eos, quos pontifices poena percellendos putant, animadvertat, imo etiamsi magistratus animadvertat, quosdam errores & abusus in rebus ecclesiasticis irrepsisse, non tamen licet illi reformationem instituere, sed sacerdotes benigne admoneantur, quod si admonitionibus nihil proficitur, summus est aliquis in ecclesia praesul, ei deferendum est id negotii.* Petrus a Soto in adsert. cath. *Si princeps conatur definire dubia de religione, tum merito audit: Vade post me Satan, scandalum mihi es.* Bellarminus lib. III. de laicis c. 17. Brentium in prolegomenis & Philippum in locis erroris adcusat, quod nimium tribuant magistratui, *quando reges esse volunt non solum custodes & defensores religionis, sed etiam judices & magistros, statuunt enim,* (inquit) *ad eos, ut ad praecipua ecclesiae membra, pertinere judicare controversias fidei, praesidere conciliis generalibus, constituere ministros, & pastores, & similia.* Ipse contra statuit, *ad magistratum pertinere non judicium de religione, sed duntaxat religionis defensionem. Tenentur,* inquit c. 18. *christiani principes non permittere suis subditis libertatem credendi, sed dare operam, ut ea fides servetur, quam episcopi catholici, & praecipue summus pontifex docet esse tenendam.* Resp. 1.) Quod Bellarminus *defensionem* religionis christiano magistratui adsignat, recte facit, sed quod a *judicio* religionis eum penitus excludit, in eo a tramite veritatis discedit. Quod enim omnibus ecclesiae membris non solum liberum est relictum, sed etiam mandatum, ab eo magistratus non est excludendus. Atqui judicium de religione & fidei articulis omnibus ecclesiae membris non solum liberum est relictum, sed etiam mandatum. Ergo ab eo magistratus non est excludendus. *Major* est manifestae veritatis, quia magistratus est praecipuum ecclesiae membrum & caput reipublicae, in qua est ecclesia. *Respublica* (inquit Optatus Milevit. lib. III. contra Parmen.) *non est in ecclesia, sed ecclesia in republica.* Minor constat tum ex *divinis praeceptis*, iisque vel *generalibus*, in quibus judicium illud sin-

gulis ecclesiæ membris tribuitur, vel explicite, 1. Cor. X. 15. XII. 13. *Vos ipsi judicate*; vel implicite, dum jubentur *cavere pseudo-prophetas*, Matth. VII. 15. *probare spiritus*, 1. Joh. IV. 1. *omnia probare, &, quod bonum est, tenere*, 1. Thess. V. 21. id quod absque judicio aliquo de religione & controversiis fidei nequit fieri; vel *specialibus*, in quibus judicium illud peculiariter magistratui tribuitur: Deut. XVII. 18. *Rex in volumine legis omnibus diebus vitae suae legat, ut discat timere Dominum.* Atqui finis hujus lectionis est, ut veritatem doctrinæ cœlestis discat, contrarios vero errores fugiat. v. 12. synedrio sacerdotis adjungitur *judex* politicus, eidemque una cum sacerdotibus judicium & definitiva sententia committitur. Tum ex *probatis exemplis*, commendantur enim Beroënses, Act. XVII. 11. quod de doctrina apostolorum judicaverint ex scripturis. Tum ex *ipsa rei natura*. Christiano magistratui reddenda erit aliquando ratio non solum de se, sed etiam de subditis fidei suæ commissis; ipsi igitur curæ esse debet, ut vera religio apud subditos propagetur & floreat: at veritatem religionis non potest nisi ex scripturis cognoscere, & inter verum ac falsos cultus discernere. Quemlibet in negotio religionis oportet esse certum ac πληροφορηθέντα. At illa πληροφορία non potest niti aliorum effatis, sed cuilibet incumbit, ut ipse ex verbo Dei de controversiis cognoscat ac judicet. (*) Bellarminus ex magistratu facit *mancipium* episcoporum & Romani pontificis; adimit enim ipsi judicium de doctrina episcoporum & pontificis, ac requirit, ut ea, quæ pontifex statuit, absque omni discussione & judicio recipiat, qua ratione ex pontifice facit *angelum* ab omni erroris periculo immunem, ex christiano magistratu facit *oves brutas*, quæ absque judicio sequuntur pastores etiam ad noxia & venenata pascua ducentes. 2) Neque tamen omne omnino judicium magistratui & quidem soli tribuimus, sed suas etiam partes ministerio ecclesiastico relinquimus. Sane magistratus debet judicare de controversiis fidei; interim tamen non suo nitatur arbitrio, sed in consilium adhibeat ministerium ecclesiasticum, convocet concilia, in illis viros pios & eruditos ex sacris literis de controversiis religionis ac fidei articulis differentes audiat, veritatem ex scripturis monstratam amplectatur ac propaget, pertinaciter errantes coërceat, id quod Nicolaus I. in epist. ad Mich. imperat. cap. *Vbinam* &c. dist. 96. magistratui diserte concedit: *Vbinam legistis*, inquit, *imperatores, antecessores vestros, synodalibus conventibus interfuisse? nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum, quae universalis est, quae omnium communis, quae non solum ad clericos, verum etiam ad laicos & omnes omnino pertinet christianos.* Sic debet pius magistratus ministros & pastores constituere, interim non debet judicium ecclesiastici ministerii de personis eligendis prætermittere, nec invitæ ecclesiæ pastores obtrudere. Neque enim tale monarchicum ecclesiæ regimen tribuimus magistratui, quale pontifici suo tribuunt Romanenses, sed statuimus ecclesiæ regimen esse aristocraticum, & singulis ecclesiæ statibus suas tribuimus partes, ut ex sequentibus erit manifestius.

§. CLXXVII. Argumenta eorum, qui ab omni religionis cura magistratum excludunt, potiora hæc sunt: I.) *Principes & magistratus seculares vindicantes sibi cognitionem de religionis doctrina fiunt similes Vsae, qui adtingendo & sustentando arcam ruituram oppressus est, quia indignatione iratus Dominus percussit eum, ut juxta arcam moreretur*; 2. Sam. VI. 6. 1. Paral. XIII. 10. *& Vsiae, qui adolendo thymiama iram Domini contra se succendit, & lepra percussus est*, 2. Reg. XV. 5. 2. Paral. XXVI. 18. Resp. distinguendum inter *temerariam* alie-

Argumenta pontificiorum.

1.) *Ab Vsae & Vsiae punitione.*

(*) Quando judicium de religione magistratui politico, ut omnibus aliis christianis adscribitur, privatum illud intelligitur & quidem non absolutum, sed secundum normam scripturæ limitatum, quale etiam doctoribus in ecclesia datum esse dicimus. GERHARDVS.

alienae vocationis usurpationem, & legitimam partium officii sibi demandati administrationem. Vsas & Vsias temere alienam vocationem invaserunt, sed quando principes doctrinam cœlestem cognoscunt, fovent ac propagari curant, officii sibi divinitus demandati partes administrant. Vsas percussus dicitur a Domino עַל הַשַּׁל *propter errorem*, propter *delictum*, Targum: דְאִשְׁתְּלִי LXX. interpretes: σφάλμα, qui error sic exponitur 1. Paral. XIII. 10. *quod miserit manum suam super arcam.* Animadvertitur autem duplex error, tum quod plaustro imposita erat arca, quam Levitæ suis humeris portare debebant, tum quod manu arcam adprehenderit, quam non erat fas tangere; Num. IV. 15. unde 1. Paral. XV. 12. David cautior factus Levitas convocat, ut arcam Domini portent: *Vos*, inquit, *qui estis principes familiarum leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & adferte arcam, ne, ut a principio, quia non eratis praesentes, percussit nos Dominus, ita & nunc fiat.* Adolere incensum itidem solis sacerdotibus mandatum erat, qui ex tribu Levi eligebantur: Num. XVI. 40. *ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino.* Ergo Vsias ab eo merito debuisset abstinere, sed cum ex fastu 2. Paral. XXVI. 16. contra sacerdotis interdictum v. 18. cœco furore percitus v. 19. in eo pertinaciter pergeret, justo Dei judicio fuit punitus.

2.) *A Christi ordinatione.*

§. CLXXVIII. II.) *Christus ecclesiam regendam Petro & episcopis commisit, non Tiberio & ejus praefectis, & per annos 300. fine ullis regibus christianis, exceptis paucissimis, qui vel brevissimo tempore imperarunt, ut Philippus caesar, vel solum in aliqua provincia, ut Lucius, rex Britannorum, ecclesia a solis episcopis & presbyteris optime gubernata est*, Bellarminus lib. de laicis c. 17. Resp. 1.) Augustinus recte monet, *distinguenda esse ecclesiae tempora*; aliam enim rationem esse illius temporis, quo completur illud Psalmi II. 1. *Quare fremuerunt gentes, adstiterunt reges terrae, & insurrexerunt contra Dominum?* aliam vero illius, quo completur illud ejusdem psalmi v. 10. *Et nunc reges intelligite, servite Domino in timore, osculamini Filium;* epist. XLVIII. & L. 2.) Tiberius fuit gentilis, a religione Christi alienus; alia vero ratio est magistratus pii & christiani, qui est ecclesiæ membrum & nutritius. 3.) Tiberio quidem non est dictum: *pasce oves meas*; interim tamen ipsi & omnibus magistratibus dictum: *Servite Domino.* Non competit magistratibus verbo prædicationis populum pascere; interim cum & ipsi dicantur *pastores*, de salutaribus pascuis & fidelibus doctoribus populo debent prospicere. 4.) Ecclesiæ regimen Petro & ipsius in officio successoribus ordinarie quidem a Christo commissum est; interim tamen, si ecclesiæ ministri vel in doctrina vacillare, vel in officio pastorali negligenter agere cœperint, pio magistratui incumbit admonitiones & correctiones adhibere, quin etiam, si in erroribus pertinaciter hæreant, cum consensu ecclesiæ loco eos movere & digniores illis substituere.

3.) *Ab ecclesiastici & politici muneris confusione.*

§. CLXXIX. III.) *Si magistratui judicium de doctrina & religionis cura tribuitur, ecclesiastici & politici muneris confusio introducitur.* Resp. nequaquam confundimus ecclesiastici & politici muneris partes, sed eas distinctas manere jubemus. Ecclesiastici muneris est verbum prædicare, sacramenta administrare, pœnitentes absolvere, impœnitentes ligare &c. eorum exsecutio ordinarie ecclesiæ ministris relinquitur; interim tamen magistratus politicus, cum sit membrum ecclesiæ & quidem præcipuum, ideo ab illa potestatis ecclesiasticæ parte, quæ toti ecclesiæ communis est, arceri neutiquam potest, cumque magistratui peculiariter incumbat, potestate divinitus sibi concessa ad propagationem religionis uti, ideo ab illa potestatis ecclesiasticæ parte, quæ externam ecclesiæ politiam spectat, non est exclusus. Magistratus non exercet artem medicam; interim tamen si quis ea arte abutatur, vel ad ejus præscriptum non

curet, merito a magistratu coërcetur: sic magistratus ipse non fungitur officio ecclesiæ ministri; interim tamen ministros ecclesiæ officii sui admonere potest, & in doctrina, vel vita enormiter aberrantes coërcere. Distinguendum igitur inter potestatem ecclesiasticam *internam & externam*; quæ distinctio colligitur ex verbis Constantini apud Eusebium lib. IV. de vita Constant. c. 24. *Vos episcopi in ecclesia, ego extra ecclesiam seu templum, episcopus a Deo constitutus sum:* illa ministris ecclesiæ in solidum relinquitur; hæc vero magistratui christiano communis est. Distinguendum inter *eorum, quae ad divinum cultum pertinent, administrationem*, & *externam eorumdem dispositionem*: illa ministrorum ecclesiæ est; hæc vero magistratus. Sicut in bene constituta familia paterfamilias omnia disponit & ordinat, sed eorum exsecutio & administratio ad œconomum & familiam pertinet: sic magistratus pius & christianus cum consensu ecclesiæ, quæ est *decus domus*, sive materfamilias, Psal. LXVIII. 13. ea, quæ ad cultus divini exercitium & veræ religionis propagationem faciunt, disponit; sed administratio eorumdem & œconomia divinorum mysteriorum ecclesiæ ministris relinquitur. Ex scriptura sacra talis colligitur analogia, quod in republica christiana minister ecclesiæ comparetur *ori*, quia *labia sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirant ex ipsius ore*; Mal. II, 7. sed magistratus politicus comparatur *manui*, quia regi Joas dederunt *in manu ejus tenendam legem.* 2. Paral. XXIII. 11. Minister prædicat verbum, utitur gladio Spiritus, & ore pugnat adversus hostes & impios. Magistratus custodit verbi præcones & confessores, vibrat gladium contra hostes christianæ reipublicæ, & manu armata eosdem oppugnat. Vt ergo oris & manuum ministeria distincta manent, licet ad eumdem finem, corporis scilicet incolumitatem conspirent: sic ministerii ecclesiastici & magistratus politici officia distincta manent, licet ad eumdem finem, reipublicæ scilicet christianæ, quæ itidem mysticum aliquod corpus constituit, salutem, tutelam & incolumitatem utraque sint directa.

4.) *Ex quadam ad absurdum deductione.*

§. CLXXX. IV.) *Si episcopis non licet administrare jura politica, utique vice versa magistratui politico non licebit administrare jura episcopalia. Sed verum prius ex hypothesi nostrorum. Ergo & posterius.* Resp. quæ ad jura episcopalia referuntur, non sunt ejusdem generis omnia: quædam enim juxta præscriptum verbi episcopis, hoc est, juxta scripturæ nomenclaturam, ministris ecclesiæ competunt, ut prædicare verbum, administrare sacramenta, pœnitentes absolvere &c. ea magistratus politicus neutiquam sibi vindicare debet, nec in ecclesiis nostris sibi vindicat. Quædam vero, juxta ejusdem verbi præscriptum magistratui christiano competunt, ut visitationem ecclesiarum instituere, synodos convocare, hæreticorum rabiem coërcere, pacem & tranquillitatem ecclesiæ procurare &c. Ea vero ad jura episcopalia referuntur, non quod juxta præscriptum verbi ad episcoporum proprie sic dictorum munus pertineant; sed quod episcopi pontificii tempore papatus excluso magistratu christiano sibi solis ea vindicarint, quæ per Passavienſem pacificationem ipsis velut injustis possessoribus erepta & christiano ac pio magistratui restituta sunt.

Quatenus cura religionis & sacrorum ad magistratum pertineat?

§. CLXXXI. Postquam igitur demonstratum est, ad pium magistratum religionis & sacrorum curam pertinere; explicandum porro erit, quatenus ea ad illum spectet, & qua ratione magistratus sese gerere debeat? ne fines alienos invadat, neve potestatem justo majorem in ecclesiasticis negotiis sibi arroget, ea, quæ toti ecclesiæ competunt, sibi soli arrogando, vel ministerii ecclesiastici partes ad se transferendo. Proclivis hic, idemque gravissimus est lapsus, sedula proinde adhibenda cautio. Finis pio & christiano magistratui in gubernatione propositus esse debet *cultus divini ac veræ religionis propagatio.* Quemadmodum enim non ad hanc solum, nec potissimum, sed etiam ac cumprimis ad futuram vitam Deus hominem condidit: ita quoque

que magistratus officium non ad hanc solum, nec potissimum, sed etiam ac cumprimis futuram vitam respicit; 1. Tim. II. 2. ideo Deus inter cætera corporalia hujus vitæ beneficia magistratus patrocinium ac gubernationem nobis concessit, *ut sub eo quietam & tranquillam vitam agere possimus in omni pietate ac honestate*, & mediante tali vita ad æternæ gloriæ possessionem introduci. Quemadmodum igitur christianus vitæ suæ privatæ rationes sic instituit, ut æternæ vitæ scopum sibi habeat præfixum, atque omnia sua cogitata eo dirigit, ut illius aliquando particeps fiat: sic magistratus officii sui rationes sic instituat, ut æternæ vitæ scopum sibi propositum habeat, atque itidem omnia sua cogitata eo dirigat, ut una cum subditis fidei suæ commissis, & cum quibus unum quoddam corpus constituit, æternæ salutis particeps fieri queat. Hunc finem non poterit alia ratione consequi, quam si unice id curet, ut inter subditos *veræ religionis integritas & cultus divini sinceritas* vigeat, siquidem absque religionis & cultus divini sinceritate non habet locum vera pietas: *male vivitur, ubi de Deo non bene creditur*; absque pietate, cujus anima est vera in Christum fides, æternæ salutis possessio sperari, vel obtineri nequit.

§. CLXXXII. Ad hanc religionis & cultus divini sinceritatem in republica obtinendam duo requiruntur, *veræ scilicet religionis & recti cultus diligens conservatio*, ac *religionis collapsæ & cultus depravati instauratio*. Proinde si quando singulari Dei beneficio alicui reipublicæ religionis veritas & cultus divini sinceritas obtigit, magistratus non minus quam reliqua ecclesiæ membra omni cura in id incumbere debet, ut summum hoc beneficium, quo non potest majus aliquod reipublicæ contingere, sartum tectum conservetur, neve peregrinis & erroneis opinionibus doctrinæ cœlestis sinceritas contaminetur. Quodsi vero hominum vel negligentia, vel malitia religionis ac cultus divini sinceritas est collapsa, magistratui incumbit eamdem restaurare, ecclesiæ ministros officii sui admonere, veternum illis excutere, & juxta normam divinæ legis in cultu divino omnia instituere. Magistratus sunt reipublicæ medici. Quemadmodum igitur medico convenit sanitatem præsentem conservare, amissam reparare: sic magistratus sui noverit esse officii, reipublicæ vigorem ac sanitatem, quæ in veræ religionis vigore consistit vel maxime, conservare eamdemque amissam reparare, ac vulnera reipublicæ sanare.

§. CLXXXIII. Quodsi magistratus veræ religionis conservationi & collapsæ restitutioni intentus esse debet, ante omnia requiritur *veræ religionis ex sacris literis cognitio*. Quomodo enim discernere poterit inter veram & falsam religionem, inter legitimos & idolatricos cultus, nisi ex tabulis divinæ veritatis, ex sacris scilicet literis veritatem ipsemet cognoscat? Requiritur igitur a pio & christiano magistratu, ut *verum de Deo sensum & rectum Dei cultum*, quæ duo ad religionis veritatem & pietatis integritatem pertinere constat, ex sacris literis ipse perdiscat, id quod & manifestum *Dei mandatum* postulat, Deut. XVII. 18. & *piorum regum exemplum* confirmat, Psal. CXIX. 2. Reg. XXIII. 2. Paral. XXIV. & *ipsa necessitas* flagitat. Nisi enim cœco judicio velit amplecti ea, quæ proponuntur, & suam subditorumque salutem aliorum arbitrio temere committere; utique requiritur, ut fundamenta doctrinæ cœlestis ipse ex verbo Dei cognoscat, in lectione ejus quotidie se exerceat, & piis ex eo institutis colloquiis fidem suam stabiliat. Discedunt ab hac sententia nostra pontificii, dum 1.) a scripturæ lectione laicos, quibus etiam reges ac principes adnumerant, arcendos esse statuunt, 2.) fidem implicitam illis commendant, 3.) alienis, prælatorum scilicet oculis, magistratum in causa religionis videre jubent. Henr. Blystemius in tract. de eccles. p. 37. *De religionis & fidei controversiis ac negotiis cognoscere, judicare ac discernere non ad seculares dominos, vel laicos homines, sed ad episcopos ac ecclesiasticos prælatos spectat, ac homines laici vel seculares non propriis, sed alienis episcoporum ac prælatorum suorum*

I.) *Respectu sui. Veram religionem cognoscat.*

ſuorum oculis videre debent, quam eſſe communem catholicorum doctrinam agnoſcit Veterus in poſtcolloq. Ratisb. p. 87. Matthias Maierhöferus in ſpeculo prædicantium p. 381. ſic diſſerit: *Manet igitur firmum fixum, quod non quilibet ad legendas ſcripturas ſit obſtrictus. At*, inquit prædicans, *magiſtratum politicum ideo oportet legere ſcripturas, ut pro ſe & ſuis ſubditis rationem reddere poſſit.* Reſp. *Quando magiſtratus politicus ſcripturas legit, idem accidit illi, quod eunucho Æthiopico, ut eas non intelligat, ideoque magiſtratus politicus rationem fidei ſuæ ex ſcripturis reddere nequit. Quodſi vel maxime non legat ſcripturas, interim tamen obſervet ea, quæ ſancta catholica eccleſia credere præcipit, tum poteſt dicere, hæc docet eccleſia catholica, quæ eſt fundamentum & columna veritatis, quæ magiſtra mihi divinitus conſtituta, vera igitur eſſe oportet, quæ credenda præcipit, hæc ratio fidei ſatis eſt ſufficiens.*

II) *Reſpectu ſubditorum.* 1.) *Religionis ſinceritatem & cultus integritatem conſervari curet, idque his mediis:* a.) *Idoneos eccleſiæ miniſtros conſtituat.*

§. CLXXXIV. Cæterum ut pius magiſtratus veram religionem, quam ex ſcripturis ſacris didicit, apud ſubditos fidei ſuæ commiſſos propagare, eamdemque ſartam tectam, & a corruptelis immunem conſervare poſſit, requiritur I.) *Miniſtrorum idoneorum conſtitutio.* Cum enim fides ſit *ex auditu*, auditus autem *per verbum Dei*, Rom. X. 17. ideo, ut vera fides ac religio in animis ſubditorum vigeat, requiritur ſincera verbi prædicatio & legitima ſacramentorum adminiſtratio. Eam vero cum magiſtratus ipſe per ſe & *immediate* ſuſcipere nec debeat propter eccleſiaſtici ac politici muneris diſtinctionem divinitus ſancitam, Luc. XXII. 25. & confuſionem ſevere punitam, 1. Sam. XIII. 13. 2. Reg. XV. 5. 2. Paral. XXVII. 18. nec commode poſſit propter muneris utriusque diverſa objecta, media & effecta; ideo docendi publice in eccleſia provinciam piis & idoneis hominibus commendare debet, per quos religionis veritas & cultus divini ſinceritas ex ſcripturis publice in eccleſia expoſitis aſſeratur, inculcetur, contrarii errores refellantur, & populo via ſalutis fideliter monſtretur. Pontificii denuo a nobis & veritate hic abeunt, quando a *jure vocationis* magiſtratum chriſtianum penitus arcent, ad quem duplici ratione illud pertinere in tractatu proxime præcedente (*) oſtendimus, tum ratione *perſonæ*, quia eſt membrum eccleſiæ & quidem præcipuum, tum ratione *officii*, quia eccleſiæ nutritius & utriusque decalogi tabulæ cuſtos divinitus eſt conſtitutus. Cavebit tamen pius magiſtratus, ne miniſterii eccleſiaſtici conſtitutionem ac miniſtrorum vocationem *ſibi ſoli* vindicet (**) excluſo presbyterio & reliqua eccleſia, neve *inter*

ſtros conſtituat.

(*) Vid. *tom. XII. locor. theolog. loc. XXIV. cap. III. ſect. IV. §. LXXXV. p. 83.* Cæterum non tantum cœtus Romani doctores, a GERHARDO heic notati, a jure ſacrorum magiſtratum chriſtianum penitus arcent, *papo-cæſariam* introducturi, veluti Is. HABERTVS in *archierat. f. 438.* SIXTVS SENENSIS *lib. V. bibliothecæ, adnot. CXVIII.* cardinalis BELLARMINVS *libr. I. de clericis cap. VII.* aliique; ſed & nonnulli reformati rigidiores magiſtratui civili heic plus, quam par eſt, detrahunt, veluti VLRICVS HVBERVS *de jure civitatis, libr. I. ſect. V. cap. III. §. IX. p. m. 187.* vid. b. cancell. JACOBVM *de concordia imperii & ſacerdotii* cap. V. Media via heic incedunt noſtrates theologi in *form. concord. p. 345. & 353.* & GERHARDVS *loco* ſupra *citat. §. LXXXV.* Add SAM. PVFENDORFIVM *de habitu relig. chriſt. §. 39. & 45.* CASP. ZIEGLERVM *de jure majeſt. libr. I. cap. XVIII.* & celeberr. BÖHMERVM in *jure parochiali ſect. III. cap. I. §. VII. p. 95.*

(**) Hallucinantur proinde pſeudo-politici, qui, ut omnia jura ſacrorum ex ſuperioritate territoriali derivanda eſſe contendunt, ita & jus vocandi eccleſiæ miniſtros ad regalia magiſtratus referre non dubitant. Errant quoque hac in parte nonnulli ex Reformatis, ſpeciatim LVDOV. MOLINÆVS, LAMB. VELTHVYSEN, NICOL. VEDELIVS & ANDR. HOVTVYNVS, quin & quidam ex ARMINII adſeclis, quos paſſim refellunt theologi noſtri, quod magiſtratui nimium circa miniſtrorum conſtitutionem tribuant. Vid. SCHERZERI *ſyſt. theol.* loco *de magiſtratu*; ut alios taceamus. Nec prætermittendi heic ſunt BENED. DE SPINOZA, & THOMAS HOBBESIVS, ſcriptor Anglus, in *Leviathane, cap. XXIII. p. 120.*

ubi

ter regalia sibi soli debita eam referat, ac invitis auditoribus pastores obtrudat, sed noverit, jus vocandi ministros *ad ecclesiam & omnes tres status ecclesiæ* pertinere, a quibus quomodo debito ordine & absque confusione exerceri possit ac debeat, suo expositum dedimus loco. (*)

§. CLXXXV. Ad hanc *ministrorum constitutionem* referimus, 1.) *Scholarum erectionem & conservationem.* Qui ad ministerium ecclesiasticum olim promovendi, illi in scholis prius sunt informandi ac instituendi, neque enim salutaris Dei cognitio post lapsum

Huc pertinet α.) *Scholarum erectio & conservatio.*

ubi contendit, ministrum potestatem docendi accipere a summa potestate. *Monarchis quippe solis, & cœtibus summis, auctoritatem populum docendi a Deo immediate concessam esse*, utpote qui dicantur simpliciter Dei gratia docere & imperare. Nemo non videt, hac ratione ecclesiam cum civitate turpiter confundi, ac *cæsareo-papiæ* viam muniri; de qua in *notis* nostris ad GERHARDI *tom. XIII, loc. theol. loc. XXIV. cap. VIII. §. CCCLXIX. p. 215.* nonnulla diximus.

(*) Vid. *tom. XII. loc. theolog. loco XXIV. cap. III. sect. IV. §. LXXXVI. p. 83. seqq.* Equidem SIXTVS SENENSIS, BELLARMINVS, aliique Romanenses, quos supra nominavimus, simpliciter negarunt, plebi aliam potestatem in ecclesia christiana unquam fuisse concessam, nisi dandi testimonii electæ parti, vel contradicendi, si quas justas atque idoneas haberent exceptiones, neutiquam autem eligendi. Exstiterunt tamen haud pauci in ipsa ecclesia Romana, qui heic distinxerunt inter tempora, quæ concilium Nicænum antecesserunt, & ea, quæ illud sunt subsecuta. Non negarunt quidem, in prioribus illis temporibus populo, sive universo ecclesiæ corpori aliquid potestatis in vocatione ministrorum ecclesiæ fuisse concessum; verum statuerunt simul, secusis concilium Nicænum subsecutis ejusmodi potestatem non amplius obtinuisse inter christianos. Hancce sententiam cumprimis ornandam in se suscepit EMANVEL A SCHELSTRATE, bibliothecæ Vaticanæ quondam præfectus, *notis in canonem XIX. concilii Antiocheni p. m. 599.* ubi & CHRISTIAN. LVPVM, theologum quondam Lovaniensem, nec non JAC. SIRMONDVM, Jesuitam Gallum, in antiquitatibus ecclesiasticis versatissimum, tanquam sibi suffragantes, dilaudavit. Ast non desuerunt ex ipsis ecclesiæ Romanæ adsectis, iisque cordatioribus, qui hancce opinionem tanquam commentitiam prorsus rejecerunt. Sufficiat ex iis heic nominasse EDMVNDVM RICHERIVM, theologum quondam Gallum, eundemque doctissimum, MARC. ANT. DE DOMINIS, episcopum quondam Spalatensem, qui vero postea deserta ecclesia Romana ad Anglicanam transiit, HENR. VALESIVM, DIONYS. PETAVIVM, Jesuitam Gallum, nec non PETRVM DE MARCA, archiepiscopum quondam Tolossanum, quos excitavit b. DEYLINGIVS in *institut. prudentiæ pastor. part. II. §. VII. p. 168.* Statuerunt nimirum viri

isti laudatissimi, patres Nicænos nihil hac in re immutasse, sed reliquisse *consuetudinem jam receptam de tractatu electionis habendo cum clero & plebe civitatis*, ut verbis PETR. DE MARCA, modo excitati, tantisper utamur. Vid. ejusdem *concord. sacerdot. & imper. lib. VIII. cap. III. num. IV. f. 1118.* Eidem sententiæ ex Anglis calculum suum adjecerunt duumviri doctissimi, Jo. PEARSONIVS atque JOSEPH. BINGHAMVS, ille quidem *vindiciarum epistolar. Ignatii, part. I. cap. XI. p. 324.* hic vero *vol. II. origin. ecclesiast. lib. IV. cap. II. §. XI. p. 105. seqq.* Cumprimis legi de hocce argumento meretur DAVID BLONDELLVS, in *apologia pro sententia Hieronymi sect. III. p. 370.* itemque in dissertatione *de jure plebis in regimine ecclesiast.* ubi tamen jura plebis christianæ nimis evehuntur. Idem ex instituto hodienum faciunt *Anabaptistæ* in Belgio, itemque SOCINI sectatores, jus sacrorum soli plebi ecclesiasticæ vindicantes; nec non *Independentes* moderni in Anglia, qui nullum ministerium ecclesiasticum agnoscunt, ajuntque omnes, qui ad ecclesiam pertineant, ministerio verbi ac sacramentorum fungi posse; quibus & *Quakeros* adjungimus, superiori seculo natos, qui verbo & sacramentis repudiatis, inspirationes immediatas crepant Nec prætermittendus hic est Jo. CHRISTIANVS SEIZIVS, Baruthinus, qui in variis libellis, recentiori hocce ævo editis, nulla plane summis imperantibus jura sacrorum competere, evincere adnisus est, licet existimet, in regno chiliastico adhuc exspectando erectum iri *sacerdotium Melchisedecianum*, ubi reges simul sacerdotes futuri sint & juribus sacrorum plene gavisuri. Evolvat, qui hæc latius didusta legere voluerit, ejusdem *Melchisedechisches Priesterthum*, Amstelodami, seu potius Helmstadii anno MDCCXXVIII. 8. typis exscriptum. Legi etiam possunt, quæ de hocce viro adnotarunt PFAFFIVS in *introd. in histor. theol. litterar. part. II. p. 342.* itemque *in dissert. de jure sacrorum absoluto & collegiali*, quæ novæ editioni *origin. juris ecclesiastici* inserta est, *§. V. not.* (d) *p 349.* CHR. EBERH. WEISMANNVS in *introduct. in memorabil. hist. eccles. vol. II. p. 563.* J. G. WALCHIVS in den *Religions-Streitigkeiten unserer Kirche part. II. p. 779 seqq.* & in *bibliothec. select. theol. tom. I. p. 923.* & *tom. II. p 814. seqq.* ejusdemque filius CHRIST. GVIL. FRANC. WALCHIVS in *comp. hist. ecclesiast. recentiss. p. 872.*

lapsum hominibus innascitur, nec *ἱκανότης* in ministerio requisita immediate absque prævia informatione alicui conceditur. Quod si ergo magistratus idoneos ecclesiæ ministros habere velit, diligentem scholarum curam agat. Scholæ sunt seminaria ac plantaria ecclesiæ. Quemadmodum hortus, optime licet cultus & feracissimis arboribus uberrime consitus, ætatem ac perennitatem obtinere nequit, nisi in seminariis, quæ ita vocant, ac plantariis tenellæ educentur ac formentur arbores, quæ in locum vetustate marcidarum ac emortuarum olim succedant: sic ecclesiasticum ministerium diu conservari nequit incolume, nisi in scholis formentur & educentur, qui ministris ad æternæ vitæ consortium per mortem translatis in officio succedant. Quemadmodum in corpore humano est suavissima & venarum & arteriarum *συζυγία*, sive combinatio: ita in corpore Christi mystico ecclesiæ ac scholæ pulcerrima quadam harmonia sibi invicem sunt conjunctæ. De scholis igitur recte instituendis magistratus solicitus sit vel maxime, tum propter causam modo expositam, tum quia juventutis recta institutio secundum philosophum est fundamentum reipublicæ. Docentibus prospiciat de honestis salariis, discentibus quietem procuret, utrisque immunitatem ab oneribus publicis, defensionem ac patrocinium præstet. Leo imperator, cum Eulogium ad aperiendam in urbe scholam stipendio liberaliore invitasset, & propterea a satellitibus reprehenderetur, respondit, *εἰδὲ γένοιτο ἐπὶ τῆ ἐμῆ χρόνῳ, ὥστε τὰ τῶν στρατιωτικῶν εἰς διδασκάλης παρέχεσθαι: Vtinam meis temporibus, ea, quæ militibus dantur, doctoribus numerari deberent!*

β.) Ministrorum honesta sustentatio.

§. CLXXXVI. 2.) *Ministrorum honestam sustentationem.* (*) Cum enim illi, qui *in verbo & doctrina laborant*, 1. Tim. V. 17. *& evangelium adnunciant*, 1. Cor. IX. 14. non possint artes manuarias exercere, iisdemque victum sibi parare; utique requiritur, ut de honesta sustentatione ipsis prospiciatur. Ea vero cura cumprimis ad magistratum pertinet, quippe qui ecclesiæ *nutritius* esse debet: Esa. XLIX. 23. Pertinet ad jus regis, *segetes & reditus vinearum addecimare, eademque servis suis dare*; 1. Sam. VIII. 18. quanto magis ad jus regis pertinebit, ministris ecclesiæ ex subditorum bonis certos reditus constituere? Idem probant exempla: *Moses*, Israëlitici populi dux, Leviticæ tribui ad sacerdotium destinatæ divino mandato addixit decimas, fructuum primitias, pensionem sicli annuam, pecuniam ex redemtione primogenitorum, votorum, partes ex sacrificiis &c. Exod. XXXIV. 26. Lev. XXVII. 3. & seqq. Num. XVIII. 8. & seq. *Josephus*, Ægypti prorex, cum in dira totius regionis fame omnem terram Pharaoni emeret, tamen terram sacerdotum non emit, quin potius statutum ac demensum illis ex publicis granariis fuit datum; Gen. XLVII. 22. ita namque Hebræum פַּת vulgata versio ibidem *παραφράζει*. *Ezechias* rex non ipse solum dabat partem, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum mane & vesperi, *sed etiam præcepit populo habitantium in Jerusalem, ut darent partes sacerdotibus & Levitis, ut possint vacare legi Domini*; 2. Paral. XXXI. 3. & 4. quin & mandavit *parari horrea in domo Domini*, quibus inferri possent primitiæ, decimæ & quæcunque Domino erant sanctificata. v. 12. Caveat ergo pius magistratus, ne ecclesiæ ministri cum fame & indigentia colluctentur, & hac ratione a partibus officii sedulo exsequendis ad curam victus sese convertant. Caveat, ne stipendia a piis majoribus instituta diminuat, vel diminui ac interverti patiatur. Deus enim vindex horum omnium, *& famem ministrorum* sequi solet *fames verbi* in ingrata illa regione, sicut b. Lutherus prædixit: *Man werde noch an vielen Orten das Evangelium ausshungern.*

§. CLXXXVII.

(*) De hocce argumento supra copiose disseruit GERHARDVS *tom. XIII. loc. XXIV. cap. VII. sect. I. p. 147. seqq.* ubi & nos observationes quasdam in notis nostris adspersimus.

γ.) Ordinis inter ministros institutio.

§. CLXXXVII. 3.) *Ordinis inter ministros institutionem.* Cum enim ob pacem & concordiam in ministerio ecclesiastico conservandam, & ecclesiæ ædificationem commodius promovendam certus ordo inter ministros ecclesiæ instituendus sit, ut in præcedente tractatu cap. V. sect. 2. demonstratum fuit (*), ideo etiam magistratum hac de re solicitum esse convenit. Sic *Moses* summo sacerdoti inferiores quosdam sacerdotes ac Levitas addidit, quibus singulis certas officii partes adsignavit, Exod. XXVIII. Levitas in tres classes distribuit, Gersonitarum scilicet, Caathitarum ac Meraritarum, quibus singulis præscripsit, quas sacræ supellectilis partes debeant portare. Num. III. & IV. *David* in XXIV. familias sacerdotum chorum distribuit, ut singulis sabbatis nova sacerdotum familia sacrorum ministerio adhiberetur, 2. Reg. XI. 7. 1. Paral. XXIV. 4. Levitas alios constituit sacerdotum ministros, alios cantores, alios janitores, alios scribas, &c. Cumque hæc ordinatio ac distributio per idololatriam baaliticam sub impio rege Achaz esset collapsa, excitavit Deus *Ezechiam*, qui constituit מַחְלְקוֹת *distributiones sacerdotum & Levitarum in divisionibus suis, unumquemque secundum ministerium suum, sacerdotes & Levitas ad holocaustum & pacifica, ad ministrandum & ad confitendum & laudandum in portis castrorum Domini.* 2. Paral. XXXI. 2. (**)

δ.) Ministrorum flagitiosorum remotio.

§ CLXXXVIII. 4.) *Ministrorum flagitiosorum remotionem.* (***) Voco autem ministros flagitiosos non, qui nævis quibusdam & humanis infirmitatibus sunt obnoxii, illi enim tolerandi sunt, & de emendatione admonendi, sed qui vel enormibus delictis publicum præbent scandalum, vel hæreticis opinionibus imbuti pertinaciter easdem propugnant. Vtrique sunt carcinoma ministerii, ac proinde pio magistratui incumbit, ut ab officio removeantur, & idonei ministri illis surrogentur. Sic *Salomon* Abiatharem, summum sacerdotem, ab officio removit, Sadoco in illius locum substituto: 1. Reg. II. 27. *Asa*, *Josaphatus*, *Ezechias* & *Josias*, baaliticos sacerdotes, removerunt suffectis in illorum locum aliis. Caveat vero magistratus, ne ob *causas minus sufficientes*, vel illegitimas minister loco moveatur; caveat, ne *sibi soli* potestatem arroget pro arbitrio ministros ex officio deturbandi; sed noverit, ut vocatio ministrorum ad totam ecclesiam pertinet, ita ad eamdem quoque pertinere ministrorum remotionem, proinde ut invitæ ecclesiæ non debet minister obtrudi, ita quoque invitis & reluctantibus auditoribus non debet idoneus minister eripi.

ε.) Leges ecclesiasticas promulget.

§. CLXXXIX. 11.) *Legum ecclesiasticarum promulgatio.* De cultu Dei interno nec magistratus, nec ministerium ecclesiasticum novas leges ferre potest, quippe quas Deus in verbo suo jam ante perfecte ac sufficienter præscripsit; eas igitur magistratus debet custodire ac idoneos ministros, qui easdem populum doceant, constituere, sed de *exercitio cultus divini externo* magistratus pius ac christianus potest & debet leges ferre, ut omnia in ecclesia fiant εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν. 1. Cor XIV. 40. Cum enim non posterioris solum, sed & prioris decalogi tabulæ custodia magistratui sit commissa, utique etiam potest leges ecclesiasticas, quæ sint legum divinarum ad priorem tabulam pertinentium adpendices & custodes, promulgare & cerimonias ad ecclesiæ ædificationem spectantes modo legitimo introducere. *Moses* populi Israëlitici dux mandato divino non solum forenses & judiciales, sed etiam cerimoniales sive

F 2

(*) Vid. *tom. XIII. loc. theol. p. 24. seqq.*

(**) 2. Paral. XXIX. 25. Constitutio ordinis inter Levitas cantores tribuitur conjunctim regi Davidi, & Gad vidanti, & Nathan prophetæ. GERHARDVS.

(***) Conferenda, quæ de remotione ministrorum ecclesiæ *tom. XII. loc. XXIV. cap. III. sect. XVI. p. 175. seqq.* dicta sunt.

sive ecclesiasticas leges tulit complures. *David* promulgat legem de reducenda Dei arca, 1. Paral. XIII. 5. de distributione officiorum inter Levitas. 1. Paral. XXIII. 6. *Josaphatus* sacerdotibus certa præscribit mandata, 2. Paral. XIX. 8. indicit jejunium publicum tempore calamitatis publicæ; 2. Paral. XX. 3. quod & a *Ninivitarum rege* factum. Jon. III. 7. In nov. test. pii imperatores proposuerunt leges utiles & præclaras ad christianam religionem & ecclesiæ ædificationem spectantes, quæ exstant in codice sub tit. *de summ. Trin. & fide cathol. de S. S. eccl. episc. & clericis, de episcopali audientia, de hæreticis & Manichæis &c.* Item in constitutionibus Leonis, in novellis Justiniani &c. Glossa decreti dist. 84. dicit, *quod amplius 800 a nativitate Christi annis imperatores leges de rebus ecclesiasticis tulerint, quodque eis ecclesia obediverit.* Earum quædam concernunt *personas*, quædam vero *res* ecclesiasticas. Sic novell. III. cap. 1. statuit Justinianus, *ut determinatus sit numerus clericorum Constantinopolitanarum ecclesiarum.* Cap. 2. *Ne liceat clericis de minore ecclesia in majorem per patrocinium tranfire.* Nov. VI. decrevit, *quomodo oporteat episcopos & reliquos clericos ad ordinationem adduci*, & de expensis ecclesiarum. Nov. CXXXVII. cap. 6. *jubet episcopos & presbyteros non in secreto, sed ea voce, quæ a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem & precationem, quæ fit in sacro baptismo, facere &c.* De hisce imperatorum christianorum legibus sic disserit Molinæus in orat. habita Tubingæ anno 1554. *Sancta*, inquit, *catholica ecclesia obedivit imperialibus legibus de rebus civilibus latis non solum quoad res politicas & externas, sed etiam quoad fidem & religionem, eo quod a verbo Dei non discreparent, sed juxta verbum Dei & ad doctrinam evangelicam pure & sincere conservandam & vindicandam latæ essent, ut temporibus Constantini magni, Theodosii senioris & junioris, Martiani, Leonis primi per ducentos annos ante Justinianum magnum testantur omnes illorum temporum historiæ, etiam ecclesiasticæ, & scripta antiquorum ecclesiæ doctorum, ut ea res prorsus indubitata, inconcussa & luce clarior plus octingentis annis fuerit. Nec solum ante Justinianum magnum, totoque ejus imperio, quod usque ad annum salutis 568. pervenit, sed etiam diu post, tempore Gregorii magni, urbis Romæ episcopi, qui usque ad annum salutis 606. vixit. Is enim leges ecclesiasticas imperatorum publicabat, & ad Italiæ ac Siciliæ episcopos observandas transmittebat.* Lib. I. epist. 43. lib. VII. epist. 11. c. *Legem.* dist. 53. *Sed & Carolus magnus, Ludovicus pius, filius, & Lotharius, nepos Caroli ecclesiasticas leges tulerunt*, quas idem Molinæus anno 1550. Parisiis in publicum edidit, in quarum locum cum Romani pontifices suos canones & decretales substituerent, ecclesiæ status longe deterior fuit factus. Dissentiunt hic denuo a nobis pontificii, qui magistratui omnem potestatem ac jurisdictionem ecclesiasticam penitus derogant, Salmeron tom. XIII. disp. 12. Hosius contra prol. Brent. Bellarminus de laicis c. 17. eamdemque solis episcopis, cumprimis vero episcoporum episcopo, Romano scilicet pontifici vindicant, cui potestatem tribuunt *promulgandi leges universam ecclesiam obligantes.* Bellarminus lib. II. de pont. Rom. cap. 19.

§. CXC. Caveat tamen pius magistratus: 1.) Ne ecclesiasticas leges proprio ferat arbitrio *inconsulto ministerio ecclesiastico.* Quod si enim in rebus civilibus, in quibus, servata scilicet æquitate & salva ante omnia divinarum legum auctoritate, liberam potestatem princeps obtinet, maturum eorum, ad quos spectat, adhibere debet consilium l. *humanum* C. *de legibus*; quanto magis in ecclesiasticis rebus convenit eorum consilium & adsensum exquirere, qui sunt divinorum mysteriorum œconomi, 1. Cor. IV. 1. & quibus ecclesiæ cura incumbit vel maxime. Sic David reducturus arcam convocat sacerdotes & principes populi. 1. Paral. XIII. 2. 2.) Ne cerimonias adiaphoras in ecclesia receptas, & usum quemdam habentes temere cum infirmiorum scandalo mutet, sed maturo & deliberato

berato consilio hac in re procedat, ne ecclesia, quam *Deus suo sibi sanguine emit*, Act. XX. 28. turbetur; quod utinam a magistratibus diligentius observaretur! 3.) Ne ecclesiæ ministris præscribat leges cum officii divinitus ipsis demandati partibus pugnantes, utpote quod non debeant vitia auditorum liberius taxare, hæreticorum errores nominatim perstringere, conciones legales acuere, publice peccantes coram omnibus arguere &c. hoc enim vere est capistrum ac frenum Spiritui sancto velle injicere, ac Deo ipsi per ministros ecclesiæ nobiscum agenti adversa fronte resistere.

c.) *Bona ecclesiastica legitime dispenset.*

§. CXCI. III.) *Bonorum ecclesiasticorum legitima dispensatio.* Vt cultus divinus in populo vigeat, non solum requiritur ministrorum idoneorum vocatio, per quos scilicet populus de illius vera norma ac forma instruatur, ac legum ecclesiasticarum promulgatio, per quas externum ejusdem exercitium ad τάξιν καὶ εὐχημοσύνην dirigatur; sed etiam bonorum ecclesiasticorum dispensatio, quibus de honesta sustentatione ministris prospiciatur, eademque ad usus convenientes ac Deo gratos adplicentur. Intelliguntur autem hoc loco bonorum ecclesiasticorum nomine non bona ecclesiæ interna ac propria, quæ per evangelii prædicationem pœnitentibus & credentibus distribuuntur, qualia sunt, remissio peccatorum, justitia Deo placens, donatio Spiritus sancti &c. Sed bona ecclesiæ externa, quæ ad ministrorum ecclesiæ ac pauperum sustentationem requiruntur. Eorum dispensationi præficimus magistratum christianum; is enim cum sit temporalium dominus & ecclesiæ nutritius divinitus constitutus, ideo & potest & debet legitimam bonorum ecclesiasticorum dispensationem instituere. Sic rex *Asa* ea, quæ pater ipsius sanctificaverat, templo intulit. 1. Reg. XV. 15. *Ezechias* sacerdotibus salaria constituit, & in templo gazophylacium ponere præcepit. 2. Paral. XXXI. *Josias* Helkiæ, summo sacerdoti, mandat, ut pecunia, quam janitores templi collegerant, in unam summam redigatur, & ad reparationem structuræ templi opificibus distribuatur. 2. Reg. XXII. 4. 2. Paral. XXXIV. 8. Illorum exemplum pius magistratus imitari debet, & certos probatæ fidei ac industriæ viros constituere, per quos bona ecclesiastica dispensentur. Sane in ecclesia apostolica magistratus auctoritas ad ecclesiastica bona dispensanda non fuit requisita; Act. VI. 3. quippe qui a fide christiana erat alienus; sed cum progressu temporis pii imperatores christianam religionem amplecterentur, ut in aliis, ita quoque in ecclesiasticorum bonorum dispensatione maxima fuit ipsorum potestas & auctoritas. Justinianus nov. III. cap. 3. statuit, *ecclesiarum reditus in pios actus & personas vere egentes per patriarchas & œconomos erogandos.* Ante Paschalem II. tam episcopi, quam reliqui clerici, exceptis diaconis prædiorum cura & pecuniæ tractatione contaminari quodammodo rati ab ea prorsus abstinebant, ac sacris duntaxat intenti erant, redituum autem exactio & administratio cuidam ex laicis demandabatur, isque ab imperatore, aliisve principibus postulabatur, a quo ecclesiæ ministri τὰ βιωτικὰ acciperent, sicut & can. XXVI. concilii Chalcedonensis constitutum, *ut episcopi in idoneos dispensatores istarum rerum administratione rejecta, ipsimet ab ea abstinerent.*

Legitimus bonorum ecclesiasticorum usus.

§. CXCII. Bona illa ecclesiastica ac annui reditus sacris usibus destinati circa annum Christi 470. in quatuor partes dividi cœperant, primus quadrans episcopo, alter clero, tertius ædium sacrarum exstructioni ac reparationi, quartus pauperum eleemosynis cedebat, de qua distributione quadripartita aliquot conciliorum canones exstant. Quadrans episcopo destinatus non ipsius solum sustentationi adhibebatur, sed etiam redimendis ob religionis professionem captivis, hospitio excipiendis Christi exsulibus, & exercendæ erga indigos beneficentiæ cedebat. Gelasius in epistola ad clerum & plebem Brun-

dusii, & citatur cap. *Conceſſo &c.* cauſ. 12. q. 2. *Conceſſo vobis, quem petiſtis, antiſtite Juliano &c. reditus & oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum unam ſibi retineat, alteram clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam.* Vide ibidem in hanc ſententiam cap. plura. Pulcre Ambroſius lib. II. de officiis c. 28. *Aurum eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus cuſtodire, quod nihil adjuvat &c.? Opus eſt, ut quis fide ſincera & perſpicaci providentia munus hoc* (diſpenſandi bona eccleſiaſtica) *impleat. Sane ſi in ſua aliquis derivet, emolumenta, crimen eſt. Sin vero pauperibus erogat, captivum redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere, cur pauper vivit? nemo poteſt queri, quia captivi redemti ſunt. Nemo poteſt accuſare, quia templum Dei ædificatum eſt. Nemo poteſt indignari, quia humandis fidelium reliquiis ſpatia laxata ſunt. Nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis chriſtianorum requies defunctorum eſt.* Ad exemplum hujus antiquiſſimæ conſuetudinis providere debet magiſtratus, ut bona eccleſiaſtica ad quatuor potiſſimum uſus convertantur: 1.) *ad ſuſtentationem eorum, qui eccleſiæ & ſcholis operas ſuas actu jam præſtant*; 2.) *ad ſubſidium eorum, qui eccleſiæ & ſcholis operam ſuam conſecrarunt, pauperum ſcilicet ſtudioſorum*; 3.) *ad exſulum, ægrotorum & egenorum alimentationem ac captivorum redemtionem*; 4) *ad ædium ſacrarum reparationem.*

§. CXCIII. Caveat pius magiſtratus, ne eccleſiaſtica bona ad ſe rapiendo & ſacris dicata in privatos uſus convertendo grandi ſacrilegio ſeſe obſtringat. Vultur ex altari carnes & carbones ſurreptos nido inferens, & nidum & pullos exuſſit: ſic harpyiæ ac vultures illi, qui bona eccleſiaſtica per vim rapiunt, eadem non commodo, ſed exitio ſibi fore experientur. Prædones illi bonorum eccleſiaſticorum recte conferuntur militibus, qui Chriſto veſtimenta detraxerunt, quæ pia aliorum beneficentia ipſi dederat: ſic bona eccleſiæ a piis majoribus collata illi in privatos uſus convertunt, & Chriſtum in membris ſuis nudum relinquunt. Quodſi magiſtratus aliquis Juliani potius, quam Conſtantini ſucceſſor bona eccleſiaſtica ſibi vindicet, eccleſiæ miniſter graviter ipſum commoneat, neque tamen præfracte & contumaciter, multo minus violenter & ſeditioſe reſiſtat, ſed eccleſiæ tranquillitatem & veræ religionis conſervationem jactura fluxarum iſtarum rerum non ſolum licite, ſed & laudabiliter redimi exiſtimet. Etenim ſi Ezechias recte fecit, *quod omne argentum in templo Domini repertum & laminas auri, quas ipſe adfixerat, regi Aſſyriorum*, a quo bellum metuendum erat, *miſit, & pacem politicam hac ratione emit*; 2. Reg. XVIII. 15. quanto minus improbari poteſt, ſi miniſter eccleſiæ magiſtratui bona eccleſiaſtica per vim ad ſe rapienti omnesque admonitiones ſuperbe contemnenti eadem concedat, ut eccleſiæ ſuæ pacem & tranquillitatem procuret. Prudenter igitur diſpiciendum, quando conveniat imitari exemplum *Laurentii martyris* Decio tyranno ſacrum theſaurum denegantis, quando vero *Auguſtini* tabulas donatorum eccleſiæ agrorum donatori eas repoſcenti reſtituentis. Poſidonius in vita Auguſt. c. 24.

§. CXCIV. IV.) *Eccleſiæ inſpectio.* Cum enim magiſtratui curæ eſſe debeat, ut vera religio ac ſincerus Dei cultus in populo vigeat, utique etiam diligenter providere debet, ut miniſtri eccleſiæ ſuum recte faciant officium, ut auditores debitam miniſterio præſtent obedientiam, ut externa diſciplina conſervetur, absque qua religionis veræ propagatio & terminorum eccleſiæ dilatatio vix poſſunt habere locum. Ad hanc eccleſiæ inſpectionem pertinent *Viſitationes*, quas ſingulis annis magiſtratus per viros idoneos, præſertim eccleſiaſticas perſonas inſtituere debet, ut in doctrinam ac vitam tum paſtorum, tum auditorum diligens inquiſitio fieri

d.) *Eccleſiæ de tranquillitate proſpiciat.*

Huc pertinent α.) *Eccleſiarum viſitationes.*

fieri possit. De *Samuele*, populi Israëlitici sacerdote & judice, refertur 1. Sam. VI. 16. *quod singulis annis circumierit Bethel & Galgala & Masphat*, hoc est, quod instituerit visitationes annuas. De *Josaphato* commemoratur, quod tertio anno regni sui *miserit principes suos, & cum eis Levitas ac sacerdotes, ut docerent populum in Juda, habentes librum legis Domini, qui circumiverint cunctas urbes Juda, ac populum erudiverint*; 2. Paral. XVII. 7. & seqq. quin & *altera vice egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum, Deum patrum suorum.* 2. Paral. XIX. 2.

β.) Synodorum convocationes.

§. CXCV. Visitationibus conjungendi sunt *synodici conventus*, in quibus deliberatio instituitur de corrigendis iis, quæ in visitationibus deprehensa fuere vitiosa. Illorum convocatio pertinet ad magistratum: 1.) Ad illum pertinet convocare synodum, qui habet potestatem ac jurisdictionem in congregandos, & cujus auctoritati omnes parere coguntur. Sed talem potestatem & jurisdictionem obtinet magistratus. 2.) Ad illum pertinet convocare synodum, qui potest congregandis salvum conductum dare, & a periculis itineris eos immunes præstare. Id vero solus magistratus potest. 3.) Pii reges in ecclesia Israëlitica synodos convocare fuere soliti, quod testantur exempla *Davidis*, 1. Paral. XIII. 1. 1. Paral. XXIII. 2. *Salomonis*, 1. Reg. VIII. 1. *Jehu*, 2. Reg. X. 19. *Ezechiæ*, 2. Paral. XXIX. 4. *Josiæ*, 2. Reg. XXIII. 1. 4.) In nov. test. potestas conciliorum indicendorum fuit penes Romanos imperatores ad Christum conversos Vt in synodalibus illis conventibus εὐταξία observetur, atque omnia ad ecclesiæ ædificationem dirigantur, providere debet pius magistratus; neque tamen pro arbitrio definiendi ac decidendi potestatem sibi vindicet, sed sacrarum literarum normam respiciat, ministerium ecclesiasticum in consilium adhibeat, & ad ecclesiæ incrementum omnia dirigat. Damascenus orat. II. de imaginibus dicit, ἐ βασιλέων ἔστι νομοθετῆσαι τῇ ἐκκλησίᾳ, *Regum partes non sunt, ut ecclesiæ leges præscribant*; puta arbitrio proprio, αὐτοκρατορικῶς & sine ministerii ecclesiastici consensu ac suffragio. Cum imperator Constantius in synodo justo imperiosius sese gereret, & quid fieri vellet, convocatis pro auctoritate dictitaret, Leontius, Mysiæ ad Istrum episcopus, hisce eum excepit verbis: θαυμάζωσε, ὅτι ἑτερα διέπειν ταχθεὶς ἑτερα ἐπιχειρεῖς, *miror, quod cum alia heri tractaveris, politica scilicet, alia nunc agas, quod ad alia curanda vocatus, alia invadas & adgrediaris*, uti refert ex Suida & aliis Neander in theol. fol. 661.

2.) Collapsum divini cultus exercitium restituat.

§. CXCVI. Atque hæc sunt media, quibus vera religio populo ac reipublicæ alicui concessa sarta tecta *conservari*, & a corruptelis immunis ad posteros propagari, cura & opera magistratus intercedente, poterit. Quodsi vero status ecclesiæ sit turbatus, religio collapsa, cultus divinus per idololatriam & superstitiones contaminatus; tum magistratui incumbit, adhibito in consilium ministerio ecclesiastico, *pias reformationes* juxta normam divini verbi *instituere*, vel si ecclesiasticum ministerium partes officii sui negligat, & errores pertinaciter defendat, potest omnino magistratus ipse hanc curam solus suscipere, id quod *dicta scripturæ*, quæ de magistratus officio loquuntur, in *genere*, & piorum regum in ecclesia Israëlitica *exempla* in *specie* demonstrant. Ad hanc veræ religionis restaurationem pertinent:

Huc pertinet

a.) In hæreticos inquisitio.

1.) *In errantes, præsertim hæreticos seductores, inquisitio.* Illi enim, quamvis interdum publice & aperte hæresin suam spargant, quandoque tamen occulte virus suum animis hominum instillant, inquisitione igitur opus est, per quam vulpeculæ illæ e suis protrahantur latibulis. *Jehu* sacerdotes baaliticos insidiosa quadam occultatione & simulatione congregatos protraxit, 2. Reg. X. 19. quod factum, utpote singulare & heroicum, non simpliciter

&

& in omnibus, sed secundum quid, nec respectu medii, sed ratione finis, inquisitionis scilicet imitandum proponimus. De *Constantio* imperatore, Constantini patre, refert Eusebius libr. I. de vita Constant. c. 11. quod singulari quadam prudentia idololatras ethnicos christianis aulicis intermixtos in lucem produxerit. *Illis, qui in regia ipsi inserviebant, libera data optione hanc tulit conditionem, ut vel dæmonibus immolando integram haberent potestatem, tum apud ipsum commorandi, tum consuetis honoribus perfruendi, vel si minus hoc exsequerentur, aditu ad ipsum prohiberentur, & a consuetudine ac familiaritate ipsius repellerentur, rejicerenturque. Postquam igitur in duas partes diremti fuerunt, aliique in hanc, alii in illam, ilico singuli quo animo & instituto essent, perspicue ostenderunt. Ibi tum Constantius commento, quod celatum erat, statim patefacto, quorumdam timiditatem & nimium amorem, quo ipsi se suamque vitam complectebantur, vehementer arguit, alios ob sinceram & integram erga Deum mentem plurimum adprobavit, illos deinde tanquam Dei proditores imperatoris servitio indignos censuit. Quomodo enim*, inquit, *fidem erga imperatorem poterunt servare inviolatam, qui adversus Deum perfidi esse convincuntur?*

b.) *Eorumdem coërcitio.*

§. CXCVII. II.) *Eorumdem coërcitio*, ubi tamen distinguendum inter *seductos* & *seductores*. Cum illis mitius agendum, hi severius coërcendi: non permittat ipsis magistratus, ut hæresin publice spargant, sed curet ex verbo Dei ipsos instrui, quod si omnem informationem repudient, & ad saniorem mentem redire pertinaciter recusent, expellendi sunt, ne veneno suo alios inficiant, & morbida facta pecus totum ovile corrumpat. An vero propter nudam hæresin non conjunctam cum blasphemia, seditione vel aliis delictis capitali supplicio adficiendi sint, infra suo loco videmus.

c.) *Idololatricorum cultuum abolitio.*

§. CXCVIII. III.) *Idololatricorum cultuum abolitio.* Cum enim magistratus custos divinæ legis sit constitutus, ideo non debet permittere, ut cultus idololatrici cum prima decalogi tabula pugnantes publice exerceantur, sed imitetur exemplum piorum regum, qui baaliticam idololatriam abolitam voluere, puta *Asæ*, 1. Reg. XV. 12. *Josaphati*, 2. Paral. XVII. 6. *Ezechiæ*, 2. Reg. XVIII. 4. *Josiæ*; 2. Reg. XXIII. 4. &c. ut & christianorum imperatorum, qui ethnicam idolomaniam exterminarunt, & hæreticos ecclesiæ tranquillitatem turbantes severis legibus coërcuerunt, id quod æternam ipsis gloriam adtulit. *Salomoni* contra vitio vertitur, quod blanditiis uxorum idololatricarum illectus impia & idololatrica sacra publice exerceri permiserit, 1. Reg. XI. 8. ac *Jeroboamo*, quod metuens, ne populus Hierosolymam cultus divini ergo quotannis proficiscens a se deficeret, vitulos aureos in Dan & Bethel collocarit, & sacra idololatrica instituerit. 1. Reg. XII. 27.

Quæritur 1.) *An disputationes de religione in republica ferendæ?*

§. CXCIX. Quæritur hoc loco 1.) *An disputationes de religione in republica ferendæ?* Negat Bodinus lib. IV. de repub. p. 753. *Quia* 1.) *de religionibus disputare maxime pernicioſum est reipublicæ* 1. Tim. VI. 20. *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Resp. loquitur apostolus de disputationibus, quibus mysteria christiana vel paganis, vel Judæis profanantur. 2.) Marcianus l. Nemo 4. C. de summ. Trin. & fid. cath. *Nemo clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis de fide christiana publice turbis coadunatis & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam & injuriam facit judicio reverendissimæ synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere, & publice disputare contenderit &c.* Eadem constitutio exstat in actis concilii Chalcedonensis Act. III. Resp. a) Imperator dicit *contendere*, quod est contentiose disputare, ex disputatione tumultus & perfidiæ occasionem requirere, ut in l. 4. diserte additur, ad quæ verba addit glossa, *quod*

quod id semper praesumatur, nisi fiat causa addiscendi in scholis, vel causa convincendi haereticos. b) Ratio specialis est in iis, quæ expresse in conciliis sunt damnata. Hæc si quis serio defendere velit, ille merito non est audiendus, sed ex ecclesia ejiciendus propter rationem in textu additam. 3.) l. Damnato 6. §. 1. C. de hæret. *Nemo in religionis disputatione aliquam supradicti nominis* (Arianorum, Nestorianorum &c.) *faciat mentionem.* Opponimus: Glossa ex l. *Quoniam* 23. C. *de episc. & cleric.* ibidem colligit, quod de fide catholica publice disputare ad reprobandam pravam hæreticorum opinionem liceat. Stephanus Pannonius in disput. de circul. oper. & judiciorum Dei th. 22. *A scriptis polemicis, sicut pontificii, ita evangelici omnes auctoritate imperatoris, regum & principum & rerumpublicarum interveniente, tum contra se, tum inter se abstineant: sed per didascalica scripta alii alios, ubi opus est, doceant, moneant, non autem dominentur alii in alios.* Keckermannus libr. I. syst. polit. p. 524. *In dissensionibus de religione non patiatur princeps certamina publica nimis invalescere, praesertim pro suggestis & ad populum.*

2.) *An libri haereticorum prohibendi?*

Quæritur II.) *An libri haereticorum prohibendi?* Negat Duarenus lib. IV. de eccl. minist. c. 2. l. Damnato 6. §. 1. C. de hæretic. *Nec vero impios libros nefandi & sacrilegi Nestorii adversus venerabilem orthodoxorum sectam decretaque sanctissimi cœtus antistitum Ephesi habiti scriptos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat, quos diligenti studio requiri ac publice comburi decernimus.* Bellarminus lib. de laicis cap. 20. *Libri patrum etiamsi haereses mixtas habeant, tamen permittuntur ab ecclesia Romana, quia prosunt propter antiquitatem. Protestantium autem libri licet multa bona mixta habeant, tamen penitus sunt abolendi ac prohibendi, quia veritas non est legenda in libris haereticorum, nam laicis, ubi ibi est, nocet, non prodest.* Atqui num magis nocebit veritas in recentioribus, quam falsitas in antiquis? longe aliter Hieronymus de lectione librorum Origenis disputat epist. LXL. ad Pamm. & Ocean. Distinguendum: Quidam hæretici libri sunt 1.) *magici*, 2.) *famosi*, 3.) *notorie blasphemi*, 4.) *variis erroribus consperfi.* Magici comburantur. Act. XIX. 19. Famosi prohibeantur. Imperatum constit. in eorum auctores capitali supplicio animadvertunt l. *Vnic.* C. *de libr. famos.* Ordin. Imper. Carol. V. c. 110. Notorie blasphemi itidem abolendi. Variis erroribus consperforum librorum lectio non cuivis, in primis illis, qui fidei fundamenta nondum cognoverunt, est concedenda, sed propterea non simpliciter sunt abolendi, verum eruditis eorum lectio commendanda: 1.) Propter apostolicum præceptum: *Omnia probate*; 1. Thess. V. 21. *Probate spiritus.* 1. Joh. IV. 1. 2.) Propter lectionis illius commodum. In hæreticorum libris talia traduntur, ex quibus ipsæ hæreses refelluntur. Vtile etiam est propter historicam relationem scire, quid quovis seculo actum. 3.) Propter antiquitatis suffragium. Augustinus lib. III. de doct. christ. cap. 30. *Haeretici, si quid bene dixerunt, legendi sunt.* Thomas lib. IV. sent. dist. 13. *Ecclesia utitur haereticis ad probationem doctrinae suae.* 4.) Propter comparatum. Quis patrum fuit ab omnibus erroribus immunis? In libris ethnicorum & Judæorum continentur multa a fide christiana aliena, nec tamen eos abolemus. Nota porro: a) Libri hæreticorum dicuntur vel omnes sine discrimine, quicunque ab ipsis sunt scripti, sive de religione, sive de aliis: ut Grammatici, poëtici, logici, historici aut alterius generis, vel certi, in quibus hæresin sparserunt. b) Hæresis alia pugnat cum fundamento doctrinæ & fidei, idque vel directe, vel per indirectum, & proinde alia blasphemia est, alia non item. c) Interdictum aliud simplex & absolutum pertinens ad omnes subditos omniaque tempora & loca, aliud limitatum & conditionatum, concernens certas personas, nempe rudes & imperitos, item certa tempora, in quibus sine offendiculo aut periculo contrarium fieri non possit, denique loca publica, aut privata. d) Modus prohibitionis

nis fit vel verbo & mandato, vel facto sive combustione. Prohibitio, quæ fit interdicto apud rudiores, jure fit de libris hæresi quadam præsertim contra fundamentum fidei infectis, apud doctiores non item, nisi in casu scandali; quæ vero fit combustione, si per vim eripiat peritis libros eorumque expendendorum & judicandorum facultatem adprobari non potest. libri ejusd. c. 21. *Non expetimus*, (nos christiani) *ut Deum nostrum, qui est omnium creator, velint, nolint, colat aliquis invitus, nec si non coluerit, irascimur.* Bellarminus duo argumenta profert. 1.) *Prohibitio & combustio librorum haereticorum antiqua & perpetua consuetudine apud ethnicos & christianos observata est. Ergo & hodie merito observatur.* Prius membrum probat duplici facto, altero *Romanorum*, de quo Valerius Maximus lib. I. c. 1. altero *Atheniensium*, de quo Cicero lib. I. de nat. deorum. Posterius confirmat partim *inductione ex interdictis ecclesiae a tempore apostolorum ad nostra, partim a signo, quod ostendit haereticorum libros esse combustos, quia hodie non exstant tot volumina Marcionis, Valentini, Arii &c.* Resp. Propositionis omissæ consequentia negatur, quia procedit a facto ad jus. *Adsumtionis*, sive antecedentis membrum prius est alienum. Ethnici enim sunt extra ecclesiam, & eorum libri proprie hæretici dici nequeunt. Posterioris una probatio laborat vitio ἑτεροζητήσεως, magicos, hæreticos & blasphemos confundendo, altera a genere ad speciem procedit adfirmative, quod non licere ex pari constat, patrum enim quorumdam scripta, quia non exstant hodie, non potest inde firmiter colligi, ea esse combusta. 2.) *Colloquia haereticorum sunt periculosissima & ideo diligenter vitanda. Ergo multo magis libri sunt periculosi & vitandi.* Antecedens probat ex Rom. XVI. 17. 2. Tim. III. 5. Tit. III. 10. 2. Joh. v. 10. & ex Irenæo lib. III. cap. 3. Cyprianus lib. I. epist. 3. Athanasius de S. Antonio in ipsius vita, Antonio ipso ibidem; Augustino epist. 62. Leone serm. XVIII. de pass. Dom. *Consequentiam* probat IV. rationibus: a) oratio in libris scripta est artificiosior; b) est semper ad manus; c) libri magis sparguntur, quæ omnia secus habent in colloquiis; d) ab experientia, quam probat exemplo Wiclefi, qui voce paucissimos, libris totam Bohemiam pervertit. Resp. 1.) Distinguendum inter colloquium familiare cum rudibus & inexercitatis, ac inter congressus disputatorios cum solide doctis & exercitatis. Confer Tit. III. 10. Tertullianum de præscript. cap. 2. imo ipsorum adversariorum testimonium in præfatione enchiridii Costeri & praxin ecclesiæ. 2.) Testimonia scripturæ aut sunt aliena, ut primum & ultimum, quæ agunt de conversatione familiari rudium cum hæreticis, sicut tertium de omnium impiorum consortio vitando, aut habent suam restrictionem, ut secundum. 3.) Patrum dicta ἑτεροζητήσεως vitio itidem laborant. Priora quatuor de familiari conversatione, posteriora duo de rudium periculo agunt. 4.) Rationes, quibus consequentia probatur, in simplicioribus & imperitis locum habent, non in doctis & exercitatis. Sixtus Senens. lib. IV. Bibl. sanct. adnot. 266. p. 543. *Nec a Romano pontifice, nec ab ulla unquam synodo fuit omnino prorsusque prohibitum, ne haereticorum scripta legerentur, sed ne sine majorum concessione legerentur, maxime vero ab ineruditis, qui facile eorum lectione falli possent, & ab eruditis etiam, quos nulla hujusmodi lectionis urgeret necessitas. Nam & Carthaginenses IV. synodus can. 17. concedit episcopis eruditione & fide conspicuis lectionem haereticorum voluminum, quo facilius possint illorum insidias agnoscere & validius confutare.*

§. CC. Quæritur III.) *An magistratus subditos ad fidem cogere debeat?* Adfirmantem quæstionis partem pontificios amplecti, testatur ipsa *praxis* inquisitionis Hispanicæ, sed opponimus illis, 1.) *Mandati divini defectum.* Nuspiam enim, in novo præsertim testamento, mandatum, ut ad Christi religionem amplectendam

3.) *An magistratus subditos ad fidem cogere debeat?*

cendam homines vi cogantur. In parabola Luc. XIV. 23. servus jubetur, ut compellat hospites ad cœnam cœlestis patrisfamilias invitatos(*), sed ille ἀναγκασμὸς pro ratione subjectæ materiæ intelligendus, quod ministri ecclesiæ, qui *per servos* præcipue hoc loco intelliguntur, prædicatione legis & comminatione pœnarum ad pœnitentiam homines excitare debeant, ac quod magistratus ad verbum audiendum & externa conversionis media subditos debeat cogere; non autem immediate ad religionem vel amplectendam, vel abjiciendam. Theophylactus in comm. c. XIV. Luc. fol. 172. illum ἀναγκασμὸν explicat de virtute verbi: *Vt sciamus*, (inquit) *magnæ virtutis Dei esse credidisse gentes in tanta versantes ignorantia, ideo dixit:* Compelle. *Nisi enim magna fuisset ejus, qui praedicabatur, virtus & magna verbi veritas, quomodo persuasi essent homines? &c. vel aliter, virtus signorum manifestam adferebat necessitatem, ut transferantur ad fidem Christi.* Apoc. III. 9. in vulgata versione itidem habetur vox *adigendi*, sed in Græco est ποιήσω. 2.) *Exemplum contrarium.* Perversus enim & inversus ille docendi ordo, ut a vi & coactione initium fiat, plane ignotus est apostolicæ & primitivæ ecclesiæ. Christus jussit apostolos docere ac baptizare, non mandavit, ut eos, qui audire nollent, interficerent, aut ad credendum civilis potestatis auctoritate compellerent. *Egregius ille prædicator* (Paulus 2. Tim. IV. 2) dicit: *Argue, obsecra in omni patientia & doctrina. Nova vero atque inaudita prædicatio, quæ verberibus fidem exigit*; cap. *Quid autem &c.* dist. 45. ex Gregorio lib. II. epist. 52. 3.) Ἀδυναμίαν *obtinendi illum effectum. Animis hominum non ita imperatur, ut linguis, mentium rex Deus est.* Fides in anima, quæ spiritus est, & cogi non potest, consistit, sola divinitas interiora cordis cognoscit, scrutatur, judicat. Ad assensum, qui fidei pars est, nemo cogi potest, sed est actus a voluntate elicitus: *Quis imponat mihi necessitatem vel credendi, quod nolim, vel, quod velim, non credendi? nihil tam voluntarium, quam religio, in qua si animus aversus, jam sublata, jam nulla est*; inquit Lactantius lib. V. div. inst. c. 19. *Liberum quiddam est credere, imo quiddam divinum in spiritu, externa igitur vi cogi nec potest, nec debet*, scribit Lutherus tom. II. Jen. f. 180. *Non potest esse sincerum, quod coactum, nec Christo quidquam gratum, nisi voluntarium.* Refert Philo in libro, *quod omnis probus liber.* p. 557. Calanum, antiquissimum philosophum, ad Alexandrum magnum scripsisse in hanc sententiam: *Amici tibi suadent, ut cogas Indorum philosophos, ne per somnum quidem conspicati res nostras, & nostra negotia. Corpora de loco in locum transferes, animis invitis nullam vim inferes, nihilo magis quam si lateres & ligna cogas vocem emittere. Nullus rex, nullus princeps potest efficere, ut quidquam agamus praeter animi sententiam*, ἐπεὶ ἐγὼ βασιλεὺς, ἔστε ἄρχων, ὃς ἀναγκασε ἡμᾶς ποιεῖν, ἃ μὴ προαιρούμεθα. *Non gladio, sed persuasione ac vi doctrinæ in cordibus hominum religio & plantatur, & honesto vitæ exemplo confirmatur*, scribit rex Navarræus in literis ad nobiles Aquitaniæ apud Dinothum lib. VI. hist. Gallic. f. 488. 4.) *Dominatum in conscientias & animas soli Deo relictum. Non dominamur fidei vestræ*, inquit apostolus 2. Cor. I. 24. nimirum, quia tale dominium in conscientias ad solum Deum pertinet. Stephanus Batoræus, Poloniæ rex, dicere consuevit,

G 2

(*) Hocce oraculum servatoris peculiari dissertatione egregie illustravit b. cancell. Pfaffius in *commentatione theologica ad verba Christi Luc. XIV. 23. compelle ad intrandum, sive de tolerandis, vel non tolerandis in religione dissentientibus.* Prodiit ea Tubingæ MDCCXXXII. postea vero recusa Francof. & Lipsiæ *MDCCLIII.* adjuncta alia *dissert. ad Matth. XIII. 24 seqq. de Zizaniis non evellendis, sive de tolerantia diversarum in eodem territorio religionum.* Nota quoque sunt, quæ hanc in rem scripsit Petrus Bælius in peculiari libro, cui titulus: *commentaire philosophique sur ces paroles de Jesus Christ, contrain les d'entrer &c.* Sed legi merentur, quæ heic contra Bælium scripsit Basnagius in *traité de conscience avec des reflexions sur le commentaire philosophique &c.* Add. Placette in *traité de conscience*, ut alios taceamus. Non fert instituti ratio, ut hocce argumentum data opera heic excutiamus.

vit, *Deum tria sibi reservasse, ex nihilo aliquid facere, futura scire, & dominari conscientiis;* & Maximiliani II. imperatoris nunquam satis laudati hoc fuit dicterium: *Nullam esse tyrannidem intolerabiliorem, quam conscientiis dominari velle,* nimirum quia dominium illud Deus sibi soli reservavit; in literis ad Laz. Schuendium sic loquitur: *Es ist in der Warheit nicht anders, als ihr vernünfftiglich schreibet, dass Religions-Sachen nit wollen mit dem Schwerdt gehandelt und gerichtet werden, kein Erbarer, Gottsfürchtiger und Friedliebender wird es auch anders sagen.* Idem: *Eorum actiones, qui suppliciorum crudelitate, sectionibus & ustionibus hanc rem confici posse defendunt, mihi minime placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi forte, quod tamen serio deprecabor, ne fiat, Deus permittat, ut in furorem & insaniam prolabar.* In epist. de sedit. Belg. Henricus III. Galliæ rex, qui per totam vitam religionem evangelicam armis oppugnaverat, in extremo mortis articulo confiteri coactus, *conscientiæ dominium non ad reges ullosve pertinere magistratus.* Samuel a Remching. dissert. II. de pace relig. in polit. imperial. Goldasti part. XXX. pag. 1367. ex hist. *des dern. troubl.* lib. V. f. 193. Seneca lib. III. de benefic. cap. 20. *Corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens vero sui juris, quæ adeo libera ac vaga, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, & in infinitum comes cælestibus exeat.* 5.) *Irritum conatus hujus successum:* violentis mediis animi subditorum ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienantur & irritantur, seditionibus ac cædibus occasio datur, & reipublicæ tranquillitas turbatur. Coactione illa violenta nihil quidquam profici multis exemplis probat P. Gregorius lib. XII. de repub. cap. 5. num. 12. 6.) *Diversum sanæ & canæ antiquitatis judicium.* Tertullianus ad Scapul. c. 2. p. 88. (*) *Religionis non est, cogere ad religionem, quæ sponte suscipi debet, non vi.* Clemens Alexandrinus lib. I. pædagog. cap. 1. p. 109. *Exhortatoria est universa religio piusque Dei cultus, ut qui & vitæ hic rectæ degendæ & futuræ desiderium menti cognatæ ingeneret.* Hilarius ad Constant. imperatorem. *Non decet, non oportet cogi atque compelli invitos & repugnantes.* (**) Concilium Toletanum IV. can. LVI. & citatur cap. *Judæis* &c. dist. 45. *Nemini ad credendum vim inferendam esse statuit, cui enim vult, miseretur Deus, & quem vult, indurat.* Lactantius libro institut. div. cap. 19. pag. 303. *Non est opus vi & injuria, quia religio cogi non potest, verbis potius, quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas &c. Longe diversa sunt carnificina & pietas. Non potest pietas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Defendenda est religio, non occidendo, sed moriendo, non sævitia, sed patientia, non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum: & necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur.* Cap. 20. p. 306. *Libet ex his* (violentis coactoribus) *quærere, cui potissimum se præstare putent cogendo invitos ad sacrificium. Ipsine quos cogunt? at non est beneficium, quod ingeritur recusanti, sed consulendum est etiam nolentibus, quando, quid sit bonum, nesciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si salvos volunt? aut unde pietas tam impia, ut miseris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus consultum esse velint? an vero diis præstant? at non est sacrificium, quod exprimitur invito, nisi enim sponte atque ex animo fiat, exsecratio est &c.* Ambrosius in 2. Cor. I. *Fides non necessitatis, sed utili-*

(*) Humani juris & potestatis est, unicuique quid putaverit colere, nec alii prodest, aut obest alterius religio. GERHARDVS.

(**) Athanasius in ep. ad solitar. vitam agentes p. 465. *piæ religionis proprium est, non cogere, sed suadere.* Gregorius Naz. orat. I. in Jul. p. 116. a. edit. Colon. in 8. *Cum manifeste persuadere haud posset, tyrannice autem cogere erubescerer, sub leonina pelle vulpinam abscondidit, nam (quo pacto exactius dicerem) manifuete cogebat.* GERHARD.

utilitatis res est. (*) Apud Cassiodorum lib. II. var. epist. 27. Theodoricus Romanorum rex permittens Judæis templum reficere; *Damus*, inquit, *licentiam, siquidem permissum est, sed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Bernhardus serm. LXVI. in Cant. col. 692. *Suadenda fides, non imponenda.* 7.) *Moderatiorum pontificiorum suffragium* nostræ sententiæ datum. Cum Galliæ rex anno 1555. severum de exstirpandis Hugonotis edictum promulgasset, senatus parlamenti Parisiensis ab instituto eum dehortaturus inter alia graviſſime scribit: *Æquum videri, ut potius veteris ecclesiæ vestigiis insistatur, quæ non ferro & flammis in religione constituenda ac propaganda, sed puriore doctrina & honestis vitæ antistitum exemplis rem confecit*, referente Aug. Thuano lib. XVI. hist. Andr. Philopater, presbyter Romanus, in resp. ad edictum Anglicum p. 58. *Si persuaderi sibi a Cæcilio consiliario præcipuo permiserit Elisabetha regina, hanc tantam subditorum carnificinam carere omni periculo, imprudentia est insignis. Saltem sequi debebat Gamalielis consilium* Act. V. 39. *benevolentia & tolerantia res tentanda est, quod Germaniæ principes utplurimum faciunt. Nam persecutionibus & pressuris tantaque hominum strage & laniena usus satis edocuit nihil proficiposse*, quod hominis catholici scriptum patres Augustanos adprobasse, refert Samuel a Remching. de pace relig. dissertat. I. Editum est August. Vindelicor. (**) Distinguendum tamen 1.) Inter coactionem ad religionem *veram* & ad *falsam*. Ad falsam religionem tantum abest, ut magistratus subditos cogere debeat, ut eamdem potius detestari & exstirpare debeat, ac proinde, si ad eam cogit, duplici nomine peccat. Ad veram religionem itidem non debet cogere; interim tamen ad eam si cogat, minus peccat, quin & seductos ex subditis compellere potest ad conversionis media, verbi scilicet auditum. 2.) Inter *violentam conscientiarum coactionem* & *publici exercitii prohibitionem*. Quamvis enim magistratus non debeat conscientias ad religionem cogere, tamen non debet vagam quidvis publice docendi, profitendi & exercendi licentiam concedere; sed media insistat via, nec nisi urgente extrema necessitate publici exercitii libertatem diversæ religionis professoribus permittat.

§. CCI. Quæritur IV.) *An magistratus plures* (uti vocant) *religiones in republica tolerare debeat?* (***) Lipsius lib. IV. polit. c. 2. & in lib. de una religione. Joh. Paulus Windeck libr. de hæret. exstirpandis p. 327. Anton. Possevinus in epistol. ad regem Poloniæ. Conrad. Brunus libr. 4.) *An magistratus debeat plures religiones in republica tolerare?*

(*) Videatur omnino Hilarius ad Constant. Aug. & contra Auxent. Arianum. GERHARDVS.

(**) Recte dictum a felicissimo illo non patriæ suæ Bataviæ tantum, sed nostri seculi ingenio: *Cultus Dei nullus est, nisi ab animo volente procedat. Voluntas autem docendo & suadendo elicitur, non minis, non vi. Coactus qui credit, non credit, sed credere se simulat, ut malum vitet. Hoc ergo, quod præstatis Deo, quod imputari posse Numini speratis, quodcunque vi extorquebitis, invisum est Deo & ingratum, & non acceptum habet. Divinum ergo cultum violentia & bellum non promovent. Nam, quod invisum est Deo, cultus Dei non est.* GERHARDVS.

(***) Pisecius in præloquio ad pontificios responsioni ad 10. rationes Campiani præfixo A. 6 *Pressi fuere dominatu Romanorum Judæi, sed non Judæorum religio. Sexcentæ nationes pene in urbem Romam fluxerunt, quibus singulis sacra sua cultusque patrii erant. Libere suos deos singuli colebant, nec ad unam religionem cogebantur. Nec inter Judæos barbaros tanta barbaries. Constat Mahumetanorum religio duabus ac septuaginta sectis, quæ ab uno fonte vivi more deducta in populum per vim publicam tolluntur? minime. &c. Non aliud prisca ferebat Hebræorum consuetudo adfirmantium, oportere, ut sua quisque voluntate, non vi Deum colat.* Sed Andr. Ernstenb libr. II. auton. c. 26. *daß die Obrigkeit ohne sondern Abfall und Meineydigkeit keine andere Religion als die wahre, sie beisse gleich wie sie wölle zulassen oder dulden mœge, und da auch solches geschehe, dasselbe unserm HErrn GOtt zum höchsten zuwider sey.* Dav. Paræus in comm. epist. Rom. p. 1369 pariter probat, magistratum non posse, nec debere plures, quam unam eamque veram religionem in regno tolerare. GERHARDVS.

III. de hæret. cap. 15. Bellarminus lib. de laicis cap. 18. & alii complures pontificiæ præsertim religioni addicti, simpliciter negant, argumentis ductis 1.) *A divino mandato*: Deus ipse in politia Israëlitica unam tantum vigere voluit religionem, quin & unicum duntaxat templum in populo suo exstare voluit, ne populus diversis religionibus ac cultibus implicaretur, *pseudoprophetas jussit interficere*, Deut. XIII. 1. *agros & vineas diversis seminum speciebus conseri, ac vestem ex lana linoque contexi* prohibuit Levit. XIX. 19. Deut. XXII. 9. mystice innuens, non esse diversarum religionum semina in Dei agro, qui est ecclesia, invicem commiscenda, nec ex diversis religionibus Samaritanismi quamdam vestem conficiendum. 2.) *A vero veræ religionis zelo*: Magistratus, qui vere & ex animo veræ religioni addictus est, non frigide nec oscitanter eam defendet, sed vero & fervido zelo contra illius hostes armabitur, tantum abest, ut diversæ religioni in suo regno aditum & hospitium sit concessurus. *Nonne eos, qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi*; inquit David Psalm. CXXXIX. 21. & 22. *Fieri nec solet nec potest, ut quis Deum sincere & ex toto corde diligat, qui diversas religiones simul fovere desiderat. Certissimum enim inde est, neutram credere, qui contrarias admittit.* Tholozanus libr. VIII. de repub. cap. 2. numer. 15. 3.) *A regum Israëliticorum exemplo*, qui destruebant lucos & templa idolorum, & populum ad cultum veri Dei reducebant, ut Ezechiæ, Josaphati, Josiæ & aliorum historia testatur, quibus etiam christiani imperatores adnumerandi. *Constantinus* idolorum templa clausit, & solam christianam religionem vigere jussit. *Theodosius I.* omnes fidem catholicam amplecti voluit &c. 4.) *A multiplici incommodo*: Ex illa diversarum religionum tolerantia oriri solent incommoda longe maxima, siquidem noxia est tum ecclesiæ, tum reipublicæ, tum illis ipsis, quibus conceditur. *Ecclesiasticæ unitatis* vinculum est unius fidei confessio; Eph. IV, 5, ergo in fide dissensio est ecclesiasticæ unitatis dissolutio. Credendi libertas vehementer impedit, quo minus ecclesiæ termini latius propagentur, ac plures ad veritatis agnitionem perducantur. Sed & *reipublicæ* pacem diversitas religionis non mediocriter labefactat. Quemadmodum enim arctissimum pacis & concordiæ vinculum inter cives est una omnium consentiens religio, sic e converso sententiarum de fidei articulis diversitas tranquillum & pacatum reipublicæ statum facili negotio labefactat. Refert quidem Levenclajus in pandect. Turc. & ex eo Camerarius part. I. succisiv. cap. 58. pag. 262. quod Solimannus Sultanus, cum a Muphthi (qui est Turcarum pontifex maximus) & Bassis admoneretur, ut christianos & alios diversos ritus sequentes ad musulmannizandum cogeret, forte ex fenestra in hortum variis floribus simul enatis decoratum ex arce despiciens uno in loco diversi coloris flosculis monstratis dixerit: *Quemadmodum ista varietas herbarum ac florum non solum nihil obest, sed mirifice oculos & sensus recreat, sic in imperio meo diversa fides & religio potius usui est, quam oneri, modo pacate vivant*; unde etiam Hierosolymis videre licet Romanos, Græcos, Assyrios, Surianos, Nestorianos, Gregorianos, Marcionitas, Abyssinos & alios religionis professione dissentientes, sed politicæ unitatis vinculo conjunctas. Danuilla etiam apud Dinothum libro VI. histor. Gallic. fol. 474. censet, *nulla cum ratione id asseverari, quod duæ atque diversæ religiones in uno atque eodem regno retineri non possint, quia in Occitania contrarium ostendatur, ubi dissentientium in religione summus videatur consensus.* Interim tamen aliorum magistratuum ac legislatorum aliud fuit judicium, qui existimarunt, non posse subditorum animos firmo pacis & concordiæ glutine coalescere, nisi in ipsa actionum summa, in religione scilicet prius conveniant; ac diversitatem religionum secum trahere simultates perpetuas, contentiones adsiduas ac seditionum semina feracissima. Legibus XII. tabularum cautum erat: *Separatim nemo habessit Deos, neque novos sive advenas,*

venas, nisi publice adscitos, privatim colunto. Constructa a patribus delubra habento. Cicero lib. II. de legib. Vnde Romani ædilibus bello Vejenti id negotii dederunt, ut animadverterent, *ne qui, nisi Romani dii, ne quo, nisi patrio more, colerentur.* Livius lib. IV. Mecænas apud Dionysium lib. LII. Octaviano consuluit, *ut non solum more majorum numen diligenter coleret, sed & alios ad eum cultum compelleret, non solum religionis, sed maxime reipublicæ causa, novæ enim religionis prætextu multos res novas moliri, & illicita collegia coire, commutationesque & seditiones inde nasci.* Denique quod libertas quidvis credendi sit perniciosa *ipsis subditis*, quibus conceditur, facile adparet, *quia libertas illa quidvis credendi nihil aliud est, quam libertas errandi, & quidem errandi in re animæ salutem concernente, in qua proinde error est longe periculosissimus & nocentissimus.* Vt ergo salubriter non permittitur grex ovium per montes vagari & quævis pascua eligere, ut salubriter non permittitur navis a quolibet vento circumferri, ne ille noxia pascua eligat, & luporum præda fiat, hæc vero scopulis adlisa pereat: sic salubriter non permittitur subditis quidvis credendi libertas, ne a vera religione ac fide aberrantes æterno exitio involvantur. Hisce incommodis merito adnumeratur, quod per diversarum religionum in una republica tolerantiam ad extremum numinis contemtum fenestra aperiatur longe amplissima, unde pari passu ambulare videntur omnis religio & nulla religio. Rudis enim plebecula acres illas de summis religionis capitibus dissensiones & diversum sacrorum cultum animadvertens, sola hominum opinione veritatem constare censet, ac proinde ad Epicuri castra pleno cursu contendit.

§. CCII. Atque hæc sunt argumenta, quibus religionis diversitas in republica improbatur, quibus pondus non leve inesse, libenter fatemur, interim tamen distinguendum esse dicimus: 1.) Inter *id, quod optandum in republica christiana, & quod sperandum in hac vita.* Optandum quidem & seriis precibus a Deo flagitandum, quin & pio magistratui in id summo studio incumbendum, ut una eademque vera religio ubique vigeat, cum nullum sit firmius concordiæ & unitatis vinculum, quam si in una eademque vera religione animi subditorum invicem consentiant, sed universalis ille consensus in hac vita sperari vix potest. *Oportet esse hæreses inter vos*, dicit apostolus 1. Cor. XI. 19. nascuntur in ecclesiæ agro zizania in medio tritici: Matth. XIII. 25. 2.) Inter *personarum privatim de religione diversum sentientium tolerantiam, & inter publici exercitii concessionem.* Personæ privatæ diversum sentientes, si quiete vivant, sacris publicis utantur, nec occultis machinationibus politiæ, aut ecclesiæ pacem turbare animadvertantur, spe conversionis & pacis publicæ causa tolerandæ sunt. Neque enim quævis in fide dissensio, qua diversum creditur, sed dissensionis publica testificatio ac professio, qua diversum publice docetur ac colitur, reipublicæ perniciosa ac periculosa censenda. *Tacere liceat*, inquit Seneca in Oedip. *nulla libertas minus a rege petitur.* Quod si vero iidem errores suos publice spargere, alios ad se adlicere, simpliciores fallere, & pacem publicam turbare incipiunt, coërcendi sunt, ac nisi ab instituto desistere velint, exterminandi, ne velut putridæ & gangræna correpta membra reliquas corporis partes adhuc sanas inficiant. Inter violentam coactionem per supplicia & inter vagam quarumvis religionum libertatem est quiddam intermedium, ut videlicet hæreses coërceantur. Publicum vero diversarum religionum exercitium magistratus quando concedere debeat, ex sequentibus adparebit. Distinguimus enim 3.) Inter *statum reipublicæ pacatum & turbatum.* Quando reipublicæ status est pacatus, atque una eademque vera in eo viget religio, tunc magistratus non debet diversas sectas in ejus gremium recipere, sed novas hæreses spargentibus summo conatu resistere, & rempublicam ab omni corruptelarum labe immunem conservare. Sed quando turbatus est reipublicæ status, ac diversæ in eo jamdum

vigent

vigent, & dominantur religiones, quando scilicet subditi in diversas abiere partes, ita ut vel major, vel æqualis civium pars falsæ religioni sit addicta, nec possit absque intestinarum seditionum periculo, adeoque totius regni internecione & exitio falsa religio exstirpari, ibi vero quiescendum est magistratui, a vi & bellis abstinendum, & tempori aliquid condonandum, quod agnoscit ipse Molanus pontificius libro I. de fide hæreticis servanda cap. 2. sic scribens: *Cogitur aliquando catholicus princeps sive magistratus, in quibusdam locis libertatem religionis sub certis conditionibus concedere, ne si minus malum tolerare nolit, majora in republica sua perpeti cogatur.* (*) *Carolus V.* cum a Clemente VII. Bononiæ urgeretur, ut Lutheranam religionem armis oppugnaret, suggestionibus ipsius graviter primum restitit, responso ad postulatos Clementis articulos tali dato: *Vt parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus ac religionibus vitia quædam esse dissimulanda, fundamentum in ecclesia retineri oportere &c.* Goldastus tom. III. constit. imp. fol. 506. Wolffius tom. II. memorab. fol. 331. Imitetur ergo in hoc casu magistratus *medicos*, qui in morbis gravioribus quandoque plus proficiunt quiescendo, quam movendo & agendo. Hippocrates lib. II. aphor. 29. Imitetur *naucleros*, qui cum exorta in mari tempestate eo, quo cupiunt, pergere non possunt, eo, quo possunt, cursum dirigunt, ac sæpe velificatione mutata procellis ac tempestatibus obtemperant, ne si cursum tenere velint, naufragium faciant. Præstat, aliquam habere rempublicam, licet variis de religione dissidiis turbatam, quam nullam: præstat subditos pios veræ religioni addictos ac velut lilium inter spinas diversæ religionis sectatoribus intermixtos tueri & conservare, quam per violentiam reipublicæ navim penitus evertere. Ammianus lib. XX. de Valentiniano imperatore memorat, ipsum hoc moderamine principatus inclaruisse, *quod inter religionum diversitatem medius steterit, nec quemquam inquietaverit, nec interdictis minacibus subditorum cervices ad id, quod ipse colebat, inclinarit, sed has partes intemeratas reliquerit.* Jac. Aug. Thuanus in præfat. suæ histor. testatur, Henricum IV. Galliæ regem *eo ipso, quod protestantibus in suo regno quietam permiserit sedem, rempubliceam labentem fulciisse.* Plura exempla adducentur inferius in quæstione, an hæretici capitaliter puniendi? 4.) Inter *qualemcunque diversitatem & publicas blasphemias.* Quamvis enim certis temporibus diversitas religionum a magistratu tolerari possit; tamen si manifestæ accedant blasphemiæ, eas nullo temporis, vel periculorum respectu habito magistratus severe coërcendas statuat. 5.) Inter *diversarum religionum tolerantiam, & earum adprobationem.* Si vel maxime cogitur magistratus ad evitandum majus malum diversas religiones in suo regno tolerare, non tamen debet easdem adprobare, sed dissensum suum publice testari, & libertatem illam, quantis commode potest, limitibus restringere. In turbato illo reipublicæ statu magistratus studium *veritatis & caritatis prudentia* temperatum ipso facto exerceat. *Veritatis studium* jubebit, ut publicis indiciis testatum faciat, falsam religionem, etiam cum toleratur, a se improbari. *Caritatis zelus* suadebit, ut subditorum saluti & incolumitati consulat, inque omnes occasiones sit intentus, quibus errantes & seducti in viam veritatis reduci, & ecclesiæ veræ adsociari possint. *Prudentia* suggeret modum ac media, quibus & veritas stabiliri & caritas exerceri

(*) Theodosius junior Arianorum religionem & collegia acerrime quidem oderat, interim quia nulla vi exscindere posset, ferebat, cum ineunte imperio provincias omnes orientis Arianorum plenas reperisset. Athanasius rogatu Constantii imperatoris ex multis, quæ erant Alexandriæ, templis unum Arianis concedere voluit, si orthodoxis etiam Antiochiæ unum templum permitteretur. Petrus Cudiemius apoR. in desperat. Calv. causa p. 116. *Laudabile & prudens est consilium, quo Henricus IV. Galliæ & Navarræ rex, sanxit omnibus in nobilissimo suo regno pro tempore religionis immunitatem, potestatemque fecit ad divinum ejus cultum suo loco palam & secure conveniendi, quo pacto publica totius regni & in eo catholicæ ecclesiæ pax altitur, & patriæ salus conservatur.* Gerhard.

eerl queat, ne intempestiva severitate absti-neantur, qui lenitate poterant flecti atque corrigi. 6.) Inter *pacem politicam & syncretismum ecclesiasticum*: Inter diversæ religioni addictos subditos pacem politicam sancire potest princeps, sed religionis quemdam syncretismum introducere nequaquam debet. (*) Talis enim syncretismus repugnat divinis mandatis, tum in typis; Lev. XIX. 19. Deut. XXII. 9. tum expresso sermone propositis: 2. Cor. VI. 14. & seqq. Apoc. III. 15. labefactat fidei unitatem ac sinceritatem: 1. Cor. V. 6. Eph. IV. 5. introducit Samaritanismum divinitus prohibitum, 2. Reg. XVII. 33. & omnem religionis ac pietatis zelum exstinguit. (**) Jovinianus imperator Antiocheni concilii patribus respondit, *se nemini qualemcunque fidem amplexanti molestiam exhibiturum, sed eos præter cæteros benevolentia & honore prosecuturum, qui ecclesiæ ad concordiam adducendæ auctores essent.* Socrates lib. III. hist. eccl. c. 21. Idem tamen, quoniam perpetuo fidei consubstantialis adhæserat, reliquis episcopis respondit, *se eam fidem prælaturum, unde Athanasium Alexandrinæ ecclesiæ restituit, & gentilium delubra clausit.* lib. ejusd. c. 20. In imperio Romano per pacificationem Passaviensem anno 1552. initam & in comitiis imperii postea confirmatam Augustanæ confessionis & pontificiæ religionis exercitium liberum est permissum; interim tamen nequaquam cum pontificiis quemdam religionis syncretismum Augustanæ confessionis socii instituerunt, sed politicam duntaxat pacem cum illis colunt. 7.) Inter *potestatem magistratus liberam*, ac *restrictam*: Quando princeps liberam & absolutam habet potestatem, quantis potest viribus, eniti debet, ut una solum eaque vera religio in suis vigeat provinciis: sed si potestas principis est restricta, diversæ religioni locum relinquere cogitur. Duplici autem modo contingere potest, ut principis potestas in hoc negotio sit restricta. *Primo*, si legibus imperii fundamentalibus in capitulatione, quam ita vocant, propositis ad diversarum religionum tolerantiam se obstrinxit, tunc ab illa promissione, præsertim si juramento confirmata sit, discedere neutiquam debet, ne perjurii crimen committat, & nomen Dei blasphemari faciat, qua de re paulo post plenius. *Deinde* & principis potestas in prohibenda religionis diversitate restricta judicanda, si partem quamdam potestatis proceres imperii sibi reservarunt, qui non sint mere subditi, sed in consortium aliquod potestatis recepti; tunc enim non potest nec debet violentis mediis status ac proceres diversæ religioni addictos coërcere, sed αὐτονομίαν in religionis negotio ipsis cogitur relinquere. 8.) Inter *vet. testamenti rigorem, & rigoris illius in nov. testamento relaxationem*: In vet. testam. ecclesia angustiis limitibus erat inclusa, ideo severis legibus prohibitum erat, ne diversitas religionis in populo Israëlitico toleraretur, quin & pseudoprophetæ interfici, ac gentes idololatricæ deleri jubebantur, Deut. XIII. 1. VII. 2. sed nov. testam. est tempus gratiæ, in quo gladio spiritus debellandi sunt hæretici, 2. Cor. X. 4. ac sine cæde & sanguine cœlestis doctrina propaganda; Esa. XI. 9. unde cum discipuli argumento ex vet. test. ex historia scilicet Eliæ petito, Samaritanos igne cœlitus delapso perdendos esse statuerunt, Christus ipsis respondit, Luc. IX. 55. *Nescitis, cujus Spiritus sitis?* v. 56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

§. CCIII.

(*) Syncretismum illum perpetuo urgent Calviniani. Franc. Junius tom. I. op. theol. col. 681. *Jamplus satis in orbe christiano dimicatum est. Pax quærenda, invenienda, & modis omnibus retinenda.* Anno 1602. prodiit scriptum ψευδώνυμον Antonii Benbellonæ de Gaudentiis; quadriennio post prodiit in lucem libellus ecclesiarum Palatinarum exhortationem ad mutuam pacem ab evangelicis colendam continens. Anno 1614. prodiit irenicum Paræi, in quo talem syncretismum serio urget. p. 66. GERHARDVS.

(**) Conr. Pelicanus in Ex. f. 146. *agrum non mixtim serendum allegoricum videtur esse contra hypocrisin in verbis & factis & iniquitatem quamcumque, sicut & de veste mixtim contexta ex lana & lino doctrinam falsam veræ non miscendam, viam secularem religioso habitu non vendicandam.* GERHARDVS.

5.) *An pacificatio Paſſavienſis adprobanda?*

§. CCIII. Quæritur V.) *An pacificatio Paſſavienſis, qua & Auguſtanæ confeſſionis & pontificiæ religionis liberum in imperio Romano exercitium conceditur, ſit adprobanda?* (*) Quidam ex rigidioribus pontificiis, præſertim Jeſuitis, in eam valde ſunt injurii. Antonius Poſſevinus in epiſtola ad regem Poloniæ, referente Wolffio cent. XVI. lect. memorab. pag. 804. *certe concedere, qualia fuerunt in comitiis illis conceſſa, nihil aliud eſt, quam Chriſtum negare. Quod cæſar parum conſiderate promiſit, æque ſe defenſurum utriusque religionis homines, eſt in eo gravius erratum, quam ut uno ſermone ſatis explicari queat.* Andr. Fabricius præf. in harm. Aug. conf. imperatorem Romanum *gladio adcinctum eſſe jubet ad exſequenda concilii Tridentini decreta, cum utilis ſit talis ſanguinis profuſio.* Joh. Paulus Windeck in prognoſt. de fut. eccl. ſtatu pag. 326. pacificationem illam contendit eſſe irritam, propterea, *quod imperatori ſit per vim extorta, a Pontifice nunquam confirmata ac per concilium Tridentinum iterum ſublata*; (quem non eſſe eum, cujus nomen inſcriptio præ ſe fert, *Franc.* ſcilicet *Burchardum*, ſed alium, videlicet *Andream Ernſtenbergerum*, innuit Poſſevinus libr. I. ſelect. biblioth. p. 125. Bernh. Zieritzius de princ. inter ipſos dignit. prærog. §. 27. quod tamen alii non admittunt) illam ipſam conceſſionem ac libertatem vocat *freiſtellionatum, ſemen ſerpentinum* ac *Diaboli venenum.* Quidam Jeſuitæ aſſerere non fuere veriti, Carolum V. imperatorem & Ferdinandum regem, pacificationis illius auctores primarios, in purgatorio adhuc pœnas hujus ſui facti luere. Oſiander in apologia German. contra Schererum & Roſenbuſch, Jeſuitas, pag. 16. Sed præter generalia illa fundamenta in quæſtionibus proxime præcedentibus expoſita opponimus illis 1.) *Ipſius Ferdinandi regis, poſtea imperatoris judicium.* Refert enim Crato a Crafftheim in epiſtol. prælim. hiſt. Boh. Dubravii ipſum ſæpius in hæc verba erupiſſe: *Inter ſumma, quæ Deus in gubernatione imperii mihi conceſſit, primum atque maximum vero animi judicio hoc duco, quod ad ſedandas diſcordias publicas animum adjeci, & pacificationis in religione formulam Deus mihi in mentem dedit.* 2.) *Salutarem hujus pacificationis effectum*, quem verbis Camerarii exponere placet

(*) Evolvendi heic ſunt libri occaſione hujus pacis religioſæ ab utraque diſſentientium parte ſcripti, quos recenſuere Lipenius in *biblioth. theolog. part. II. p. 451 ſeqq.* Burcard. Gotthelf. Struvius in *biblioth. juris ſelecta*, quam emendavit, ac copioſe locupletavit Christian. Gottlieb Buder, *cap. XVI. §. XXVI—XXIX. p. 709. ſeqq.* & C. M. Pfaffius in *hiſtoria theologiæ litteraria, part. II. libr. III. p. 134.* qui & *p. 135. ſeqq.* non tantum libros contra pacem religioſam ſcriptos, ſed eos etiam, qui iisdem a proteſtantibus fuerunt oppoſiti, commemorat. In priorem claſſem cumprimis pertinet Ernesti de Euſebiis *judicium theologicum ſuper quæſtione, an lex, qualem deſiderant proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita? Eccleſiopoli MDCXLVII.* In hocce ſcripto, quod in conventu Osnabrugenſi & Monaſterienſi fuit diſſeminatum, auctor comprobare adnititur, talem pacem & ſacræ ſcripturæ & ſtatui eccleſiaſtico prorſus eſſe contrariam. Nonnulli illud Henr. Wagnererio, Jeſuitæ Dillingenſi; alii P. Biber, electori Moguntino a confeſſionibus; alii vero legato pontificio Fabio Chisio, alii denique rectius Jo. Mvhlmanno, ſocietatis Jeſu ſacerdoti, tribuunt. Vid. Placcivm *de pſeudonymis num. 988.* Confutavit vero huncce librum Jo. Georg. Dorschæus, theologus quondam Argentoratenſis, in libro germanice exarato, cui titulus: *nothwendige Entdeckung des blutdürſtigen Urtheils, welches der vermummte Ernſt von Euſebiis über die Frage: ob der Friede, wie ihn die Proteſtirende begehren, vor ſich ſelbſt unerlaubt und unrecht ſeye?* Strasburg. *MDCXLVIII.* 4. Oppoſuit quidem huic libro perſonatus quidam Jeſuita, Christianvs Fidelis, *criſin anticriſeos*, quem vero & Dorſchæi diſcipulus, Andr. Rhvnæs, & Dorschævs ipſe depexum dederunt. Cumprimis vero egregie ſolideque argumentum hocce excuſſit Hermannvs Conringivs, qui ſub ficto nomine Irenæi Evbvli *conſultationem pro pace perpetua proteſtantibus danda* anno MDCXLVIII 4. *Frideburgi*, ut titulus habet, luci publicæ expoſuit, poſtea vero, præmiſſo ipſius nomine, recudi curavit, hac inſcriptione inſignitam: *de pace civili inter ordines imperii circa religionem diſſidentes*, Helmſtadii. MDCLVII. & MDCLXVII. 4. Inſertus quoque fuit hicce tractatus *operibus* Conringii junctim editis *tom. II. p. 467.* Prætermittimus alia, quæ dici hanc in rem poterant, brevitatis ſtudio.

cet lib. I. oper. succiv. cap. 58. *Apud nos in Germania* (inquit) *constitutio pacis, in religione a cæsaribus & ordinibus Imperii sancita atque sæpius confirmata, adhuc magno cum fructu viget, tantumque abest, si ea in genuino & vero sensu sarta tectaque conservetur, seditiones & tumultus inde existere, ut dira bella & odia sub prætextu religionis antea excitata multis annis hactenus sopita sint & quiescant.* Et postea: *Hujus salutaris sanctionis beneficio videmus conjuges in religione quidem dissentire, parentes & liberos diversa sacra sequi, fratres & sorores in una interdum domo in plurimis doctrinæ cœlestis capitibus discrepantes fovere sententias, in politicis tamen & domesticis rebus concordes vivere.* (*) Osiander cent. XVI. hist. eccles. libr. 3. cap. 19. recitata hujus pacificationis formula subjungit: *Pro insigni hoc beneficio Germaniæ concesso gratias agamus, & petamus, ut eam Dominus usque ad mundi finem conservet, sunt enim flabella satanæ, qui publicis scriptis contendunt, hanc pacem armis impetratam Lutheranis iterum armis eripiendam esse.* 3.) *Publicum imperii ordinum consensum:* Fuit hæc pacificatio in publicis imperii comitiis omnium imperii statuum tam eorum, qui pontificiæ, quam qui evangelicæ religioni addicti sunt, suffragio & adsensu comprobata, sic enim habet coronis formulæ pacificatoriæ anno 1555. *Wir verordneten Churfürsten-Räthe, erscheinende Fürsten, Prælaten, Grafen uud Herren, auch der abwesenden Fürsten, Grafen und Herren, und des H. Reichs- und Frey- und Reichs-Stätte Gesandten, Bottschafften und Gewalthaber hernach benennet, bekennen offentlich mit diesem Abschied, dass alle und jede obgeschriebene Puncten und Artickel, also wie ob stehet, mit unserm guten Willen, Wissen und Rath fürgenommen und beschlossen seyn, willigen auch dieselbigen allesampt und sonderlich hiemit, &c.* Eadem in electione novi imperatoris ab imperatore & electoribus repetitur & confirmatur, cum legibus imperii fundamentalibus, capitulationi scilicet, quam ita vocant, sit inserta. Absit igitur, ut pacificationem illam a moderatioribus pontificiis iniquam, illicitam atque irritam haberi suspicemur. Quæ in contrarium adferuntur, parum roboris habent. *Vi extortam esse dicunt*, at in publicis & liberis imperii comitiis fuit sancita, cum nullus esset amplius armorum metus. (**) *Pontificis considerationem adhuc deliberari* dicunt, perinde ut Jesuitæ e Bohemiæ

(*) Quod Augustanæ confessionis socii pontificiis politice non sint hæretici & vice versa, multis ostendit Dauthenius de testament. folio 307. Qui pacificationem sublatam cupiunt, imperii interitum quærunt, ad hunc enim præcavendum pacificatio illa instituta §. *in solche &c.* Beza in epigr. p. 244.

Insanum hunc quicunque vides seseque suosque
Rate perforata mergere.
Ah quam vera vides! nam quod pictum adspicis, horum
Viva est imago temporum. GERHARDVS.

(**) An vi extorta sit transactio? de eo vide Dresserum part. II. millen. 6. in orat. de August elect. Conrad. Braun in consilio *von der Fürstenacht.* Auctor. Auton. part. I. capite 3. folio 4. & parte II. capite 1. fol. 135 parte III. cap. 7 fol. 29. Monpensium in act. comit. Blesensis. *Kurze Information und Anleitung von der Autonomia zu Erlauterung des hochberühmten Tractats von Freystellung der Religion, gestellet durch Dommarium von Dissingam zu Liebenthal, gedruckt zu Christlingen bey Vrsino Gotgewen, anno 1616.* Just. Springerum de pace relig. capite 2. Suscitabul. part II. cap. 4. & 11. in fine. Eberhard a Weihr in discept. problem. regii folio 78. & meditat. pro fœderibus cap. 2. numero 50. Vi extortam non esse probatur ex ipsius Caroli V. literis, anno 1553. a Marchione Alberto editis, & ex actis legationis electorum politicorum ad Rudolphum II. imperatorem, anno 1590. Posito, quod vi sit extorta, non tamen hic audiendi, qui ex edicto, *quod vi metusve causa* &c. hic actionem esse volunt, per ea, quæ notat Albertus marchio *in seinem Ausschreiben anno 1553.* sub titulo: *Offentlicher Bericht, welcher gestalt die beyden Bischoff &c. §. und zu setzen &c.* Auctor comment. de caus. Colon. fol. 12. Bodinus lib. V. de republica cap. 6. Ayala de jure belli libro I. cap. 6. numer. 2. in fin. Albertus Gentil. de jure belli cap. 14. Warembergius de fœderib. cap. 2 n. 204. de regni subsid. cap. 2. numer. 18. Frid. Tilem. part. II. disc. Philol. Consil Acad. Friburg. in act. Brunsv. p. 1. Braunius Colon. decanus in lib. contra Tremon. edito late disputat. post pacificationem Passavienfem non licere statibus imperii Romanæ religioni addictis Augustanam confessionem amplecti. Vide Empsychovium lib. adv. Braun. p. 240. & seqq. GERHARD.

regno expulsi in sua apologia de literis majestatis (ut vocantur) adserunt, quod sint invalidæ, quia non sint pontificis adsensu confirmatæ. At si eam necessariam judicassent imperii status atque ordines, nunquam absque illius consensu pacificationem iniissent. Restat igitur explicanda

6.) *An pacificatio Passaviensis exspirarit post decreta concilii Tridentini?*

§. CCIV. Quæstio VI. *An pacificatio illa sit sublata per concilium Tridentinum?* Affirmant rigidiores pontificii, qui Germaniæ pacem & tranquillitatem publicam invident. Sed opponimus illis 1.) *Expressam clausulam* formulæ pacificationis additam, quæ sic habet: *Wo denn solche (christliche, freundliche und endliche) Vergleichung der Religion durch die Weg des General-Concilium, National-Versamblung, Colloquien oder Reichshandlungen nit erfolgen würde, sol alsdenn nicht desto weniger dieser Friedstand in allen obberzehlten Puncten und Artickeln bey Kräfften bis zu endlicher Vergleichung der Religion und Glaubenssachen stehen und bleiben, und sol also hiemit obberührter Gestalt, und sonst in alle andere Wege ein beständiger, beharrlicher, unbedingter für und für ewig währender Fried aufgerichtet, beschlossen seyn und bleiben.* (*) 2.) *Repetitionem & confirmationem hujus pacificationis* in solemnibus imperii comitiis etiam post concilium Tridentinum factam, præcipue in comitiis August. anno 1566. 3.) *Defectum conditionum concilii* a protestantibus requisiti, & in comitiis ipsis promissi. Ex multis imperii recessibus, utpote Norinbergensi, anno 1524. Spirensi, anno 1526. & 1529. Ratisbonensi, anno 1532. & 1541. Spirensi, anno 1542. Norinbergensi, anno 1543. Spirensi, anno 1544. Augustano, anno 1559. adparet, quod in dissidio religionis componendo a statibus imperii unicum & commodissimum medium judicatum ac protestantibus promissum sit *generale, liberum & christianum concilium in Germania* loco commodo ac tuto celebrandum. Atqui Tridentino concilio hæ conditiones minime competunt.

§. CCV. Demonstramus id I.) *Ex ipsa pontificiorum confessione.* Cum ab imperii statibus in comitiis Norinbergæ anno 1523. celebratis primum postularetur, ac sedulo urgeretur, ut in Germania christianum liberumque institueretur concilium, atque ut omnes episcopi & prælati juramenti religione a papa liberarentur, quo alioquin ei prorsus serviliter obstricti essent, & vice versa contrario juramento promovendæ veritatis, publicique boni citra ullius respectum severissime adstringerentur, pontificius legatus tum præsens illud ægerrime tulit, prorsusque recusavit dicens, *id nihil aliud esse, quam colligare manus pontifici*; ex quo intelligitur, meras fuisse verborum præstigias, quando legati pontificii in comitiis liberum concilium statibus promiserunt. Dominicus a Soto in libro contra Catharinum archiepiscopum, qui concilio Tridentino interfuerat, scribit, *Catharinum negare, liberum fuisse in synodo Tridentina disputare, atque eo ipso negare, illam fuisse liberam, in qua parte faveat hæreticis, qui itidem negent concilium illud fuisse liberum.* Pfortzheimii anno 1559. editæ sunt actiones duæ secretarii Pauli IV. (nisi forte sub nomine pontificii secretarii ab alio scriptum illud sit editum) quarum una disputat, an concilium Tridentinum sit instaurandum? altera vero, an illius decreta vi & armis imperanda? Accessit deinde tertia, in qua ad utramque quæstionem respondet negative. In primæ actionis ἐργασίᾳ disputat, concilium Tridentinum non esse tale, quale a protestantibus expetitum, ab imperatore & statibus, præsentibus legatis pontificiis Fanensi & Dandino, cardinalibus,

(*) Christianus, elector Saxoniæ, Henricus Julius, dux Brunsvic. Ludovicus, Landgravius Hassiæ, in literis ad Vnitos elect. & status, *dass die Kayss. Maj. sowol als die Catholischen Chur- und Fürsten sich so hoch und themr zu Observirung des Religion- und Prophan-Friedens erbieten und versprechen, dass man zu einigem Mistrauen die wenigste Ursach habe.* Gerhard.

nalibus, promissum, quod ut probet, adducit verba comitiorum: *Intelleximus clementissima benevolentia, quod decisio controversiæ religionis ad catholicum seu œcumenium, liberum & christianum concilium rejici debeat, curabimus etiam clementer, ut hi, qui Augustanæ confessioni addicti sunt, & legati eorum in tali concilio comparere possint, & salvo conductu muniantur, ut tuto ad illud accedant, tuto commorentur, & iterum ad loca tuta revertantur, ac pro sufficienti necessitate audiantur, adeoque tractatio pie & christiane, secluso omni adfectu, juxta divinam & sacram scripturam, tractetur & concludatur, & ut christiana & utilis reformatio spiritualium & secularium instituatur, ac omnis prava doctrina & abusus, prout decet, abrogetur*, &c. Subjungit autem secretarius, si decreta illa *comitiorum serventur, id perinde esse, ac si ingentem ignem in ipsa Romana ecclesia accendant, & omnia conflagrare permittant.* Addimus vero testimonium majoris momenti ac ponderis. Carolus IX. Galliæ rex, in protestatione sua contra concilium Tridentinum inter cætera sic loquitur: *Quamquam, patres sanctissimi, vestra omnium religio, vita & eruditio magnæ semper fuit & erit apud nos auctoritatis, cum tamen nihil a vobis, sed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur, magis Pii IV. placita, quam concilii decreta jure æstimentur, denunciamus & protestamur, quæcunque in hoc conventu*, hoc est, *solo Pii nutu & voluntate decernuntur & publicantur, ea nec regem christianissimum probaturum, nec ecclesiam Gallicanam pro decreto œcumenici concilii habituram.*

§. CCVI. II.) *Ex speciali conditionum illarum enumeratione*: Protestantes scriptum aliquod germanicum, in quo causas recusati concilii Tridentini exponunt, per delectos ad eam rem theologos & politicos congestum in publicum ediderunt, in eo late demonstrant, Tridentinum concilium tale non esse, quale ab ipsis fuerit expetitum, & in comitiis promissum. 1.) Petierunt concilium *christianum*, in quo ex scripturis sacris, unica christianæ fidei norma, omnes in ecclesia exortæ controversiæ decidantur; ac vox decisiva Spiritui sancto in scripturis loquenti tribuatur. Atqui in concilio Tridentino decernitur, *traditiones pari pietatis adfectu una cum scripto Dei verbo recipiendas esse*; tribuitur authentica auctoritas vulgatæ latinæ bibliorum versioni, quæ in pluribus discedit a fontibus, & erroribus scatet variis ac longe maximis; stabiliuntur dogmata cum clarissima verbi luce e diametro pugnantia, ut ab incomparabili theologo, Chemnitio, in examine ἀναντιῤῥήτως fuit demonstratum. Concilium christianum illud demum est, quod *in Christi nomine* congregatur, Matth. XVIII. 20. hoc est, quando in vero timore & invocatione Dei Christi doctrina & gloria unice quæritur. Cyprianus tract. III. de simpl. prælatorum: *Quomodo possunt in Christi nomine colligi, quos constat a Christo & ejus evangelio separari? propter quos clamat Esaias propheta: Væ vobis filii desertores, habuistis consilium, & non per me, fecistis conventionem, & non per Spiritum meum.* Nicol. de Clemangis in disput. de concil. *Non est putandum carnales filios ecclesiæ, qui temporalia quærunt, spiritualia non curant, concilia agitant, ut ipsi in otio vivant, hos in Christi nomine congregari.* Breviter: Qui non sunt Christi, non congregantur in nomine Christi. At qui non audiunt vocem Christi, illi non sunt Christi: Joh. X. 27. Ergo qui non audiunt vocem Christi, non congregantur in nomine Christi. Jam vero res ipsa testatur, patres Tridentinos non Christi vocem in scripturis sonantem, sed pontificis Romani sententiam decretorum suorum normam habuisse. (*)

(*) Bellarminus lib. I. de concil. cap. 21. §. Quarta conditio &c. *Conditionem hanc protestantes exigunt, ut in conciliis ex scriptura divina sententiæ*

ferantur, non ex traditionibus, aut canonibus. Respondeo, est conditio iniqua, quia non debent semel definita in dubium revocari; constat autem an

§r CCVII. 2.) Petierunt concilium *liberum*. Atqui Tridentinum concilium non fuit liberum. In concilio libero vota debent esse libera, id vero in Tridentino conventu non fuit permissum. Probo hoc a.) Ex *querela regis Galliæ* in eodem publice audita. In oratione synodica Tridenti 4. Sept. anno 1562. sess. IV. coram patribus nomine regis Galliæ recitata hæc habentur: *Nostra patrumque nostrorum & avorum memoria synodos indictas fuisse, episcopos convenisse, maximos in Germania atque Italia conventus peractos scimus, vix tamen ullus, aut perexiguus inde fructus christianitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores ventosque colligere, hoc prætermittere certe non possum, quod vereor, ne nimis ad rem pertineat, quod minus legitima, minusve libera fuisse dicuntur illa concilia. Qui aderant, ad voluntatem alterius semper adloquebantur, aut potius adnuerunt, qua re nulla in judiciis perniciosior, nullave capitalior esse potest.* At quæ sunt illa concilia nostra ac patrum memoria indicta, nisi initia Tridentini anno 1546. & 1551. facta? Flacius de diss. pontif. p. 186. b.) Ex *formula juramenti*, quo cardinales, episcopi & prælati, quibus solis in concilio vox decisiva relinquitur, pontifici sunt adstricti. Exstant tres illius juramenti formulæ: prima habetur in decretalibus cap. *Ego de jurejur.* altera exstat in pontificali, ubi de ordinatione episcopi agitur. Tertiam secretarius Pauli IV. in act. III. in concil. decret. arm. imperf. 90. Romæ exstare dicit, quæ reliquis & arctior & auctior est, in ea enim his juratur verbis: *Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem jura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ ecclesiæ, domini nostri papæ & successorum ejus, conservare, defendere, augere & promovere curabo. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones & mandata apostolica totis viribus observabo, & faciam ab omnibus observari. Hæreticos, schismaticos & rebelles domino nostro papæ, pro posse persequar & impugnabo.* Id juramentum cum non fuerit patribus concilii Tridentini relaxatum, ecquis credat ipsos vel minima quadam in re contra pontificem quidquam decreturos? In paralipomenis chronici Vrspergensis recitatur dictum Æneæ Sylvii (postea Pii II. pontificis Romani) quod si *episcopus papæ contradicat etiam vera loquendo, nihilominus contra juramentum pontifici præstitum peccet.* Quomodo igitur ab illis papæ mancipiis ecclesiæ reformatio & errorum redargutio exspectari potuit? c.) Ex *praxi ipsa*, cujus testem αὐτόπτην producimus Vergerium, qui in epist. ad regem Poloniæ sic scribit p. 119. *Ego nullam aliam ob causam fui ex illa synagoga rejectus, nisi quia cum in Germania, ut duorum paparum internuncius aliquamdiu fuissem, & causam hanc utcunque intelligerem, suspicio erat, me rem totam probe nosse, & ejus ingenii esse, ut facile finerem mihi a nonnullis episcopis persuaderi, ut contra papam voce præirem, & veluti viam sternerem, ac duntaxat propter istam suspicionem ejiciebar. Excludebatur post me alius quoque, nempe Jacobus Nachiantes, Fossæ Clodiæ sive Clugiensis episcopus. Cum enim legeretur decretum tertiæ sessionis, pie & summa modestia dixit, sibi dura videri verba, mutuata scilicet ex cap. Ecclesiasticarum &c.* dist. 11. *in quibus dicebatur, eodem pietatis adfectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas esse traditiones, qua ipsummet evangelium, nihil enim esse, quod cum evangelio conferri ullo modo possit; At duntaxat propter hoc effatum jussus*

in generali synodo septima definitum esse, traditiones non scriptas recipiendas esse. Postea subjicit: *Quamvis condicio hæc iniqua sit, possit tamen admitti, donec iterum in synodo legitime non esset definitum, eas recipiendas esse pro verbo Dei: hinc enim est, quod concilium Tridentinum antequam ad alia progrederetur, definivit, scripturas & traditiones pro verbo Dei recipiendas.* Quam conditionem ante concilii Tridentini decretum admitti posse concedit, eamdem quoque post illud concilium admitti etiam debere contendimus. Ratio pendet ex perfectione scripturæ propriis pontificiorum testimoniis confirmata. GERHARDVS.

jussus est a legatis Tridento discedere & Romam petere, si forte papa vellet illi ignoscere, quod tam temerarius fuisset, qui decreto ab ipsomet papa Romæ condito ausus fuisset contradicere. Ibidem p. 122. *Nullum decretum, nullus canon fuit in sessionibus concilii Tridentini lectus, qui Roma missus non fuerit, cogebantur vero miserrimæ illæ creaturæ mox, ubi illud audiissent recitari, adnuere mitrato capite, & demisse pronunciare: Placet, tametsi sentirent, vulnerari suam conscientiam, vel quod aliquando non intelligerent, quid id esset, quod adprobarent, nam plerique eorum erant valde rudes ac indocti, vel quod non ignorarent esse contra verbum Dei, saltem aliqui.* Et postea: *Exstat non modo Leonis X. diploma aut bulla edita 17. Cal. Jun. anno 1520. sed etiam Julii III. qui nec episcopos, nec cardinales excepit, imo nominatim comprehendit, quibus gravissima pœna interdixit, ne nostrorum libros legerent. Iohanni Morono cardinali tituli S. Laurentii in Lucina, Mutinensium episcopo, concilii legato, criminis loco inter alia adcusationis capita objectum fuit, quod hæreticorum libros legerit, quomodo igitur de incognitis judicare, & libera suffragia proferre poterunt?* Secretarius Pauli IV. act. II de conc. Trid. f. 93. *Tridenti, inquiunt protestantes, nunquam potuimus obtinere, præsertim Brentius, ut vel semel in eum locum admitteretur, ubi saltem monachi disputabant, tantum abest, ut consessum mitratorum videre aliquando potuerit.* p. 98. *Ajunt se observasse, quia semper habuere Tridenti suos exploratores, indoctos quosdam ac rudes episcopos & prælatos in sessiones ingredi solitos fuisse, qui tales erant in summa, ut vix potuerint tria verba latine pronunciare; item observasse, quod si quis fuisset mediocri aliqua eruditione ornatus, & vel uno verbulo ausus fuisset his, quæ a legatis mandato papæ proponerentur, contradicere, is continue ejiciebatur, atque inter hos episcopum Fossæ Clodiæ nominant.* Cardinalis Moronus in carcerem est conjectus, & inter capita adcusationis a procuratore fisci contra eum institutta etiam illud habetur, *quod libros Lutheranos legerit;* quomodo autem potuerunt illi prælati esse judices, cum acta causæ legere ipsis sit prohibitum? (*) Marcellus Cervinus, cardinalis, cum a pontifice ad concilium mitteretur, mandatum ab ipso accepit, *ne quid omnino pateretur in concilio constitui, quod contra majestatem Romanæ sedis esset, verum exstirparet potius ejusmodi personas, quæ tale quid suaderent.* Vnde cum quidam Wilhelmus ordinis S. Dominici in concilio dixisset, Constantiense *concilium fuisse supra papam*, Cervinus eum continuo jussit ex concilio excedere. Wolffius cent. XVI. memorab. pag. 140. (**) d.) Ex *liberi concilii natura.* In concilio libero errores & abusus, qui in ecclesiam irrepserunt, libere possunt ac debent argui.

(*) Melchior Canus libro XII. loc. theol. cap. 11. p. 412. *Cornelius, Bitontinus episcopus, in concilio Tridentino dixerat, Christum in cœna non suum sanguinem & corpus obtulisse, a patribus explosus est. Dominicus Wilhelmus Venetus cum diceret in concilio Basileensi decretum esse*, concilium esse supra papam, *ex concilio pulsus est.* Balæus f. 423. Jacobus Nachiantes, Clodiæ Fossæ episcopus, cum diceret, *se non probare decretum, quo statuebatur, traditiones esse cum verbo scripto ejusdem auctoritatis, per Marcellum ex concilio pulsus est.* Balæus f. 422. *Cum quidam episcopus diceret, sibi absurdum videri*, Deum vocari sanctum, papam vero sanctissimum, *vocatus est a papa Romam & episcopatu privatus.* Balæus fol. 225. Confer Wolffium tom. II. p. 140. GERHARD.

(**) Cum decretum II. sess. VI. de beneficiis ecclesiasticis & de residentia, ut vocant, a quibusdam episcopis, Hispanis præsertim, urgeretur vehementius, & res eo spectaret, ut major concilii pars adprobatura videretur episcoporum & cæterorum antistitum, quibus populi pascendi cura commendata esset, residentiam, ut præsentes essent semper ipsi, nec alios substituerent, ac ne adversus eam constitutionem ulla valeret dispensatio pontificis, neque in unam personam plura conferrentur beneficia ecclesiastica, cui decreto plerique etiam per Galliam parebant, Francisco rege id adprobante; pontifex Paulus III. odoratus id, quod agebatur in concilio, tractationem hujus decreti sex totis mensibus suspendit, & interea episcopos ad quadraginta passim ex Apulia & Sicilia collegit, quos privatim de hoc decreto

argui. Quod si ergo liberum fuisset concilium Tridentinum protestantibus danda fuisset potestas, libere & absque metu reprehendere & demonstrare errores, simoniam, tyrannidem & alia delicta pontificis. At pontifex judicis officium sibi arrogabat, quin & jam ante protestantes, ut hæreticos condemnaverat, sibique potestatem in propria causa judicandi ipso facto vindicaverat contra dispositionem juris etiam canonici cap. *Si papa &c.* dist. 40. In concilio libero non solum episcopis & clericis, sed etiam laicis dandus est locus, causa enim fidei communis est, & ad omnes pertinet christianos. Sed in concilio Tridentino prælatis pontificiis duntaxat partes consultandi ac decidendi datæ. In concilio libero omnia libere & absque præjudicio peragi debent. Atqui protestantes gravissimis præjudiciis jamdum ante concilium erant gravati, lata enim erat sententia contra ipsos a Leone X. quæ a Paulo III. & IV. etiam confirmata; quin imo idem Paulus III. aliquoties per literas Carolum V. gravissime objurgaverat, quod cum protestantibus communionem haberet.

§. CCVIII. 3.) Petierunt concilium *generale & œcumenicum.* Atqui Tridentinum concilium non fuit œcumenicum. Admissi sunt ad illud pauci quidam episcopi Itali, Hispani, Germani, arctissimis juramentis pontifici adstricti, exclusis reliquis nationibus christianam religionem amplectentibus, Anglia, Scotia, Dania, Suecia, &c. Italicæ nationis erant fere ducenti præsules, ex aliis omnibus nationibus non centum, unde Claudius Espensæus in comm. Tit. 1. ex Ludovico Arelatensi conqueritur, *in conciliis id demum fieri, quod nationi placeat Italicæ, quippe quæ nationes alias numero episcoporum superat. Et hæc,* inquit, *est illa Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit.* Vid. colloq. Rainoldi cum Harto. p. 397. Rex Galliæ concilium illud in ἐπιγραφῇ literarum ad patres Tridentinos exaratum & per abbatem Losanum, oratorem suum, oblatarum vocat *conventum*, & in ipsis literis inter cætera postulat, *ne sibi gravissimis bellorum motibus implicato necesse sit Tridentum legatos mittere suæ ditionis episcopos, quippe quibus nec liber, nec tutus pateret accessus, neve id ipsum concilium, a quo excluderetur invitissimus, generale totius ecclesiæ aut habeatur, aut adpelletur, quin potius privatum existimetur concilium, quod videatur illud quæsitum & expetitum non formandae restituendaeque disciplinae, nec sectarum comprimendarum studio, sed quibusdam obsequendi, quorum privatae utilitatis magis, quam publicae ratio inita esse videatur.* Vide in comment. bullæ pontificiæ Julii III. *Abutitur pontifex verbo* universale, *non enim est dicendum universale concilium, cui nec Henricus Galliarum, nec Eduardus Angliae, nec Sigismundus Poloniae, nec alii quidam reges, nec alii quidam principes, neque aliae quaedam provinciae consenserint, quemadmodum vere non consentiunt, & prudentissime agunt.*

§. CCIX. 4.) Petierunt concilium institui *in Germania, in loco commodo ac tuto.* At nec hæ conditiones Tridentino concilio competunt. a.) Tridentum a cosmographis inter Italiæ urbes refertur, & nativa, communis, usitatissimaque ibidem est lingua Italica, repertis paucissimis, qui Germanicam linguam callent. At concilium petitum & promissum in Germania erat celebrandum, tum quia *locus semel deputatus concilio mutari non debet*, ut ait Petrus Ancoranus; tum quia æquum est, ut ibi instituatur concilium, ubi ortum dissidium,

creto edoctos Tridentum postea misit cum Genuensium vicario. Atque ita suffragiorum numero & clamoribus facile per hos, quod volvit, in synodo obtinuit, ut decerneretur, unum esse episcopum re ipsa, nempe pontificem Romanum, cujus cæteri omnes mancipia quasi sint & creaturæ, quosque is pro suo arbitrio libere sibi adjungere possit, nec decere, ut hi pontifici modum rerum gerendarum ulla ex parte præscribant. Hac ratione exauctoratum fuisse salutare illud de residentia decretum, legati principum & statuum, qui concilio interfuerant, ubi domum rediere ad suos, publice editis hac de re scriptis retulerunt. Caussæ recus. concil. Trid. f. 324. GERHARDVS.

dium, ut ibi paretur remedium, ubi morbus habuit exordium, quod primitivæ ecclesiæ exempla comprobant; tum denique, quia in Germania locus commodus haberi potest, aliqua scilicet ex liberis & imperialibus civitatibus. b) Tridentum non erat locus commodus, tum ratione *magnitudinis*, quia non est capax generalis ejusmodi congregationis; tum ratione situs, quia nimis remotus est evangelicis præsertim statibus, quibus a suis ditionibus tam longe abire, eo præsertim tempore, non erat integrum. c) Tridentum non erat locus securus, neque enim est libera imperii civitas, sed paret episcopo Tridentino, qui non modo ut episcopus peculiari juramento pontifici erat obstrictus, sed etiam ut cardinalis pontifici proximus a latere erat, ejusque frater. Deinde excommunicatio principum protestantium Tridenti pro rata habebatur. Præterea pontificii ibidem viribus prævalebant. Abbas Panormitanus, canonista percelebris in tract. de concil. Basileensi, quod papa Eugenius e Germania Ferrariam transferre cogitabat, aperte scribit, *quod etiam, si illud concilium in principio Ferrariæ fuisset institutum, tamen optimo jure inde in Germaniam transferri & potuisset & debuisset, eo quod Eugenius ibi potentia valeat, & vicinorum favorem & auxilium habeat.* Id ipsum nos de Tridentino dicimus. Denique concilium illud non erat securum *ratione citantis*, indictum enim erat a pontifice, jam vero canonistæ proponunt hanc cautelam: *Ex eo solo, quod citans citatum odit, citatus pronunciatur non tutus, & citatio pro nulla habetur, etiamsi de ea non excipiat, vel adpellet.*

§. CCX. Ex his facile adparet, quid ad contraria argumenta respondendum sit: 1.) *Pax data est*, inquiunt, *sub conditione concilii generalis*; sed ipse pacificationis tenor testatur contrarium. 2.) *Ferdinandus imperator vocavit status evangelicos ad concilium.* Resp. bulla indictionis ex curia Romana erat adlata, ideoque merito suspecta. 3.) *Formula pacificationis requirit, ut exclusa diffidentia pars utraque christianam caritatem sectetur. Sed protestantes contra datam fidem pontificiis diffidunt, quando hoc nomine concilium recusant, quia suspicantur pontifici propositam fuisse veritatis oppressionem.* Resp. Romanus pontifex inter status imperii, ad quos pacificatoria formula pertinet, nequaquam habet locum. In præfatione libri, qui recusati concilii causas continet, protestantes mentem suam clarissime exposuerunt, quod de reliquis imperii statibus optima quæque sperent, sibique persuadeant. 4.) *Datus fuit protestantibus salvus conductus.* Resp. illi vero tuto non potuerunt fidere, tum quia in concilio Constantiensi pontifex decrevit, *hæreticis non esse fidem servandam*, jam vero protestantes a pontifice habebantur pro hæreticis; tum quia exemplum Johannis Hussi testatum facit, pontifices etiam contra literas salvi conductus agere; tum denique, quia, ut canonistæ loquuntur, nemo obligatus est inimicorum suorum, præsertim capitalium, tutelæ vel libellis salvi conductus fidere, cum libelli non mutent animum, & *parva sit securitas; quæ membranæ est inscripta.* Secretarius pontificis Pauli IV. in action. fol. 21. late probat, in forma salvi conductus singulari consilio omissa esse quædam verba, quæ in Basileensi salvo conductu, ex quo illa formula est petita, fuerunt addita.

§. CCXI. Quæritur VII.) *An fides diversæ religioni addictis hominibus, adeoque etiam hæreticis data* (*) *sit servanda?* 7.) *An fides hæreticis servanda?* Negant rigidio-

(*) Notandum hic, *hæreticos* non dici, qui vivunt *extra* ecclesiam, *Judæos* puta, *gentiles*, *Mahamedanos*, qui rectius *infidelium* nomine hodie venire solent; prout observavit GERHARDVS *tom. XIII. loc. XXIV. cap. VIII. §. 370. p. 220. edit. nostræ*, ubi & alia de vario significatu vocis *hæresis* lectu haud indigna occurrunt. Diximus & nos nonnulla ad hocce argumentum spectantia in *notis* ad *b. l. p. 219. seqq.* Addimus jam, multo facilius esse, dicere, quid sit *hæresis*, & *quid* sit hæreticus? quam

gidiores pontificii, ut adparet ex ipsorum tum verbis, tum factis. Cardinalis Hosius ad regem Polon. epist. 197. 202. 210. scribit, quod, *licet rex juramento obligatus sit Poloniæ ordinibus, æque se defensurum catholicos & hæreticos, tamen nulla ratione ipsum teneri ad præstandum, quod promiserit.* (*) Conrad Brunus de hæreticis lib. III. cap. 15. p. 305. late disputat, *pacificationes cum diversæ religionis hominibus initas esse irritas, quia cum hujusmodi hæreticis catholico nulla pax esse possit, ut illi offendi & conteri non possint*, atque addit, *tanto magis horrendam & abominandam esse pactionem, quæ ita inita est, ut fractæ pacis teneatur catholicus contraveniens, quod fractio pacis nulla possit eos offendere, cum quibus nulla communio est, quosque leges banno etiam imperiali subjiciunt, & impune offendendos offerunt, quos omnia divina & humana jura exstinctos volunt.* Simanca, episcopus Pacensis, de cath. inst. c. 46. n. 52. scribit, *nullo, nullo, nullo modo fidem hæreticis servandam esse, etiamsi juramento firmata sit. Sæpe id monitum*, inquit, *necesse est, tamen incessabiliter iterare, & tamdiu non tacere, quamdiu pacis istius nomen obtenditur.* Ibidem *ad pœnam & odium hæreticorum hoc pertinere* dicit, *quod fides illis data servanda non sit, non obstante juramento.* (**) Atque ita decreverunt patres concilii Constantiensis sess. XIX. ubi sic loquuntur: *Præsens sancta synodus ex quovis salvo conductu* (***) *per imperatorem, reges & alios seculi principes hæreticis, vel de hæresi diffamatis concesso nullum fidei catholicæ, vel juris-*

quam *quis* sit? quod suo jam tempore observavit Augustinus *de hæres.* Multæ enim heic occurrunt circumstantiæ, judicium in adplicatione ad subjecta quodammodo limitantes. Accedit, quod solus Deus interiora cordis penetralia perspiciat, adeoque certo judicare possit, an singula ista criteria, quæ de hæresi & hæretico in *abstracto* constituti alias solent, in hoc vel illo individuo revera adsint, nec ne? Egregius hanc in rem locus exstat apud Chrysostomum in *homilia contra anathematizantes.* Vid. b. Maichelii, professoris quondam Tubingensis doctissimi, diss. *de fide hæreticis servanda, part. I. §. XIII. p. 23.*

(*) Citavit quoque hunc locum cardinalis Hosii Rudolph. Hospinianus *libr. IV. hist. Jesuit. cap. I. fol. 212.* Equidem patrem hunc purpuratum defendere adnisus est Majerhof in *speculo prædicat. p. 410.* sed præjudiciis sectæ rem agit, nullius extra partium studia constituti adsensum promeriturus, prout ex vero judicavit Maichelius *loc. cit. part. II. §. VI. p. 11. not.* (*w*), qui & not. (u) recte observat, falli Bælium, dum scribit: *Je ne vois point, que l'on cite ce fameux Theologien &c.* scilicet pro sententia, quæ adserit fidem hæreticis non servandam. Vid. ejus *reponse aux questions d'un Provincial, part. I. cap. IX.*

(**) Præter Jacobum Simancam, gente Hispanum, aliosque ecclesiæ Romanæ scriptores, quos supra excitavit Gerhardus, fuerunt complures alii ex cœtus Romani adsectis, idem prorsus sentientes. Fidem hujus rei nobis facit Jacobus Menochius, Jureconsultus quondam haud incelebris, ecclesiæ Romanæ addictus, qui *libr. I. consil. num 188. seqq.* scribit, *inter religionis suæ socios consipici* permvltos, *qui hæreticis, utpote divinam majestatem lædentibus, fidem servandam esse negent.* Adlegat isto nomine Marium Salomonium, Petrum Placam, & ex hoc quoque Thomam Aquinatem, queis alii addi possunt, a laud. Maichelio *loc. cit. part. II. p. 10. & 11.* adlegati, quos heic recensere nolumus. Et quis est, qui ignoret, Jo. Eccium cum quibusdam aliis cœtus Romani doctoribus Carolo V. imperatori, qui Lvtherum sub religioso salvi conductus titulo Wormatiam vocaverat, suasisse, ut ne ipsi tanquam hæretico, fidem datam servaret? Vid. Sleidanvm *comment. libr. V.* ex quo nec non aliis auctoribus lectu dignissima tradunt Schvrzfleischivs *disputat. historico-civilium quinquagesima prima p. 83.* & Felwingervs *disp. polit. VII. §. XXVI. p. m. 170. 171.* Prorsus vero eximium ac tanto principe dignum fuit laudatissimi imperatoris dictum: Fidem rervm promissarvm, etsi toto mvndo exvlet, tamen apvd imperatorem consistere oportere.

(***) Ipsam salvi conductus, quam Hvssvs ab imperatore Sigismvndo solennissime nactus est, formulam ex Bzovio aliisque refert Herm. von der Hardt in *actis concil. Constant. tom. IV. p. 12.* sub cujus finem emphatica hæc verba leguntur: *omnique prorsus impedimento remoto, transire, stare, morari & redire libere permittatis* (Hussum) *sibique & suis, cum opus fuerit, de securo & salvo veletis & debeatis providere conductu, ad honorem & reverentiam nostræ majestatis.* Dat. Spiræ ad an. 1414. die 18. Octobr. Conf. Herm von der Hardt *loc. cit. p. 522.* atque Jac. L'Enfantivm in *histoire du concile de Constance tom. I. p. 59.* inprimis vero *p. 491.* ubi recitantur duo decreta patrum concilii Con-

risdictioni ecclesiasticae praejudicium generari, vel impedimentum praestari posse seu debere declarat, quo minus dicto salvo conductu non obstante liceat judici competenti & ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint, etiamsi de salvo conductu confisi ad locum venerint judicii, alias non venturi, nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Inde quamvis Sigismun-

Constantiensis de salvo conductu a principibus secularibus hæreticis dato; ex quibus luculenter patet, sententiam *de fide hæreticis non servanda* a concilio Constantiensi expressis verbis fuisse stabilitam. Quod ad primum decretum, *sess. XIX.* sanctum attinet, illius verba supra recitavit GERHARDVS, ubi id unicum notamus, graviter hallucinatum esse auctorem libri: *état des pauvres églises evangeliques de Vallees de Piemont*, Hagæ comitum an. 1662. typis exscripti, qui decretum istud de fide hæreticis non servanda, occasione HVSSI & HIERONYMI PRAGENSIS formati, concilio Tridentino tribuit. Verba hujus auctoris recitavit BÆLIVS in *reponse aux questions d'un Provincial part. I. cap. VIII.* resteque subjunxit: *Je n'ignore pas, qu'il y a eu des autheurs, qui ont attribué le même decret separement au concile de Constance & au concile de Trente, mais plus on les a pressé de donner des preuves à l'egard de celui de Trente, moins en ont ils pu produire.* Et sane certum est, nullum posse adlegari canonem hujus concilii, in quo sanciatur, fidem non esse servandam hæreticis, sed eundem concilii Constantiensis patribus deberi. Adjungimus tamen eidem aliud decretum idque speciale, salvum conductum HVSSO datum ejusque violationem respiciens, quod ex codice manuscripto bibliothecæ Vindobonensis primus edidit laudatiss. VON DER HARDT, *loc. cit. p. 521. 522.* quodque his conceptum est verbis: *Sacrosancta &c. quia nonnulli nimis intelligentes, aut sinistræ intentionis, vel forsan solentes plus sapere, quam oportet, nedum regiæ majestati, sed etiam sacro, ut fertur, concilio linguis maledicis detrahunt, publice & occulte dicentes vel innuentes, quod salvus conductus per invictissimum principem, dominum Sigismundum, Romanorum & Hungariæ &c. regem, quondam Joanni Hus hæresiarchæ damnatæ memoriæ datus, fuit contra justitiam, aut honestatem indebite violatus, cum tamen dictus Jo. Hus fidem orthodoxam pertinaciter impugnans,* SE AB OMNI CONDVCTV & PRIVILEGIO REDDIDERIT ALIENVM, NEC ALIQVA SIBI FIDES, *aut promissio de jure naturali divino, vel humano fuerit in* PRÆJVDICIVM CATHOLICÆ FIDEI *observanda; idcirco dicta sancta synodus præsentium tenore declarat, dictum invictissimum principem circa prædictum quondam Jo. Hus,* NON OBSTANTE MEMORATO SALVO CONDVCTV, *ex juris debito se-*

I 2 *cisse, quod licuit & quod decuit regiam majestatem; statuens & ordinans omnibus & singulis Christi fidelibus, cujuscunque dignitatis, gradus præeminentiæ, conditionis, status aut sexus existant, quod nullus deinceps sacro concilio, aut regiæ majestati de gestis circa prædictum quondam Jo. Hus detrahat, sive quomodolibet obloquatur. Qui vero contrarium fecerit, tanquam fautor hæreticæ pravitatis, & reus criminis læsæ majestatis irremissibiliter puniatur.* Non opus esse arbitramur, ut in sensum horum decretorum a patribus Constantiensibus sancitorum adcuratius heic inquiramus. Verba enim, queis mentem suam expresserunt, satis clara sunt atque perspicua. Accedit, quod ipsi patres thesin istam perniciosam, non verbis tantum, sed re ipsa etiam in persona Jo. HVSSI abunde comprobaverint, flammis ipsum adjudicando, cum tamen per salvum conductum ab imperatore datum de plenaria securitate eidem cautum esse oportuerit. Vrgent equidem dissentientes, salvum istum conductum ab imperatore HVSSO concessum judicem ejus ecclesiasticum ligare non potuisse, quo minus in illum animadverteret, sed HVSSVM, abeuntem ad concilium duntaxat a vi injusta, neutiquam vero a debita justitiæ administratione liberasse. Neque enim ulla veri specie dici posse, voluisse imperatorem ulterius progredi, HVSSVMque immunem præstare a pœna, criminibus ejus tum alibi, tum Constantiæ commissis, debita. Hancce objectionem recentiori ævo cumprimis urserunt Jesuitæ Trivoltienses in diario suo, quod inscribitur: *les memoires de Trevoux*, ad an. 1714. mens. *Dec. p. 2048.* ubi inter alia hæc leguntur verba: *le passeport, que Jean Huss avoit obtenu de l'Empereur, tel, qu'il est imprimé, ne regarde, que la sureté du voyage jusqu'à Constance, & ne promet rien pour le sejour de Constance; & certainement l'Empereur n'eut jamais intention de promettre à ce docteur, contre tout droit, l'impunité des crimes, qu'il commettoit à la vûe du concile, & depuis son arrivée à Constance, & l'Empereur le declare lui même en plein concile. Mons. l'Enfant* (contra hunc enim verba auctorum diarii hujus sunt directa) *avoue, que Jean Huss y repandit ses erreurs, y celebra, quoiqu'excommunié; mieratton, que le concile n'ait pu, qu'il n'ait du punir ces excès?* Verum haud difficilis est ad hæc omnia responsio. Quod enim ad salvum conductum HVSSO datum

gismundus imperator Ladislao, Bohemiæ regi, fidem dediſſet, Johannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem ſalvos & incolumes domum reverſuros, nihilo tamen minus concilium hæreſeos ipſos damnavit, & igni adjudicavit. Imperator quidem *nec fidem regi datam, nec publicam ſecuritatem violari fas eſſe judicabat*, ſed hunc illi ſcrupulum exemerunt Nicolaus, abbas Panormitanus, & Ludovicus Romanus, canoniſtæ. Inde Jeſuitæ Trevirenſes in lib. de concert. eccleſ. anno 1583. edit. pag. 45. Sigismundum, Romanum imperatorem, qui fidem datam Johanni Huſſo non ſervaverat, ſic excuſant: *Huſſus ſecuritatem ab imperatore Sigismundo petiit, imperator obſignavit, ſed chriſtianus orbis* (conc. Conſtantienſis patres) *major cæſare reſignavit.* Pontifex quando imperatorem, reges, principes fulmine excommunicationis ferit, eadem opera in bullis excommunicatoriis ſubditos ipſorum a juramento fidelitatis abſolvit, & fidem ipſis datam violari permittit, quin & regum ac ſubditorum fundos, & bona in prædam omnibus proponit, adeo ut ſine ulla alia belli denunciatione, aut inſidiis, aut aperto Marte liceat cuivis illos perſequi, capere, vel etiam trucidare; eadem opera regum liberos jure ſucceſſionis privat, ac infames etiam pronunciat, nobiles & ſubditos ad arma in principes concitat, omnibus nationibus cum excommunicatis commercia interdicit, aliorum regum & populorum cum illis fœdera irrita pronunciat, excommunicatos denique ſepultura chriſtiana privat, ut ex bulla Pauli III. in Henricum, Angliæ regem, & Sixti V. in Henricum, regem Navarrenum, liquido adparet. Meros igitur fumos vendit Becanus Jeſuita, quando in libro de fide hæreticis ſervanda (*) probare conatur, pontificios fidem hæreticis datam ſervandam eſſe ſtatuere. Transponit enim duntaxat quæſtionis ſtatum, & re ipſa idem cum reliquis pontificiis adfirmat. Statuit, *libertatem religionis eſſe illicitam, legi divinae repugnantem, reipublicae perniciosam, non debere praecipi, adprobari, aut introduci ab ullo principe.* Subſume ex eodem Becano: *Pacta & promiſſa, quae non ſunt licita, ea non ſunt ſervanda*, & eadem ſequetur concluſio, quæ eſt aliorum pontificiorum. Jeſuitæ ex Bohemia ejecti, in ſua apologia, *illicite datam fidem putant, quando a ſuperiore magiſtratu* (Papa ſcilicet Romano) *non eſt data.* Subſumo: In pacificatione Paſſavienſi evangelicis fides non eſt data, nec confirmata a pontifice Romano. Ergo ex hypotheſi Jeſuitarum illicite data erit, & per conſequens non eſt ſervanda. Opponimus vero illis fidei ac fœderum fractoribus: 1.) *Jus divinum*, quod fidem etiam hoſti datam inviolatam ſervari mandat. Cum enim talia pacta ac promiſſa juramentis confirmari ſoleant, utique ſi eadem violantur, ſanctiſſimum Dei nomen blasphematur, & perjurii crimen committitur. Exod. XX. 7. Rom. III. 24. &c. 2.) *Jus gentium*, quod fidem, catenam illam auream, quæ de cœlo demiſſa

totam

tum attinet, ex ipſa ejusdem formula, quam ſupra adlegavimus, ſatis patet, Huſſo non modo de *aditu*, verum etiam de *reditu* ab imperatore cautum fuiſſe, ita ut ejusdem auctoritate fretus, a violentia quacunque, ſive juſta illa dicatur, ſive injuſta, adeoque ab omni juris exſecutione, omnimodam obtinuerit ſecuritatem. Vnde nec id reſte dictum arbitramur, quod Jeſuitæ Trivoltienſes ſalvum conductum deſignent tantum gallico nomine *paſſeport*, utpote illi neutiquam æquipollente. Conf. quæ de hocce vocabulo, occaſione auctoris cujusdam recentioris adnotavit clariſſ. Riegrvs in *hiſt. fratr. Bohem. part XIII. p. 473.* Addimus & hoc, Trivoltienſium eſſe, oſtendere crimina ab Huſſo, antequam Conſtantiam veniret, commiſſa, nec debuiſſe, ſi talia olim commiſiſſet, ab ipſo, utpote ſalvum conductum nacto, pœnam exigi, antequam debita ratione fuiſſet examinatus, pleneque auditus atque de criminibus ipſi imputatis convictus. Jam vero Huſſo hoc non contigit, proinde vis injuſta ipſi fuit illata, neganti maxima ex parte errores, ob quos adcuſabatur, & in cæteris meliori informationi concilii ſe ſubjicienti. Quis quæſo negaverit, ejusmodi adcuſato favere ſalvum conductum, neque in ipſo, neque confeſſo neque convicto eundem exſpirare ſtatim potuiſſe, poſt inſtitutum cum eo primum tantum examen idque prorſus tumultuarium. Scilicet tum demum ceſſat ſalvus conductus, quando reus plene auditus de crimine prorſus convictus eſt.

(*) Hicce libellus a Mart. Becano, primum Moguntiæ ſeorſim fuit editus in 8. poſtea vero operibus ejusdem partim Pariſiis, an. 1633. partim Moguntiæ, an. 1649. in fol. junctim editis inſertus.

totam hominum societatem continet, nefarie rumpi vetat, infirmatis enim violatisque pactis omnis commerciorum usus inter homines tollitur: fides justitiæ, justitia reipublicæ est fundamentum. 3.) *Infelicem fractae fidei exitum.* Constat enim exemplis quamplurimis violatores fidei etiam hostibus datæ divinitus punitos esse. Cum *Saul* datam Gibeonitis fidem nefarie violasset, triennali fame & septem liberorum Saulis supplicio perfidia illa fuit punita. 2. Sam. XXI. 1. & 6. *Sedecias* propter violatam fidem Nabuchodonosori datam in captivitatem Babylonicam fuit adductus. Ezech. XVII. 19. *Moabitae* datam regi Israëlitico fidem frangentes in prælio cadunt. 2. Reg. III. 5. & 24. *Osee*, rex Israël, ab Assyriorum rege deficiens, & fidem datam violans, bello capitur, & in captivitatem adducitur. 2. Reg. XVII. 4. Cum rex *Antiochus* fœdus iniisset cum Judæis, illudque postea fregisset. 1. Maccab. VI. 60. mox ipse cum suis a Demetrio trucidatur. c. VII. 2. *Vladislao*, Vngariæ regi, pontifex Eugenius & cardinalis Julianus auctores fuere, ut decennii inducias cum Amurathe II. Turcarum rege, initas bello eidem illato violaret, & fidem datam frangeret. Cum ad arma utrinque ventum esset, ac ferocibus animis pugnaretur, inclinari & in fugam verti acies Turcica cœpit. Hoc cum pene fractus desperatione Amurathes conspicatus esset in christianorum exercitu imaginem crucifixi Jesu alta voce inclamavit: *Crucifixe, si Deus es, vindica perfidiam populi tui, qui jusjurandum nomine tuo datum, tam scelerate violat.* Mox commutata fortuna exercitus christianorum cæsus est, rex ipse in pugna equo dejectus, obtruncatus, & Julianus a latrunculis in fuga necatus. Jovius in Amurathe. Bonfinus lib. VI. de rebus Vngaricis cap. 3. de Amurathe refert, quod literas illas, quibus pax descripta erat, sub dio expandens usus fuerit verbis: *En crucifixe literas populi tui, quibus fœdus pacis, quod perfide violant, mecum inierunt, quod si vere Deus es, vindica illorum perfidiam.* Dresserus in libro de pontificum per Germaniam insidiis, recitata hac historia subjungit: *Documentum hac ratione statutum fuit omnibus posteris memorabile, quod velut e sublimi concionaretur, ac contra pontificium canonem testaretur, reges ac principes non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus datam fidem servare debere. Quorsum igitur,* inquit, *detestandum illud pontificium evadet elogium, quod haereticis fidem omnem datam abnegat?* Patres Romani cardinalem S. Juliani legatum in Pannoniam miserunt, ut *Johanni Hunniadi* significaret, fœdus cum Turcis contractum violandum esse, ac bellum renovandum, quæ res cum Hunniadi absurda videretur & reipublicæ exitiosa, tamdiu restitit, quoad concilii decreto a sententia discedere coactus fuit, quod decretum eventus ostendit immortali Deo minime placuisse, cum legatus ille cum innumerabilibus christianorum copiis cæsus est. Levenclajus in pandectis Turc. Suscitabulum principum parte I. cap. 11. p. 112. Imperatori *Sigismundo* concilii Constantiensis patres auctores fuerunt, ut Hussum & Hieronymum contra datam fidem ignibus subjectis ustulari juberet, sed ex eo horrendæ distractiones, ingentia bella & clades passim sunt exortæ. Ejusmodi exempla punitæ perfidiæ plura recenset Jacob. Schulthes quæstione: *An princeps catholicus datam haeretico fidem servare teneatur?* numer. 207. 4.) *Contraria probatae fidei exempla.* Quemadmodum Deus fidem populo suo datam servavit, licet is hæresi, idololatria & nefaria defectione peccaret; Psalm. LXXXIX. 34. Ezech. XVI. 60. Jerem. II. 20. &c. sic pii reges & principes fidem etiam hæreticis datam servandam censuerunt. Jacobus *cum Labano* idololatra fœdus init, Gen. XXXI. 48. a quo recessisse nuspiam legitur. *Josua*, Israëlitici populi dux, fidem Gabaonitis datam, licet fraude impetrata esset, ipsique ad gentes exitio devotas pertinerent, violare noluit. Jos. IX. 19. *Juravimus illis*, inquit, *in nomine Domini Dei Israël, & idcirco non possumus eos contingere.* *Carolus V.* imperator laudatissimus, fidem Luthero, quem pro hæretico habebat, publico imperii nomine datam sancte servavit, eumdem que

demque ex Wormatiensi conventu salvum & incolumem dimisit. Quamvis enim Eccius & alia quædam flabella contenderent, eodem jure, quo in Hussum & Hieronymum Pragensem animadversum fuerat, etiam in Lutherum animadverti debere, nemo tamen in comitiis fuit, qui Eccii sententiam non exsecraretur. Sleidanus libro III. 5.) *Rationem manifestam.* Inter quos datur juris communio, inter eos contrahitur obligatio. l. *quod attinet* 32. ff. *de reg. jur.* l. *naturaliter* 13. ff. *de condict. indeb.* Sed inter hæreticos & orthodoxos datur juris communio. Ergo inter eos contrahitur obligatio, & per consequens data fides mutuo est servanda. Si fidem infideli & hæretico datam frangere fas est, eamdem dare nefas fuit. Si vero fidem dare jus est, utique etiam datam servari oportet. Bodinus lib. V. de republ. cap. 6. Si fides gentilibus data est servanda, utique etiam hæreticis servanda erit. Sed verum prius: Ergo &c. Virtutes, ex quibus obligatio servandæ fidei oritur, puta veritas, fidelitas, justitia ubique nos obligant. Ergo fides data ubique servanda. 6.) *Legis, quæ fidem haeretico datam frangi permittat, defectum.* Multæ sunt tum decretis pontificum, tum R. imperialibus statutæ contra hæreticos pœnæ, sed nullo jure, vel constitutione, hæc pœna introducta est, quod fides ipsis promissa non sit servanda. Vide Tiberium Decianum libr. V. tract. crim. cap. 40. & seqq. Hisce & aliis argumentis permoti Menochius cons. 100. ac Prosper Farinaceus in pract. crim. tit. de carceribus & carceratis q. 29. nostram sequuntur & probant sententiam. (*)

§. CCXII. Quæritur VIII.) *An magistratus juramentum religionis a subditis, praesertim ab iis, qui in publicis officiis constituti sunt, exigere possit?* (**) Calviniani eo nomine principes nostros scoptice irrident. Sed opponimus illis 1.) *Mosis & piorum regum in populo Israëlitico auctoritatem,* Deut. XXIX. 10. & seqq. ubi Mose auctore ac suasore populus Deo obedientiam pollicetur, & in doctrinam cœlestem ac capita fœderis sibi tradita religiose jurando compromittit; Jos. XXIV. 25. fœdus illud solemniter repetitur. 2. Paral. XV. 14. *Asa*, rex Juda, populum ad verum Dei cultum reducturus, *adjurat eum*, ut quærat Deum. Idem de *Joiada*, summo sacerdote, 2. Reg. XI. 17. 2. Reg. XXIII. 2. Paral. XXIII. 16. & *Nehemia* Neh. X. 29. commemoratur. 2.) *Juramenti hujus conditionem & qualitatem.* Cujus actionis causæ omnes sunt bonæ ac legitimæ, illa non potest esse illicita, vel illegitima. Sed hujus actionis causæ omnes sunt bonæ. *Efficiens est* magistratus, qui habet potestatem exigendi jura-

8.) *An magistratus juramentum religionis exigere possit?*

(*) Sunt & alii ex ecclesiæ Romanæ scriptoribus, qui eandem sequuntur & probant sententiam; ex quibus eminet Jac. Avgvstvs Thvanvs, in cujus præstantissimo opere historico passim occurrunt luculenta documenta, queis animum huic veritati addictum & ab errore opposito longe alienissimum egregie comprobavit. Commendari etiam solet Jo. Molanvs, theologus quondam Lovaniensis, cujus exstant tres peculiares libelli *de fide haereticis servanda*, in quorum *primo cap. XXVI.* inter alia hæc leguntur verba: *Non video, cujus cum haereticis controversiæ finis esse possit juramentum aut fides publica, si haereticis fides servanda non sit. Valeat igitur impia illa sententia, &c, ut veritas exigit, omne mendacium omnemque perfidiam detestemur, nec attendamus, cui, sed per quem juravimus.* Duumviris hisce præstantissimis jure meritoque adjungimus Jvstvm Lipsivm, qui *libr. II. polit. cap. XIV.* ita infit: *quod nonnulli sibi fumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit, errant, & quærunt latebram perjurio. Nam fides etiam perfidis praestanda est. Etiam inter arma.* Prætermittimus alios idem sentientes, a Meisnero in *philos. sobr. part. III. cap. VII. quæst. 2. thes. I. p. 571.* adlegatos. Quod ad recentiores cœtus Romani doctores attinet, ex iis laudari heic cumprimis meretur jureconsultus celeberrimus, Jo. Adamvs Ickstatt academiæ Ingolstadiensis cancellarius, cujus *elem. jur. gent. libr. III. cap. V. §. VII. p. 232. seqq.* multa de hocce argumento continent prorsus egregia lectuque dignissima.

(**) Commentator literarum Hoë ad Comitem *Schlick* ex eo evincere studet, *jugum Lutheranum non esse mitius pontificio.* Hoë in conc. VII. epist. Gal. pag. 99. & seqq. illud juramentum confirmat, quia concernit 1.) Dei gloriam, 2.) Dei mandatum, 3.) hominum salutem, 4.) totius alicujus provinciæ incolumitatem. Gerhardvs.

juramentum. *Materia* est sinceritas religionis, quam jurans se amplecti, inque ea perseveraturum confirmat. *Forma* est religiosa divini Numinis invocatio. *Finis*, ut Dei gloria promoveatur, & ecclesiæ tranquillitas conservetur, protractis in lucem illis, qui erroneas opiniones occulte fovent, easque in ecclesia disseminandi occasiones exspectant. 3.) *Rationis paritatem.* Si apostolus Paulus adjurare potuit Thessalonicenses, ut epistolam *a se scriptam communicarent sanctis fratribus*, 1. Thess. V. 27. ut in veritatis cognitione ex ejus lectione confirmarentur; utique etiam pius & christianus magistratus poterit subditos, præsertim in officiis publicis constitutos ad amplectendam & conservandam divini cultus sinceritatem jurisjurandi religione obstringere. 4.) *Juramenti hujus utilitatem.* Protrahuntur hac ratione e latibulis suis vulpeculæ devastationem vineæ dominicæ molientes, frenum injicitur turbonibus, ut pœnas perjuris constitutas metuentes a dissidiis excitandis, erroribus spargendis, & turbando ecclesiæ statu abstineant, sicque fidei & ecclesiæ unitas studiose conservatur, &c.

9.) *An magistratus vicinorum religionis caussa pressorum curam gerere debeat?*

§. CCXIII. Quæritur IX.) *An pius & christianus magistratus vicinorum populorum ob veræ religionis professionem ab ordinario suo magistratu pressorum curam aliquam gerere debeat?* Quidam hujus rei curam esse quamdam ἀλλοτριοεπισκοπὴν existimant, sufficere enim arbitrantur, si de suis duntaxat subditis solicitus sit magistratus, ut illi in vera religione informentur. Sed opponimus illis 1.) *Dictum propheticum*: Amos VI. 6. *Bibentes vinum in phialis & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph:* ubi taxantur principes, qui secure indulgent genio ac parum pensi habent, quis sit ecclesiæ status? allusio est ad historiam Genes. XXXVII. 25. ubi fratres Josephi dicuntur, *consedisse ad convivandum*, cum Josephum multis lacrymis frustra deprecantem in foveam conjecissent, isque interim fame torqueretur. 2.) *Regum Israëliticorum exemplum.* Ezechias, rex Juda, celebraturus phase literas scribit non solum ad subditos regni Juda, sed etiam ad Ephraim & Manassen, *ut venirent Ierosolymam* ad festi hujus celebrationem. 2. Paral. XXX. 1. Quamvis enim in eas tribus, quæ regi Israëlis parebant, nullum haberet imperium; tamen invitandas ac hortandas eas esse censuit ad festi celebrationem, quod ab omnibus omnino Israëlitis divino mandato erat celebrandum. Sane plerique in regno Israël irridebant ac *subsannabant cursores* literas illas regias de civitate in civitatem per terram Ephraim & Manasse, usque ad Zabulon deferentes v. 10. interim quorumdam ex tribu Aser, Manasse & Zabulon corda Deus excitavit, ut Hierosolymam celebrandi festi ergo adscenderent v. 11. quo rite peracto *egressus est omnis Israël, qui inventus fuerat in urbibus Juda, & fregerunt simulacra, succiderunt lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt, non solum de universo Juda ac Benjamin, sed & de Ephraim quoque ac Manasse, donec penitus everterent.* 2. Paral. XXXI. 1. Quamvis vero heroicum illud factum, quod subditi Ezechiæ regis ejusdem mandato una cum reliquis Israëlitis sine consensu regis Oseæ, adeoque in alieno territorio idola exturbarent, in specie non sit temere imitandum; tamen generalis doctrina recte ex eo colligitur, quod pius magistratus solicitus esse debeat, ut vicini quoque populi a cultu idololatrico abducti veræ ecclesiæ adsocientur, vel ob veritatis confessionem a magistratu suo ordinario pressi liberationem ac levamen aliquod experiantur. 3.) *Christianæ caritatis officium.* Ecclesia est corpus aliquod mysticum, cujus membra singula fidei & caritatis vinculo sunt conjuncta, *patiente igitur uno membro, compatiuntur eidem membra reliqua*; 1. Cor. XII. 26. proinde si pius & christianus magistratus animadvertit vicinos populos fidei & religionis unitate sibi ac subditis suis conjunctos, ob veritatis confessionem premi, & in angustias redigi, sincero dolore ac συμπαθείᾳ adficitur, ac modis omnibus laborat

borat, ut auxilium & subsidium modis mediisque licitis ipsis præstari possit. Talia vero media præter cætera, quæ cum reliquis etiam privatis personis magistratus habet communia, quæ sunt *preces*, *consolationes*, *exhortationes*, &c. animadvertuntur potissimum duo, *fidelis* scilicet *intercessio*, ac *legitima defensio*. Potest omnino ac debet christianus magistratus pro vicinis populis propter veritatis confessionem pressis apud ordinarium ipsorum magistratum intercedere, ut de severitate aliquid remittatur, ac liberum veræ religionis exercitium ipsis concedatur. Anno 1541. mense Majo *protestantium ordines ad Franciscum I. Galliæ regem*, missis Ratisbona literis pro iis, qui per Galliam ob doctrinæ professionem partim erant in vinculis, partim in exsilio, partim in latibulis ærumnosam vitam agebant, intercesserunt, & quia nonnulli recipiebantur in gratiam, si doctrinam abjurarent, hanc ejus conditionem remitti petierunt, & quam grave sit, vulnerare conscientiam, ostenderunt. Sleidanus libr. XIII. comment. p. 381. Anno 1584. *Saxoniæ elector, Augustus*, vere augustus, apud *Henricum III. Galliæ regem*, pro Hugonotis intercedit literis 3. non. Febr. ad ipsum exaratis, in quibus inter cætera sic scribit: *Nullum est nobis dubium, quin S. V. præclara illa & salutaria sua edicta, quibus pax Galliæ nuper restituta fuit, firma & inviolata esse velit, sed metuimus, ne irrequieti homines eo tandem S. V. invitam redigant, ut ad nutum & imperium Romani præsulis ea facere & statuere cogatur, quibus & salus animarum, & omnes subditorum fortunæ evertantur.* Anno 1609. *elector Saxoniæ, Christianus II.* legatos ad *imperatorem Rudolphum* cum literis 21. Aprilis datis misit, qui pro statibus evangelicis in Bohemia intercederent, ut liberum religionis exercitium ipsis concederetur, id quod singulari Dei gratia favente & imperatoris clementia adnuente etiam impetravit. (*) *Defensionem* quod attinet, in ea caute procedendum. Quod si enim mere subditi ob veræ religionis confessionem pressi a magistratu suo ordinario defectionem moliantur, & arma eidem inferre cogitent, non debet patrocinium illorum alius suscipere, & injustam rebellionis causam promovere. At si proceres imperii, qui partem potestatis obtinent, contra magistratum suum ordinarium, qui reciproco juramento in certa quædam capita præstito ipsis obstrictus est, ac nihilominus fidem pacis & securitatis publicæ datam violat, se defendere cogitant, & vicini magistratus opem implorant, defensio eorum legitime suscipi, & auxilia ipsis præstari posse, haud immerito videri posset.

Officium magistratus in promovenda subditorum pietate.

§. CCXIV. Constituta igitur hac ratione in republica vera religione & stabilito sincero divino cultu magistratus in id incumbere debet, ut subditi juxta illius præscriptum pie vivant, ac debitum honorem & cultum Deo, regum regi ac dominantium domino, promte exhibeant. Prohibeat igitur omnia, quæ obedientiæ Deo debitæ, & in prima decalogi tabula requisitæ adversantur, utpote *cultus idololatricos*, *abusum nominis divini*, *blasphemias in Deum*, *contemtum verbi divini publicum*, *violationem sabbati* &c. ac protervos pietatis contemtores coërceat ac puniat, ut reliqui illorum exemplo territi ab omni impietate, securitate & externa legum divinarum transgressione caveant. Quamvis enim interiorem pietatis cultum & sincerum Dei timorem subditorum animis magistratus suis legibus ac pœnis instillare nequeat, cum illud unice sit Spiritus sancti opus, qui per verbi prædicationem & sacramentorum usum in cordibus hominum interius vult esse efficax; duplici tamen ratione subditorum pietatem, & primæ decalogi tabulæ obedientiam pius magistratus promovere & potest & debet; primo quidem *ministerium ecclesiasticum constituendo*. Quodsi enim ecclesia-

(*) Elector Brandeburgicus, Johannes Sigismundus, Philippus Ludovicus, Palatinus, Henricus Julius, dux Brunsvicensis, eodem anno 1609. & mense Aprili apud imperatorem Rudolphum pro statibus evangelicis in Bohemia interceserunt, ut liberum religionis exercitium ipsis concederetur. GERHARD.

clesiasticum ministerium est legitime constitutum, ac partibus officii sui rite fungitur, tunc per prædicationem legis & evangelii etiam interior pietas, vera scilicet conversio, Dei timor, vera invocatio, &c. in cordibus hominum accenditur: deinde *externam primæ decalogi tabulæ transgressionem prohibendo ac puniendo.* Etenim si ecclesiasticum ministerium officio suo rite ac salutariter fungi debet, necesse est, externam disciplinam conservari, & quæ eam labefactant, legibus ac pœnis aboleri.

MEMBRVM II.

DE CVRA MAGISTRATVS CIRCA HONESTATEM ET JVSTITIAM.

Officium magistratus in promovendo apud subditos honestatis & justitiæ studio.

§. CCXV. Diximus superius bonum illud, quod a magistratu in rempublicam redundat, esse tripartitum, ut colligitur ex loco apostolico 1. Tim. II. 2. ideoque magistratum in officii erga subditos administratione ad tria potissimum debere respicere, ut subditi vivant εὐσεβῶς, σεμνῶς καὶ ἡσυχῶς, *pie, honeste ac pacate.* Quare cum prima officii pars subditorum pietatem promovendam spectans hactenus exposita fuerit; restat, ut ad alteram, quæ honestatem publicam spectat, transitum faciamus. Magistratus divinitus constitutus est *utriusque decalogi tabulæ custos*, ideo etiam ad officium ipsius pertinet, sedulo curare, ut subditi non solum εὐσεβῶς, *pie*, juxta *primæ tabulæ* præscriptum, sed etiam σεμνῶς, *honeste*, juxta *secundæ tabulæ* leges vivant. Salvator noster utrumque adserit, mandatum primum de *dilectione Dei* esse magnum, & secundum de *dilectione proximi*, primo illi simile esse Matth. XXII. 39. Mandatum primum de dilectione Dei maximum dicitur tum ratione *objecti*, quia immediate dirigitur ad Deum bonitate optimum, potentia maximum, tum ratione *dignitatis & ordinis*, quia ex dilectione Dei proximi dilectio oritur, tum ratione *finis*, quia omnia præcepta reliqua ad illud referuntur. Mandatum secundum de dilectione proximi primo simile dicitur tum in *genere cultus moralis*, quia utrumque requirit interiorem & spiritualem obedientiam, tum in *genere pœnæ*, quia utriusque transgressio cum reatu temporalis & æternæ pœnæ est conjuncta, tum in *obligatione ad obedientiam*, quia ad secundum mandatum non minus, quam ad primum obstricti sumus, tum in *coherentia*, quia si quis Deum vere diligit, is proximum etiam non potest non diligere. ἡ δευτέρα ἐντολὴ ἔστιν ὁμοίως γενικὴ καὶ κεφαλαιώδης καὶ μεγάλη καὶ ὁμοίως ἐπιταχθεῖσα, dicunt scholia græca. Quare cum juxta salvatoris effatum mandatum secundum, hoc est, leges secundæ decalogi tabulæ sint primo mandato, hoc est, legibus primæ decalogi tabulæ, similes; magistratus officium requirit, ut utriusque tabulæ curam & custodiam apud subditos suos promoveat.

§. CCXVI. Obedientia illa subditorum erga utramque decalogi tabulam εὐσεβείας καὶ σεμνότητος adpellationibus 1. Tim. II. 2. expressa, in aliis scripturæ locis etiam aliis vocabulis distinguitur. Luc. I. 75. ut *liberati de manu inimicorum serviamus Deo* ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, *in sanctitate & justitia*, ubi ὁσιότητος nomine cultus primæ tabulæ, δικαιοσύνης vero adpellatione secundæ tabulæ obedientia intelligi videtur. Tit. II. 12. *Vt abnegata impietate & desideriis secularibus* σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς, *sobrie, juste & pie vivamus*, ubi εὐσέβεια ad primam, σωφροσύνη vero & δικαιοσύνη secundam decalogi tabulam respicit; debemus enim vivere εὐσεβῶς erga Deum, σωφρόνως erga nos ipsos, δικαίως erga proximum. Quare cum ad secundam decalogi tabulam pertineat σεμνότητος καὶ δικαιοσύνης, honestatis & justitiæ studium, magistratus ad curam & custodiam secundæ

cundæ tabulæ sibi demandatam pertinere cogitet, ut subditi honestatem colant, & justitiæ studeant, sicque publica honestas & justitia in republica vigeat atque floreat. Honestatem apud subditos promovere poterit *legum honestarum statutis*, justitiam vero *judiciis* ac *suppliciis*. Leges morales secundæ tabulæ a Deo ipso promulgatas magistratus non solum debet tueri, juxta illarum præscriptum subditos regere, & transgressores illarum punire; sed etiam novas quasdam leges politicas ad reipublicæ salutem spectantes potest promulgare, quæ sint legum divinarum quasi *quædam adpendices* & adminicula, quemadmodum Deus ipse populo Israëlitico non solum moralem legem in monte Sinai repetivit, sed etiam per Mosen *forenses* ac *judiciales* quasdam *leges* proposuit. Versatur igitur officium magistratus in *ordinando*, *judicando*, & *vindicando*; competit enim ipsi *leges honestas sancire*, *juxta earum normam judicia exercere*, & *transgressores pœnis adficere*, quo respectu superius cap. V. sect. I. triplicem potestatem magistratui adtribuimus, νομοθετικὴν, δικαστικὴν & κολαστικὴν, *legislatoriam*, *judicatoriam ac punitoriam*. Proinde hujus membri tres distinctos constituemus articulos, quorum primus tractabit de *legibus*, secundus de *judiciis*, tertius de *suppliciis*.

ARTICVLVS I.

DE LEGIBVS POLITICIS.

Quæritur 1.) *An leges in republica sint necessariæ?*

§. CCXVII. Non agimus hoc loco *de lege in genere*, sed de legibus *politicis positivis in specie*, nec de illis, quas vocant *leges regni fundamentales*, quæ de modo & requisitis vel successionis, vel electionis feruntur; sed de illis, quas magistratus propter bonum publicum subditis suis sancit. Constat enim teste Cicerone libr. II. de legibus, *ad salutem civium civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam conditas esse leges*. Antequam vero ad naturam legum politicarum per causas explicandam descendamus, præmittenda est ἐργασία quæstionis de legum necessitate, utilitate ac dignitate. *Primo* ergo omnium hoc loco quæritur: *An leges positivæ in republica sint necessariæ?* Videri alicui poterat non esse necessarias, cum apostolus adferat Rom. II. 14. *gentes legem non habentes sibi ipsis esse legem*, cumque perfectioni legis divinæ moralis & naturalis derogare videatur, si quis positivas leges necessario requiri statuat. Sed rectius dicitur, leges quasdam positivas omnino in republica necessarias esse, quod probatur 1.) *A legis naturalis conditione.* Lex naturæ generalia duntaxat præcepta continet, & in genere tantum præscribit, quid agendum, quid fugiendum? nec descendit ad particularia: jam vero non omnes eo valent ingenio, ut ex generalibus illis principiis deducere possint, quid in casibus specialibus, qui ob circumstantias plurimum variant, sit statuendum; proinde specialibus quibusdam legibus ex fonte juris naturalis deducendis, & ad cujusque reipublicæ conditionem adcommodandis est opus, ut publicum bonum subditorum promoveatur. 2.) *A naturæ humanæ corruptione. Opus legis scriptum quidem est in cordibus omnium hominum*, Rom. II. 15. quod ἔργον νόμου ad virtutem & καλοκαγαθίαν omnes naturaliter inclinat; sed per lapsum protoplastorum atque eum consecutam peccati originalis in omnes homines propagationem notitia illa legis naturalis valde obscurata est, adeo ut adfectuum inordinatorum impetus rationem sæpe in transversum abripiat; opus igitur est positivis legibus, quibus homines per præmia ad faciendum bonum efficacius permoveantur, ac per pœnas ad vitandum malum impellantur. Has duas rationes complectitur Plato lib. IX. de legib. *Necesse est*, inquit, *leges hominibus*

minibus ponere, ut secundum eas vivant. Nam si absque legibus viverent, nihil a feris atrocissimis discreparent, cujus rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita institutum est, ut quæ ad publicum humanæ vitæ commodum conferunt, sufficienter cognoscat, & si agnoverit, ut optimum id, quod novit, semper agere possit ac velit. 3.) Ex *disciplinarum theoreticarum & practicarum cognatione.* Quemadmodum in ratione speculativa ex principiis theoreticis naturaliter notis deducuntur speciales conclusiones in scientiis theoreticis recte formandis & constituendis: sic in ratione practica ex principiis practicis naturaliter notis deduci oportet speciales quasdam conclusiones in disciplinis practicis recte formandis, quæ si modo conveniente ac legitimo deducantur, leges positivæ adpellantur. 4.) Ex *omnium rerumpublicarum inductione.* In qualibet reipublicæ forma *legibus definitur legitimum imperium, non autem cujusque imperantis dominatu*, inquit Plato in dial. polit. Nulla dari potest respublica, quæ non fuerit legum adminiculis usa ad commune bonum civium promovendum, at si nulla esset legum necessitas, gubernatores rerum publicarum non fuissent de illis tantopere soliciti. Exemplum reipublicæ Romanæ, quomodo non potuerit diu carere legibus, vide apud Forsterum in histor. juris lib. I. cap. 6. *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus armatam esse oportet, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernare*, ait Justinianus in præfat. institut. imper. 5.) Ex *legum positivarum commendatione.* Leges sunt *res sacræ* l. *Leges.* cod. *de legibus.* Imperator Leo novell. 19. leges vocat *oculos reipublicæ.* Idem in præfat. novell. *Leges sunt tanquam custodes vitæ & medici, dum mala partim ne oriantur, ac in communem vitam promanent, impediunt, partim vero quæ mala occulta sunt, infinuanterque irrepserunt, eorum noxam corrigunt, ac velut radicitus vitiositatem evellunt, eamque non sinunt corroborari.* Majores nostri legem *animam ac spiritum civitatis dixerunt*, inquit Cassanæus p. X. catal. glor. consc. 20. & eo Piccolominus gradu X. c. 23. Vt enim *corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis ac sanguine & membris uti non potest.* Cicero pro Cluent. ὁ νόμος τῆς πόλεως ἐστὶ ψυχή: ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα ψερηθὲν ψυχῆς πίπτει, οὕτως καὶ πόλις μὴ ὄντων νόμων καταλύεται. Non minus cives pro legibus pugnare debent, quam pro mœnibus civitatis, quod *absque legibus nullo modo civitas incolumis esse possit, absque mœnibus possit*, ut Heraclitus Ephesius dixit referente Simanca libro IV. de republ. cap. 1. cum quo convenit illud Pomp. Læti, *leges esse muros & propugnacula otii ac tranquillitatis civilis.* Proinde ut solem e mundo tollere, qui amicitiam ex vita humana tollunt, Ciceroni lib. de amic. dicuntur, sic e republica solem, imo animam tollunt, qui leges ex ea sublatas cupiunt. *Leges tollere est ipsas respublicas tollere*, inquit philosophus lib. V. de rep. c. 9. *Sine norma legum directrice opus nullum in republica recte procedit, ut nec architectis sine libella & linea.* Lipsi. lib. polit. cap. 7. (*) Ex his facile adparet, quid ad argumenta contraria sit respondendum. Leges positivæ nihil derogant legis moralis & naturalis perfectioni in se & per se consideratæ, sed testantur de naturæ humanæ corruptione, quæ legibus positivis velut medicina quadam ac repagulo indiget. Adde, quod leges positivæ nihil aliud sint, quam rivuli ex fonte juris divini ac naturalis deducti, conclusiones particulares ex universalibus illis principiis formatæ. Vide Meisnerum lib. IV. de legib. sect. 1. q. 2.

§. CCXVIII. Quæritur II.) *An satius sit homini, quam legibus imperium concedere?* 1.) Apud Livium lib. II. decad. 2. f. 29. adolescentes aliquot Romani expulso Tarquinio conqueruntur, *regem hominem esse, a quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit, esse gratiæ locum, esse bene-*

2.) *An satius sit homini, quam legibus imperium concedere?*

K 2

(*) Lex est regula vitæ, fons justitiæ & æquitatis, vinculum & anima civitatis, manus & columna imperiorum. GERHARDVS.

beneficio, & iracsci & ignoscere posse, inter amicum atque inimicum discrimen nosse: leges vero rem surdam & inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi, quam potenti, nihil laxamenti nec veniæ habere, si modum excesseris, periculosum esse, in tot humanis erroribus sola innocentia vivere. 2.) Thomas Morus in sua republica itidem causas potius decidendas *arbitrio principis*, quam *judicio legum* committi voluit. 3.) Præterea lex non potest omnes prævidere ac determinare circumstantias, loquitur universaliter, & in contingentibus ac specialibus sæpe deficit; satius igitur videtur optimo magistratui, quam optimæ legi imperium tribuere. 4.) Idem similitudine quadam illustrari potest. *Vt medicus*, juxta Hippocratem, *oculum unum in præcepta artis, alterum in conditionem ægroti dirigit, nec se præscriptis artis suæ legibus ac canonibus ita adstringi patitur, quo minus ex prudentia quædam agat: sic magistratus non sit legum servus, sed dominus;* non semper ex legum præscripto, sed quandoque ex suo arbitrio agat, ac civium salutem summam legem esse existimet. Contra satius videtur legibus, quam homini dominium adsignari. 1.) *Qui legem præesse jubent, Deum præesse jubent, qui hominem, quasi bestiæ imperium concedunt*, inquit philosophus libr. III. polit. cap. 11. Ratio prioris est, quia *lex est Dei vox*, cum sit ex fundamento legis naturalis & moralis deducta sanctio; ratio posterioris est, quia homo est adfectuum servus, odio, amicitia, ira ac misericordia velut quibusdam ventis circumflatus. 2.) Solon percunctatus, quo pacto salva esse possit respublica? respondit, *si cives obediant magistratui, magistratus autem legibus.* 3.) Facilius invenitur unus prudens ad leges perpetuas ferendas, quam multi ad juste pronunciandum, imo variis multorum judiciis conturbatur jus, dum aliud alii justum videtur. 4.) Facili negotio contingere potest, ut ad imperii fastigium adscendat improbus, vel in ipso illo imperii fastigio ad improbitatem declinet; quod si ergo illi imperium in leges conceditur, reipublicæ salus periclitatur: unde Plato libro IV. de legibus concludit, *paratum esse illi civitati exitium, in qua non leges magistratui, sed legibus magistratus præsunt.* 5.) Jus certum est & *æquabili fronte omnes adspicit.* l. 2. *de ju. & fac. ign.* ergo ex eo potius, quam ex humanis arbitriis, quæ moveri gratia, frangi potentia, prece pretiove corrumpi, odio, spe aut metu concuti possunt, magistratus sententiam ferat. 6.) Gubernatio per leges potest longissimo tempore eadem perseverare, at judicia hominum sæpe mutantur. Distinctionis fœdere utraque quæstionis pars concilianda. Et *regi & legi* imperium in republica concedendum. *Legi* quidem in illis, in quibus certi aliquid determinat; *regi* vero in iis, in quibus lex deficit, neque certi quidquam definit. Distinguendum etiam inter *legis explicationem & adcommodationem, ex prudentiæ ductu ac monitu*, & inter *legis transgressionem ex vitiosorum adfectuum impetu profectam.* Magistratui dandum est imperium in legem, ut ratione circumstantiarum habita legem prudenter explicet & adplicet: legi dandum est imperium in magistratum, ne adfectuum impetu abreptus eamdem transgrediatur.

Causa efficiens principalis legum positivarum est Deus ipse.

§. CCXIX. Ex necessitate & utilitate legum earumdem *dignitas* cognoscitur. Si enim ad reipublicæ salutem promovendam non solum utiles, sed etiam necessariæ sunt leges, utique etiam dignitatem longe maximam eas obtinere necesse est, quam ostendit ulterius *causa* earumdem efficiens, ad quam porro descendimus. Ea vero duplex est: *principalis & instrumentalis; mediata & immediata.* Causa *efficiens summa & principalis* est Deus, *unicus ille legislator*, Jac. IV. 12. a quo omne ad nos descendit bonum, cum ipse unus sit summum bonum. Quamvis enim inter legem moralem, naturalem & positivam hoc discriminis intercedat, quod illæ sunt a Deo immediate, quippe quas in prima creatione hominum cordibus insculpsit, & in monte Sinai solemniter

postea

postea repetivit; hæc vero mediate, quippe quam per certos νομοθέτας in republica sancit ac promulgat: tamen etiam positivarum legum originem principalem & primariam ad Deum auctorem referendam esse sequentibus argumentis constat. Primum ducitur ex *scripturæ dictis:* Prov. VIII. 15. inquit sapientia divina: *Per me reges regnant, & principes decernunt justitiam*, sive justa. Quid vero aliud est justitiam decernere, quam justas & salutares leges ferre? Huc pertinent omnia scripturæ dicta, quæ *obedientiam* erga magistratum a subditis requirunt. Rom. XIII. 5. 1. Pet. II. 13. magistratui enim obedire est magistratus legibus & decretis obedire; qui legibus parere recusat, ipsi quoque magistratui debitam obedientiam derogat. Alterum ex *rationibus*, 1.) Ex *legislatoris adpellatione:* Qui est *unicus legislator*, summus scilicet & principalis, ab eo omnes leges, & sic etiam positivæ descendunt. Deus est unicus legislator Jac. IV. 12. Ergo ab eo omnes leges, & sic etiam positivæ descendunt. 2.) Ex *causarum subordinatione.* Qui est causa causæ, est etiam causa causati, in essentiali scilicet ac necessaria causarum subordinatione. Atqui Deus est causa causæ, legis scilicet moralis & naturalis, quippe quam protoplastis primitus perfectam implantavit, ejusdemque reliquias adhuc mediante nativitate ex parentibus animis hominum inserit. Ergo est etiam causa causati, legum scilicet positivarum, quæ ex fonte juris moralis ac naturalis derivantur. 3.) Ex *potestatis* νομοθετικῆς *concessione*: A quo potestas νομοθετικὴ magistratui data, ab eo etiam leges positivæ descendunt. Atqui potestas νομοθετικὴ a Deo magistratui data, ut paulo post demonstrabitur. Ergo ab eo descendunt leges. 4.) Ex *legum conditione*: Voluntas divina est causa & mensura omnis boni. Lex positiva est bonum quoddam, quia spectat ad bonum publicum promovendum. Ergo etiam a voluntate divina descendit, unde ἐκτύπωμα, & idea divinæ voluntatis vocatur. 5.) Ex *mediorum ad finem reductione*: Ad quem, velut summum auctorem, reipublicæ felix gubernatio reducenda, ad eum quoque media illius felicis gubernationis reduci debent. Atqui ad Deum, velut summum auctorem, felix reipublicæ gubernatio reducenda: Dan. II. 21. Ipse *stabilit reges.* Prov. XX. 12. *Aurem audientem & oculum videntem Dominus fecit utrumque;* hoc est, ut magistratus decernat salutaria, & subditi illis promte obediant, utrumque est Dei beneficium. Ergo etiam ad Deum, velut summum auctorem media felicis gubernationis, inter quæ leges principatum obtinent, reduci omnino debent. Tertium ex *consensu omnium populorum & gentium.* Demosthenes orat. I. in Aristogen. legem definit, quod sit ἕυρημα καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα σοφῶν ἀνδρῶν, ἐπανόρθωμα ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν ζῆν προσήκει πᾶσι τοῖς ἐν πόλει· *inventum & donum deorum, decretum hominum sapientum, delictorum consulto vel inconsulto admissorum correctio, urbis commune pactum, juxta quod omnes vivere convenit.* (*) Cælius Rhodiginus lib. X. antiq. lectionum c. 19. *Quia lex a summo bono est, & in idem refluit, hinc veteres legumlatores earum inventiones esse divini muneris arbitrati, in diversorum numinum vim referre adorti sunt, veluti Zoroaster Bactrianis Persisque leges tradens in Oromasin, Trismegistus Ægyptiis in Mercurium, Charondas Carthaginensibus in Saturnum, Draco & Solon Athenienses in Minervam, Mahumeth Arabibus in Gabrielem, Zamolxis Scythis in Vestam, Plato Magnesiis & Siculis in Jovem & Apollinem, Minos Cretensibus, ut vulgatior fama tenet, at Parrhasii monumentis traditur, in Jovem eumdem.* Hæc Rhodiginus ex Herodoto, Plutarcho, Livio, Valerio Maximo & aliis. *Numa Pompilius*, Romanorum rex, ab

(*) Mercurium legum suarum auctorem Mimus persuasit Ægyptiis; *Jovis auctoritate Cretensibus Minos suas commendavit leges, suam se ab Apolline legislationem Lycurgus, a Vesta Zamolxis, Numa ab Aegeria Nympha se accepisse* gloriatus est, Athenienses *Cereri legiferæ suum jus acceptum retulerunt.* GERHARDVS.

ab Ægeria nympha leges suas in nocturnis congressibus se accepisse fingebat, quod a legumlatoribus illis factum censendum, tum quia obscurior quædam fama de divina Mosaicæ legis promulgatione ad ipsos forte pervenerat, tum ut rectitudinem legis a divina mente promanare ostenderent, tum denique, ut majorem legibus suis auctoritatem conciliarent, Patritius lib. I. de republ. tit. 5. atque ita consuescendi legibus tædium metus religionis evinceret. Tolozanus lib. VII. de republ. c. 19. n. 14. Addit Marsilius Ficinus hisce fabularum involucris mysteria quædam tegi, sicut in vitibus pulcerrimæ uvæ pampinis tectæ latent, & sicut Alcibiadis imagines, quas Silenos vocabat, clausæ monstrosam speciem præ se ferebant, apertæ vero divinum numen ostendebant. Mysteria illa sic explicat Piccolominus gradu X. phil. mor. c. 27. *Manat lex a sapientia, hæc Minervæ tribuitur, sapientiæ juncta contemplatio, hæc Saturno congruit. Exposcit lex potestatem regiam, hæc Jovi tribuitur, exposcit justitiam, quæ imperii sol, Apollo autem sol dicitur, exposcit eloquentiam, ut persuadeatur, eloquentiæ vero deus Mercurius fingitur.*

Causa instrumentalis legum sunt νομοθέται.

§. CCXX. Causa *instrumentalis* & *immediata* legum positivarum sunt νομοθέται, in qualibet republica, qui semina legis naturalis cordi insita diligenter excoluerunt, & potestate rempublicam administrandi divinitus instructi, ad illius salutem atque commodum promovendum ex habitu prudentiæ leges positivas depromserunt. Intellexerunt enim ex *naturæ luce & experientiæ magisterio*, ad cujusque reipublicæ felicem gubernationem vel maxime requiri εὐνομίαν, legum scilicet honestarum promulgationem, absque qua εὐπορία & εὐτυχία in civitate locum habere nequit. Tria vero in legumlatore requiruntur: 1.) *Publica potestas*, quia ad privatas personas non spectat leges ferre, sed potius legibus parere: ac si vel maxime privatus legislationem sibi vindicaret; tamen potestate exsequendi legem destitueretur, at lex sine exsecutione est campana sine pistillo. 2.) *Prudentia directrix*: Cum enim lex rationem gubernandi & normam agendi præscribere debeat; ideo summa in legumlatore prudentia requiritur, per quam in legislatione ac νομοθεσία dirigatur. 3.) *Boni publici studium*: Finis enim legis est bonum publicum promovere; ergo ad illud tanquam ad scopum legislator unice debet respicere, & cogitationes suas omnes eo dirigere. Ratione hujus causæ efficientis instrumentalis & immediatæ Romani jurisconsulti legem speciali appellatione sic dictam, distinguunt *a plebiscitis, senatus consultis, prætorum edictis, jurisconsultorum responsis, & imperialibus constitutionibus*, ut videre est l. 1. inst. tit. 2. *de jure naturali*, gentium & civili. *Lex* ipsis est, quod populus Romanus senatorio magistratu veluti consule interrogante constituebat. *Plebiscitum* est, quod plebs plebejo magistratu interrogante veluti tribuno constituebat. *Senatusconsultum* est, quod senatus Romanus nullo tribuno intercedente sanciebat. *Edicta prætorum* sunt, quæ tum prætores urbani, tum ædiles curules, antequam magistratum inirent, conscribebant; & in albo, hoc est, tabula dealbata proponebant, ut quomodo anno suo jus dicturi essent, cuivis intelligere liceret. *Responsa jurisconsultorum* vel prudentum sunt sententia eorum, quibus permissum erat de jure respondere, qui tantam obtinebant auctoritatem, ut judici ab eorum responso non liceret recedere. *Principum placita* vel *imperatorum constitutiones* sunt jus, quod imperatores Romani occupata republica vel rescriptis, vel decretis, vel edictis constituebant. *Rescripta* erant, quibus principes ad libellos supplices, & ad magistratuum absentium consultationes respondebant. *Decreta* erant sententiæ, quas principes causa cognita, & utraque parte audita, pronunciabant. *Edicta* vero, quibus iidem non de certa quadam controversia, sed de jure aliquo novo bene de republica sentientes quasi novam aliquam legem constituebant.

Requisita νομοθέτου.

tuebant. Cælius Rhodiginus lib. X. antiq. lect. c. 19. itidem *legis* nomen εἰδικῶς accipit, quando a decretis eam distinguit: *Vbicunque*, inquit, *principum institutiones aut civitatum verae non sunt, hoc est, ad optimum ratione certa non dirigunt, legis haudquaquam videntur nuncupatione sacrove dignae titulo, quin imo decreta dici verius edictave ac instituta, siquidem lex vera, lex bona est; aeterna item & mutationis prorsus nescia, imo & eadem ubique, si modo vera. Nam quae ingeniorum adflatu subinde locis temporibus interpolata distinguitur, & Protei modo formam evariat, neutiquam lex dicenda est.* Sane quæ lex vera & bona non est, ea æquivoce duntaxat lex est. Cic. lib. II. de legibus: *Leges iniquae quatenus a ratione declinant, non modo leges habendae non sunt, sed nec adpellandae quidem;* ex eo vero colligi nequit, omnem legem esse æternam & immutabilem, quia aliud bonum ἁπλῶς, aliud τινὶ, ac diversis reipublicæ temporibus ac statibus diversæ leges conveniunt, ideoque in generali significatione lex positiva est quælibet constitutio humana a quocunque legislatore, potestate νομοθετικῇ instructo, promulgata, sive ad tempus duntaxat observanda præscribatur, sive in perpetuum vigere debeat, modo non repugnet juri naturali, sed sit justa, & publico communitatis bono inserviat.

§. CCXXI. Quæritur circa causam efficientem legum: I.) *An magistratus habeat legum novarum ferendarum potestatem?* Carolstadio, anabaptistis & aliis fanaticis absurdum visum fuit, leges forenses Mosaicas a Deo ipso promulgatas in populo Dei, & in christiana republica non observari, sed earum loco leges civiles ab imperatoribus Romanis, quorum quidam fuere ethnici, noviter propositas obtinere, sed in tractatu de legib. cerim. & forens. §. 39. ostendimus,(*) leges illas forenses ac judiciales a Mose promulgatas una cum politia Mosaica esse abrogatas;(**) pertinebant enim ad *μεσότοιχον*, *interstitium macerationis* inter Judæos & gentes, *parietem* illum *medium* Ephes. II, 14. Quæ ratio cessavit, postquam Christus *abolevit in carne sua inimicitiam, legem mandatorum decretis evacuatam* Ephes. II, 15

materiæ, quo Judæi & gentes discriminabantur, & complexu *legis mandatorum in decretis fitæ*, & a Christo abrogatæ Eph. II. 14. & 15. continentur, & adcommodatæ fuerunt ad certas loci, temporis, causarum & personarum circumstantias in politia Israëlitica observandas, ideoque obligatio earum fuit temporaria, quæ cessantibus illis circumstantiis ipsa quoque cessavit. (*) Magistratui ergo christiano divinitus data est potestas aliis legibus, quam forensibus Mosaicis in reipublicæ administratione utendi, ac novas leges promulgandi, modo sint honestæ, justæ, juri naturali congruæ, & ad bonum publicum adcommodatæ, id quod sequentibus demonstramus argumentis: 1.) A *genere*: Cui Deus potestatem ἀρχικὴν, imperatoriam & gubernatoriam concedit, illi etiam dat potestatem νομοθετικὴν; ratio est, quia νομοθετικὴ est species sive pars ἀρχικῆς, & absque νομοθετικῇ gubernatoria finem suum obtinere nequit, ut superius ostensum, unde etiam Prov. VIII. 15. *regnare & justitiam decernere* conjunguntur, & Esa. XXXIII. 22. hæc duo simul pronuntur: *Dominus rex noster*, *Dominus legifer noster*; nam regis est jubere, & jubendo leges ferre. Jam vero magistratui divinitus data est potestas ἀρχικὴ, Rom. XIII. 1. 1. Petr. II. 13. ipsi competit imperandi potestas, subditos manet obediendi necessitas. Ergo etiam potestas νομοθετικὴ illi data. 2.) A *fine*: Cui curam boni publici Deus commisit, illi etiam potestatem ferendarum legum dedit; ratio est, quia lex est medium, per quod bonum publicum promoveri debet, unde Plato definit legem, quod *sit gubernandi ratio formulaque vera finem ad optimum per commoda media nos perducens, transgredienti pœnam, parenti præmium præfigens.* At magistratui commisit Deus curam boni publici, in eo enim consistit discrimen magistratus & subditorum, quod ille solicitus esse debeat de bono civium publico, hi vero privatis officiis contenti vivere debeant. Ergo etiam magistratui ferendarum legum potestatem dedit. 3.) A *requisitis*: Cui requisita ad νομοθεσίαν Deus dedit, illi etiam potestatem νομοθετικὴν dedisse censendus. Atqui magistratui dedit Deus requisita νομοθεσίας, quæ sunt prudentia νομοθεσίαν dirigens, & vis coactiva exsecutionem legis urgens. Vtraque Dei donum, illa a Spiritu sapientiæ & consilii magistratui promisso proficiscitur; Num. XI. 17. 1. Sam. X. 6. XVI. 13. Prov. XX. 12. hæc ex potestate & auctoritate, qua divinitus magistratus instructus, & quasi armatus est, descendit. 4.) Ab *exemplis*: Jubet Deus Jer. XXVII. 8. & 12. ut Sedecias & populus in captivitatem abductus se subjiciat *Nabuchodonosori*, regi Babylonis, ergo etiam legibus illius ipsos subjectos esse voluit. Christus & apostoli *centurionem*, Matth. VIII. *regulum*, Joh. IV. *Cornelium*, Act. X. *Sergium pro-*

notæ jam observavimus. Addunt quoque, in legibus, quæ fundantur in jure communi distinguendam esse *ipsam* præcepti *substantiam*, ab ejusdem *circumstantiis*. Nonnullæ leges tum quoad substantiam, tum quoad circumstantias, sunt juris communis: Aliæ vero duntaxat quoad substantiam tales sunt, verum, quod ad circumstantias attinet, sunt tantum juris particularis. *Illæ* sunt perpetuæ ex *omni parte*, *istæ* autem tantum *secundum quid*, ut in scholis loquuntur. Ita verb. grat. in legibus de pœnis scelerum juris naturalis est ipsa pœnæ substantia, sed modus & gradus pœnæ est tantum juris particularis, ac proinde mutabilis. Vid. FRANC. TVRRETINVM in *institut. theologiæ elenctica, part. II. p. 183. thes. IV.*

(*) Piscator in adpend. ad observ. c. 21. 22. & 23. Exod. præfixa comment. in Exod. late hac de re

differit: *Obligatus est populus christianus ad eas leges Mosaicas judiciales, quæ præcipiunt de rebus immutabilibus & omnium gentium communibus. Non autem ad eas, quæ præcipiunt de rebus mutabilibus & Judaicæ sive Israëliticæ genti pro illo tempore, cum adhuc eorum politia staret, propriis. Res omnium gentium communes, id est, quæ in omnes cadunt & respectu naturæ suæ ac meriti immutabiles, sunt delicta moralia, id est, contra decalogum admissa, ut homicidium, adulterium, furtum, seductio a vero Deo, blasphemia, percussio parentum; res mutabiles & Judæorum pro illo tempore propriæ fuerunt emancipatio servorum servarumque Hebræarum anno septimo, conjugium cum vidua fratris, cognative defuncti absque prole mascula, condonatio mutui in anno jubilæo, conjugium cum muliere ejusdem tribus &c.* GERHARDVS.

proconsulem, Act. XIII. ex præscripto juris Romani magistratum administrantes in ecclesiæ consortium receperunt, atque eo ipso usum aliarum, quam forensium legum in republica confirmarunt. Apostoli præcipiunt, ut magistratui etiam *ethnico* christiani obedientiam præstent; Rom. XIII. 1. 1. Petr. II. 13. ergo legibus civilibus magistratus etiam ethnici christianos subjectos esse volunt, & consequenter potestatem ferendi leges ad reipublicæ salutem spectantes magistratui datam confirmant. Quid quod ad privilegia Romanæ politiæ apostolus provocat Act. XXII. 25. *Num hominem Romanum nondum convictum licet flagellare?* c. XXV. 10. *Ad tribunal caesaris sto, ibi me oportet judicari.* Jam vero, qui privilegiis alicujus politiæ gaudere cupit, ejusdem leges adprobet necesse est. Adprobatis vero legibus, potestas νομοθετικὴ adprobatur.

2.) *An ad legem requiratur promulgatio?*

§. CCXXII. Quæritur II.) *An ad legem requiratur promulgatio?* R. Omnino, id probatur: 1.) Ex *evidenti ratione*: Inter legem divinam moralem, & humanam positivam hoc discriminis intercedit, quod lex divina, utpote æterna & immutabilis, obligat omnes homines, etiam eos, quibus non est externa promulgatione repetita; sed lex positiva non obligat eos, nisi quibus per promulgationem est insinuata. Lex est faciendorum ac fugiendorum norma. Atqui ad hanc normam actiones suas subditi conformare nequeunt, nisi illis sit cognita, cognita vero esse nequit, nisi promulgetur. 2.) Ex *jure canonico*: cap. *In istis &c.* dist. 4. *Leges instituuntur, cum promulgantur.* cap. *Vt animarum &c.* extra de constitutionibus: *Vt animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum ligare nolumus ignorantes.* 3.) Ex *jure civili: l.* Leges 9. C. *de legibus: Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* In procem. instit. dicit Justinianus: *Omnes populi legibus tam a nobis promulgatis, quam compositis reguntur*; in quæ verba sic commentatur Mynsingerus: *Leges tum promulgari dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, ideo promulgatas leges vocat, quas ipse edidit atque invulgavit. Compositas vero leges intelligit, quas retro principes & jureconsulti ediderunt, sed ipse imperator in ordinem redegit.* Nov. 66. cap. 1. statuitur, *ne ullæ leges vel constitutiones in posterum valeant, nisi post duos menses a tempore, quo fuerint manifestatæ, insinuatæ & palam compositæ.* Nimis tamen large ex eo concludunt quidam juris interpretes, quod *scriptura sit de essentia legis*, potest enim lex promulgari & subditis innotescere, si vel maxime non redigatur in scripturam. Si scriptura esset de legis essentia, tunc esset ejus vel materia, vel forma, tot enim sunt essentiales cujusque rei partes. At neutrum dici potest. Scriptura non est *forma* legis, quia per scripturam lex non est id, quod est, sed per expressam sanctionem & jussionem ejus, qui legis condendæ potestatem obtinet, *arg. l.* 1. & l. 32. §. *fin. de ll.* §. 4. & *seq. inst. de just. & jure.* Neque etiam legis est *materia*, quia ex scriptura non est lex, sed ea plerumque ad legem suis causis jam constantem accedit, *arg.* §. *lex est. Instit. de jure nat. gent. & civ.* Testatur Dionysius Halicarn. lib. II. antiq. Roman. c. 4. a primis *Romanorum regibus* multas leges sine scripto fuisse latas. Plutarchus in vita Lycurgi memorat, *Lacedæmonios* leges suas memoriæ mandasse, nec eas scripto comprehendisse, quin & *Lycurgum* diligenter lege lata cavisse, ne qua ex suis constitutionibus scriptis mandaretur. Vbi tamen distinguendum inter legis nomen, quod in jure civili tripliciter accipitur: 1.) *generalissime*, & sic quodvis jus denotat, sive scriptum sit, sive non sit scriptum, quo sensu accipitur § *Constat.* 3. *Instit. de jure nat. gent. & civ.* & in hac quæstione; 2.) *specialius*, & sic denotat jus scriptum, & opponitur consuetudini l. 32. ff. *de legibus*; 3.) *specialissime*, & sic denotat illud scriptum jus, quod populus Romanus senatorio magistratu interrogante velut consule constituit. §. 4. *Instit. de jure nat. gent.* &c. Nimis

mis etiam large scholastici concludunt, *promulgationem esse generalem & necessariam omnium legum adfectionem*, quia legi humanæ positivæ duntaxat illa proprietas competit, ad legem moralem & naturalem sufficit naturalis impressio cordibus hominum mediante propagatione ex parentibus alte infixa. Reliquas ad causam efficientem legum pertinentes quæstiones, videlicet: *An consuetudo obtineat vim legis? Qualis esse debeat consuetudo legi æquipollens? An plebiscita pro legibus haberi debeant? An ex ratione hominis potius, quam ex naturæ fontibus leges civiles sint deductæ? An justitia sit causa efficiens legum, an contra? An uni, an pluribus potestas ferendi leges committenda?* &c. vide apud Meisnerum de legibus lib. IV. sect. 1. q. 3. 4. 5. 7. Dominicum a Soto lib. I. de justit. & jure, atque alios ex jurisconsultis & politicis, ad quorum scholas hæc proprie pertinere non immerito judicantur.

Materia legum positivarum sunt τὰ νόμιμα.

§. CCXXIII. *Materia* legum civilium positivarum in genere statui possunt τὰ νόμιμα, ea, de quibus leges ferri possunt & debent. Ea vero sequentes obtinent conditiones: 1.) Sunt *δίκαια, justa & honesta.* Quæ enim sunt injusta & iniqua, ea non debent legibus præscribi, ac si præscribantur sive mandentur, non sunt leges proprie & vere sic dictæ. Sic Lacedæmoniorum statutum *de artificiosis furtis* non est pro lege habendum, quia non præscribit actionem justam & honestam. Cabadis, Persici regis, statutum, *ut omnes fœminæ sint communes*, apud Procopium lib. I. de bell. Perfic. p. 121. non est legis nomine dignum, cum a norma divinæ legis recedat. Hyrcanorum consuetudo, qua *filii parentes senes mactant, vel mortuos canibus sepulchralibus laniandos præbent*, non est lex, sed potius *ἀνομία.* 2.) Sunt *δυνατά.* Solon referente Plutarcho in ipsius vita dixit: *Δεῖ τὰς νόμους κατὰ τὸ δύνατον τίθεσθαι, oportet leges poni secundum possibile.* Finis enim legis in foro civili est, ut propter bonum publicum & privatum a subditis observetur, & juxta illius præscriptum in civitate vivatur. At si leges *ἀδύνατον* aliquod præcipiant, finem illum obtinere nequeunt. Cave tamen hoc transferas ad legem divinam, quasi adhuc post lapsum illa perfecte ab hominibus observari possit. Ea enim cum data sit homini in primæva integritate adhuc constituto, ideo per eam Deus jure exigit obedientiam, quam homo viribus sibi concessis præstare & poterat & debebat; quod sua sponte homo a Deo se avertit, & viribus legem perfecte implendi se ipsum privavit, ex eo juri summi legislatoris nihil decedit, sicut creditor jure repetit debitum ab eo, qui propria culpa ad extremam paupertatis lineam est redactus. 3.) Sunt *τὰ χρήσιμα, reipublicæ salutaria & utilia.* Finis *νομοθεσίας* est salutem civium ac bonum publicum promovere, ergo ea, quæ legibus præscribuntur, ad hunc finem tanquam ad scopum debent esse directa. Quemadmodum medicus ægro præscribit, non quæ suavia, sed quæ utilia, sic nomothetæ, qui sunt civitatis medici, præscribant, non quæ populo grata, sed quæ reipublicæ utilia. 4.) Sunt *καθολικὰ καὶ μέλλοντα, universalia ac futura.* Aristoteles lib. I. rhetor. c. 1. *Legislatoris judicium, non de singulis, nec de præsentibus, sed de universalibus & de futuris est.* Lex debet esse norma ac regula singularium & futurorum, ergo debet ferri in universali & de futuris. Singularia & præsentia possunt quidem occasionem dare ferendæ legis, interim tamen lex ipsa non est de singularibus nec de præsentibus. Jurisconsulti dicunt, quod *de his, quæ frequenter fieri solent, non quæ raro, leges ferri debebant* l. 3. ff. si pars hæred. petatur l. 28. ff. de judiciis l. ea, quæ 64. de R. J. ac *futuris negotiis leges normam dare, non præteritis* l. 9. C. de legibus. l. jubemus 29. §. quæsitum C. de testamentis, *&c.*

§. CCXXIV. In specie eorum, de quibus leges ferendæ, bene longus recensetur a politicis scriptoribus catalogus: prudentis enim nomothetæ est, non de uno vel altero solum, quod

quod ad reipublicæ salutem, vel incommodum vergere possit, sed de omnibus, quantum fieri potest, esse solicitum, quemadmodum medicus, non uni vel alteri duntaxat, sed omnibus corporis membris curandis operam suam impendit; quamvis interim verissimum sit, non omnia legibus definiri ac determinari posse. Danæus lib. V. polit. christ. cap. 3. p. 542. juxta alphabeti seriem enumerarat ea, quæ sub νομοθεσίαν cadunt. 1.) Actiones seu lites civiles, adulteria, arma, asyla. 2.) Bella, bona vacantia. 3.) Cauponæ, cinædi, conjugia, confiscatio, consuetudo, contractus, convitia, convivia, crimina, &c. Videntur autem omnia ad duas generales classes revocari posse, vel enim pertinent ad *personas*, vel ad *res*. Perinde ut jurisconsulti tria statuunt juris objecta: *personas*, *res* & *actiones*. Imperator Justinianus in §. fin. institut. de jure nat. gent. & civ. *Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.* Idemque ante imperatorem scripsit Cajus in leg. 1. ff. *de statu hom.* quam distinctionem ita explicat Donellus in comment. quod jus *cujusque versetur partim in persona, partim in rebus, obtinendi autem rationem sitam esse in actionibus.* Personæ considerantur dupliciter: *quatenus in civium numerum ac reipublicæ quasi corpus legendæ, & quatenus in civium numerum jam adlectæ sint ad probitatem, justitiam & virtutis studium dirigendæ.* Rerum tria sunt genera, quædam utpote bona ac necessaria *præcipiuntur*, quædam ut mala *prohibentur*, quædam vero, ut media, vel minus mala *tolerantur*. Nos pro instituti nostri ratione de utroque genere, *personis* scilicet & *rebus*, quæstiones quasdam movebimus, reliquis ad politicorum & jurisconsultorum scholas rejectis.

Quæstiones circa personas.

1.) *An tolerandi in republica Judæi?*

§. CCXXV. Circa personas quæritur: I.) *An pius & christianus magistratus Judæos in republica tolerare debeat?* (*) Qui negant, urgent: 1.) *Blasphemias & convitia*, quibus tum *in precibus ordinariis*, tum *in sermone quotidiano impetunt Christum Jesum, Mariam ipsius matrem, fidem christianam, ejus confessores & imperium Romanum*, sub quo vivunt. Prolixe illas blasphemias & convitia recenset Lutherus lib. de Judæis tom. VIII. Jen. Germ. Purcherus lib. de Judæis, Helvicus tom. IV. disput. Giessens. diss. XI. Christianus Gerson, Judæus baptizatus, in tractat. thalmud. part. I. c. 24. Ernestus Ferdinandus, Judæus conversus, in flagell. Judæor. Anton. Margarita, conversus Judæus & professor quondam Hebrææ linguæ in academia Lipsiensi, in libro de fide Judæorum, quem Lutherus noster præfatione ornavit, (**)

(*) Hanece quæstionem data opera pertractavit Anonymus in libello germanico sermone edito, cui titulus: *Discours über die Frage*: 1.) *ob wahre Christen mit gutem Gewissen die Juden als Juden im äusserlichen, weltlichen und bürgerlichen Stande erdulden?* 2.) *ob ihnen noch darzu der öffentliche jüdische Gottesdienst verstattet werden könne*, qui tractatus sine loci mentione an. 1695. 8. prodiit; itemque Adam. Erdman. Mirus in pec. tract. *an magistratus christianus Judæos recipere, aut tolerare debeat?* Witteb. 1682. 4. Conferri quoque meretur Christianus Knorr a Rosenroth, qui in *præfat. ad tom. II. cabbalæ denudatæ p. 21. seqq.* XXIV. adfert argumenta pro tolerandis inter christianos Judæis facientia, atque *p. 36. seqq.* ad objectiones, quæ fieri possunt, respondet. Differuit quoque de hoc argumento Christianus Helvicus, in *elenchis Judaicis p. 194. edit.* Crenii. Nec prætermittendus heic est Jo. Tolandus, deista Anglus, qui peculiari libello comprobare annisus est, Judæos non minus, quam cæteras nationes civitate Anglicana donandos esse. Prodiit iste libellus Londini 1715. 8. hac insignitus inscriptione: *Reasons for naturalizing the Jews in Great Britain and Ireland, on the same foot with all other nations. Containing also a defence of the Jews against all vulgar prejudices in all countries.* Vid. de hocce scripto *vitam Tolandi* anglice scriptam ac volumini I. *collectionis opuscul. ejus* præmissam *p. 69.* Exstat etiam Christian. Wildvogelii, JCti quondam Jenensis, disput. *de Judæorum receptione & tolerantia*, Jenæ 1720. edita.

(*) Scriptoribus hisce a Gerhardo supra excitatis, ex recentioribus jungi cumprimis meretur Jo. Andreas Eisenmengerus, cujus *entdektes Judenthum*, Francofurti primum 1700. in 4. editum, sed

& alii. (*) Christum vocant *mamser*, id est, *spurium*, *talui*, id est, *suspensum*, ad ipsius nomen ter in terram exspuunt dicentes: שְׁמוֹ וְמַח, *deleatur nomen ejus.* Mariam vocant מְרִיאָ, *sterquilinium.* Christianos vocant גּוֹיִם, *ethnicos & populos mundi*, contra quos in libris suis multas diras effundunt, appellant eosdem כְּלָבִים, *canes.* Imperium Romanum vocant *regnum Edomiticum, regnum superbum & tyrannicum, regnum impium*, &c. 2.) *Usuras*, quibus expilare & exsugere solent christianos, inter quos vivunt. Cum enim lege divina Deut. XXIII. 20. usuras erga נָכְרִים, *alienigenas* sive gentiles, quorum in censu christianos numerant, exercere sibi permissum existiment, ideo absque ullo conscientiæ vulnere & remorsu, imo absque pudore ullo sub immodicis usuris christianis pecuniam mutuantur. Præter illam fœneratoriam artes ferme nullas exercent, aut si quas habent, earum vim ad christianorum perniciem dirigunt. Quotquot igitur magistratus Judæos propter tributorum lucra tolerant, & usuras libere exercere illis permittunt, illi spongiarum loco eos habent, quibus subditorum succum & sanguinem imbibunt atque extrahunt, nec nisi solo nomine a tyrannicis exactoribus differunt, perinde enim est, sive mediate, sive immediate a subditis immoderatos illos census exigant. (**) 3.) *Odium plus quam Vatinianum*, quo christianos prosequuntur. Quando christiani alicujus mentionem faciunt, addere solent, וְמַח שְׁמוֹ, *deleatur*, sive pereat *nomen ejus*, quod perinde est apud ipsos, ac *diabolus eum abripiat.* Expresse docent, *non esse peccatum, si Judaeus christianum interficiat, quia christiani proprie non sint homines, nec esse peccatum, si quis rem perditam, quae sit christiani, retineat, si Judaeus adulterium committit cum uxore christiani, si promissum christiano datum, etiam juramento confirmatum, non servetur, si Judaeus furetur christiano*, &c. Refert Robert. Gaguinus lib. VII. hist. Franc. in fine, & ex eo Langius lib. I. ep. med. epist. 71. p. 426. quod *tempore Philippi longi, Galliae regis, multi leprosi Judaeorum hortatu susceptum ab eis venenum puteis per omnem Franciam infundere conjuraverint, ut si qui potum inde haurirent, aut interirent, aut elephantiae virus contraherent, quod cum rex comperisset tam nefarii sceleris auctores, octuaginta Parisiis combussit, alios flagitii conscios ad unum omnes confiscatis bonis proscripsit.* (***) Solemne illis est, quotannis eo die, quo Christus peccata nostra in cruce tulit, puerum christianum in specu subterraneo occidere. Veronæ anno 1475. cerdonis puerum bimulum die parasceves ita perfoderunt, ut corpus puerile totum dominicæ passionis schema referret; auctoribus sceleris pœnæ in rogo sunt inflictæ. Quinquennio post ejusdem impietatis scelus Venetiis vindicatum fuit. Münsterus lib. III. cosmogr. cap. 77. Simile quidpiam de Judæis commemoratur, quod christianorum infantes non solum aliquoties circumciderint, sed etiam punctim aciculis mortem ipsis inferendo misere trucidarint. Petrus Gregorius in syntagm. juris lib. XXXIII. c. 4. n. 6. exemplis demonstrat, quod quamcunque occasionem nacti conjuratos christiani nominis hostes sese declararint,

sed diu suppressum, tandem Regiomonti, ut titulus habet, seu potius Berolini, jussu FRIDERICI I. regis Boruss. 2 voll. 4. fuit recusum. Fata hujus libri plane singularia exposuit SCHUDTIUS in *memorab. Judaicis, part. I. libr. V. cap. 11. p. 426.* & *part. IV. contin. I. p. 285. seqq.* Conf. Jo. CHRISTOPH. WOLFIUM in *biblioth. ebraea, part. II. p. 1024.*

(*) *Quia Exod. XXIII. 13. praeceptum exstat, nominis alienorum deorum non recordemini*; ideo salvificum *nomen Jesu non legunt, nec pronunciant. Quod si forte casu pronunciaverint illud, se ipsos mulctant colaphum sibi impingendo; impiissime dicunt* יִשּׁוֹ *deleatur nomen ejus & memoria.* Fagius in c. 32. Exod. GERHARDUS.

(**) Johannes Major, Scotus lib. IV. hist. Scot. c. 9. *Inter christianos tam utiles sunt Judaei, quam inter mundum triticum mures.* GERHARD.

(***) Magnus quidam rabbi inter Judæos dicit: *Optimus, qui inter gentes est, dignus est, ut caput illi conteratur tanquam serpenti.* Fagius in c. 23. Exod. GERHARDUS.

rint, & multa millia christianorum occiderint. 4.) *Seductionis periculum*, quod christianis ex cohabitatione cum Judæis imminet. Testantur enim exempla, simpliciores christianos, præsertim e sexu fœmineo, sæpius a Judæis seduci. 5.) *Damnum*, quod ex imperitia medicæ artis, cujus tamen gnaros sese mentiuntur, ægrotis inferre solent. Langius lib. I. epist. med. epist. 71. p. 433. *Vt marsupia fœnore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhauriunt, & experimenta per mortes agunt*; cum tamen suæ in medicina ignorantiæ probe sibi conscii sibi ipsis non medeantur, sed christianorum consilium & auxilium implorent, unde prohibentur christiani, *ne ab illis medicamentum sumant*, cap. *Nullus eorum* 28. q. 1. Vtuntur etiam certis characteribus & nominibus ad morbos pellendos, chartulas, quibus cabbalisticas illas literas & numeros inscribunt, vocant קְמִיעִים vel קְמִיעוֹת, id quod cum horrendo nominis divini abusu conjunctum. 6.) *Desperatam ferme eorum conversionem*, cujus causæ sunt tum *triplex illa maledictio*, cui justo Dei judicio sunt subjecti, videlicet *generalis*, Deut. XXVIII. 15. *propria* adtracta verbis in passione salvatoris nostri editis, *sit sanguis ejus super nos & filios nostros*, Matth. XXVII. 25. ac *Christi* per os Davidis prolata; Psalm. LXIX. 24. CIX. 17. tum *pertinax mediorum conversionis ac salutis rejectio*, a pueris adsuefaciunt suos liberos ad maledicendum Christo, & ad odium christianorum &c. si quis ex verbo Dei ipsorum errores redarguit, aures obturant, &c. Hisce fundamentis permoti quidam simpliciter a republica excludunt Judæos, ex quo etiam enatum est proverbium: *Felix respublica, in qua non est Abraham*, (Judæus) *Nimrod*, (tyrannus) *& Naaman*, (leprosus). In Gallia non tolerantur, Petrus Gregorius in syntagm. juris libr. XXII. c. 3. n. 23. a plerisque Germaniæ provinciis sunt extorres. Elector & duces Saxoniæ nullam illis sedem in suis provinciis concedunt.

§. CCXXVI. Qui adfirmant(*), urgent: 1.) *Spem conversionis* in scripturis prænunciatæ. Esa. VI. 13. post prædictionem cœcitatis Judaicæ subjungitur *adhuc in ea decimatio, semen sanctum erit truncus ille*, hoc est: relinquet Deus aliquos, qui ad Christum convertantur & salventur. Neve quis existimet, tempore Christi & apostolorum hoc vaticinium jamdum completum, nec ad nostri temporis Judæos pertinere, adjungendæ sunt reliquæ prophetiæ: Oseæ III. 4. *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio.* v. 5. *Posthæc revertentur, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum, & reverenter colent Dominum & bonitatem ejus in novissimo dierum.* Chaldæus reddidit: *Obedient Messiæ, filio David, regi suo.* Rom. XI. 25. *Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret*, v. 26. *Et*

(*) Petunt argumenta 1.) *A divina prædictione*, Psal. LIX. 12. *Ne occidas eos* &c. ex hoc loco quidam colligunt, *regium prophetam his verbis orare, sub persona Christi, ne gens Judaica prorsus aboleatur, sed per orbem terrarum dispersa passim vagetur ante oculos ecclesiæ sive populi Dei. Et imprecationem istam, quam adlegata verba continent, habere vim vaticinii & prædictionis. Prædictionem vero illam ostendere, quæ sit voluntas Dei; videlicet, quod gens Judaica sit tolerauda, & non exterminanda.* 2.) A *pari*. Judæis in vet. test. permissum, imo mandatum fuit, peregrinis inter se locum concedere. Levit XXII. Deut. XIV. & XXVIII. Idem colligitur ex Jos. XX. 2. Paral. II. 3.) Ex *dictis nov. test.* quæ præcipiunt, ut diligamus inimicos, Matth. V. ut zizania usque ad tempus messis tolerentur, Matth. XIII. 30. ut benefaciamus omnibus, maxime vero domesticis fidei, Galat. III. ut sapienter ambulemus cum illis, qui sunt foris. Col. IV. 4.) Ex *lege naturæ*. Matth. VII. 12. Luc. VI. 31. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis* &c. In honorem patriarcharum, prophetarum & ipsius Christi ex Judæis oriundi tolerentur. 5.) Ex *jure canonico, civili & constitutionibus imperii.* 6.) Ab *exemplo primitivæ ecclesiæ.* Augustinus lib. IV. de civ. Dei c. 18. lib. II. evang. quæst. 33. & ad Ps. LIX. Cujac. lib. VII. observ. c. 30. ex eo, quod rescripsere imperatores Honorius & Theodosius I. *Judæi* l. *Nullus* C. de Jud. & Cœlic. 7.) Ab *auctoritate theologorum & jurisconsultorum.* 8.) A *commodis* a commercio Judæorum exspectandis. 9.) A *deductione ad absurdum*. Gerhardvs.

sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat & avertat impietatem a Jacob. Quidam addunt Soph. III. 20, Luc. XXI. 24. sed hoc indiget altiori indagine, cum prior locus de liberatione ex captivitate Babylonica, posterior de duratione vocationis gentium ad finem usque mundi commodius accipi videatur. 2.) *Reverentiam patriarchalis sanguinis*: ipsorum sunt *patres, ex quibus est Christus secundum carnem*; Rom. IX. 5. sunt *de semine Abrahæ*, qui est pater omnium credentium. Rom. IV. 12. Multis a Deo donis & privilegiis majores ipsorum fuere exornati, in quorum memoriam tolerandi videntur; *concredita ipsis fuere τὰ λόγια τῦ θεῦ*, Rom. III. 2. sunt cognati Christi & apostolorum secundum carnem, ipsorum est *adoptio, & testamenta, & legislatio, & cultus & promissa*. Rom. IX. 3. & 4. 3.) *Commoda*, quæ ex ipsorum tolerantia resultant, quæ sunt vel *theologica*, vel *politica*. *Theologica* sunt primo, quod testimonio suo scripturæ Hebrææ vet. test. auctoritatem contra paganos adferunt, quo sensu & respectu *christianorum thesaurarii* a patribus dicuntur. Augustinus lib. XII. contra Faustum Manichæum c. 23. circa finem: *Quid est gens Judæa, nisi quædam scriniaria christianorum bajulans legem, & prophetas ad testimonium adsertionis ecclesiæ.* Idem epist. LIX. dicit, *singulari Dei cura contigisse, ut Judæi debellati, subversi, & perpetuo exagitati, quamvis animis odio inflammatis Christum persequerentur, scripturas tamen sacras conservarent, ut evangelii Christi veritas clarius apud omnes refulgeret, si hostium infensissimorum testimoniis valentissimis confirmaretur.* Deinde, quod lucidissimum exemplum & velut speculum quoddam *iræ divinæ* adversus Christi & evangelii contemtum nobis exhibent. Psal. LIX. 12. *Ne occidas eos, ne quando obliviscatur populus meus*; ex quo loco colligit Rupertus in comm. c. 42. Gen. *Judæos non esse a christianis plane exterminandos, sed ad agnitionem sui reatus exemplo Josephi fratres objurgantis revocandos.* Bernhardus epist. 322. col. 999. *Non sunt persequendi Judæi, non trucidandi, sed nec effugandi quidem, vivi quidam apices sunt repræsentantes dominicam passionem.* Denique quod excidio & exsilio suo divinarum comminationum severitatem & *prædictionum veritatem* confirmare possunt. Rom. XI. 22. dicit apostolus ad conversos ex gentibus: *Vide ergo severitatem & bonitatem Dei, severitatem in eos, qui ceciderunt, in te autem bonitatem*; ubi in rem præsentem nos deducit, & Judæos quasi ob oculos nobis sistit. Nam

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus —

Politica commoda sunt, quod ærarium reipublicæ augent tum mercimoniis & negotiationibus, tum solvendis tributis, quæ ipsis imponuntur, & ferendis oneribus civilibus. Quid quod in repentina & inopinata reipublicæ indigentia magnam præsentis pecuniæ summam suppeditare, & magistratum omni eam conficiendi molestia sublevare possunt. In imperialibus quibusdam privilegiis Judæi vernacula nostra lingua vocantur *der K. M. Kammerknechte*, non quod honorabile munus cubiculariorum imperatoris sustineant, sed quod in expeditione bellica, aliisque necessitatibus imperii pecuniam ubivis colligere, & cameræ imperatoris inferre ipsos oporteat. 4.) *Incommoda*, quæ ex ipsorum totali expulsione oriri possunt, quæ itidem sunt vel *theologica*, vel *politica*. *Theologica*, quod e christianorum ditionibus ejecti liberius blasphemant, cum a christianis coërceri possint; quod impeditur ipsorum conversio, quia reliquæ gentes minus curant religionem, & majores illis præstant immunitates, sub christianis vero adminicula conversionis quotidie ipsis præsto sunt. *Politica*, quod ad Turcas & gentiles expulsi varia artificia, perfectiorem usum machinarum bellicarum & res alias, quibus barbari illi prius destituti fuere, magno reipublicæ christianæ incommodo adferunt. Camerarius part. I. med. hist. c. 89. 5.) *Necessitatem*: Cum enim justo Dei judicio e Palæstina ita sint ejecti, ut nunquam politiam in ea recuperaturi, sed in perpetuo exsilio oberraturi, nec tamen interficiendi sint,

sint, ideo aliquam sedem illos habere oportet; præstat autem ob causam modo expositam inter christianos, quam inter infideles ipsos versari, ut aliqui ex illis lucrifieri possint. 6.) *Exemplum primitivæ ecclesiæ*, quæ Judæos toleravit, ut constat ex jure canonico & civili, lib. V. decretal. tit. 6. de Judæis. libr. I. C. tit. 9. Nov. Just. 45. Nov. 146. l. 15. ff. de excusat. l. 3. ff. de Decur. Circumcidere ff. ad l. Corn. de sicariis. Vide Cujac. lib. VII. observ. c. 30. Tempore Julii cæsaris collegia Judæorum permissa fuisse constat ex Josepho. Augustus apud Philonem dicit, se ideo collegia & coitiones Judæorum permittere, *quod non sint crapulæ primum & vinolentiæ, deinde quod non sint seditionum nutriculæ, sed scholæ temperantiæ & justitiæ.* l. *Nullus.* 14. C. *de Judæis & cælicolis* exstat Arcadii & Honorii Augg. rescriptum: *Nullus tanquam Judæus, cum sit innocens, obteratur, nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat, non passim eorum synagogæ vel habitacula concrementur, vel perperam sine ullæ ratione lædantur*, &c. l. *Christianis* 6. C. *de paganis* habetur rescriptum Honorii & Theodosii Augg. *christianis, qui vere sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Judæis ac paganis quiete degentibus, nihilque tentantibus turbulentum legibusque contrarium, non audeant manus inferre, religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti, vel illorum bona dirimerent, non ea solum, quæ abstulerint, sed convicti in duplum, quæ rapuerint, restituere compellentur.* Ex Socrate lib. VII. hist. eccl. c. 13. constat, usque ad Arcadii imperatoris tempora Alexandriæ Judæos suas synagogas habuisse, quas Cyrillus, Alexandrinus episcopus, tandem destruxit, ac Judæos omnes propter ipsorum seditiones, atque alia scelera urbe expulit. In recessibus imp. anno 1530. 1548. 1577. constitutiones de Judæis factæ testantur, in imperio Romano locum illis haudquaquam denegari.

§. CCXXVII. Atque hæc sunt potiora utriusque partis argumenta. Pro decisione distinguendum esse dicimus 1.) Inter *temerariam Judæorum in rempublicam receptionem, & eorum jam olim receptorum tolerantiam*: Quæ respublica ab hoc hominum genere fuit hactenus libera, in eam haud facile, nec nisi urgentibus gravissimis causis, sunt recipiendi, id quod illustrissimi Saxoniæ duces suo satis comprobant exemplo, dum in provincias suæ ditioni subjectas Judæos recipere merito recusant. Quando vero in rempublicam aliquam jam olim recepti sunt, non debent temere expelli, præsertim furore & impetu promiscuæ plebis ipsorum bonis velut prædæ alicui inhiantis. 2.) Inter *liberam Judæorum αὐτονομίαν, & limitatam certisque conditionibus restrictam tolerantiam*: Liberrimam Judæis αὐτονομίαν & eamdem cum reliquis civibus libertatem & locum concedere, vel etiam majora quædam privilegia ipsis, quam reliquis civibus dare, consultum esse negamus; interim certis quibusdam legibus & conditionibus tolerari ipsos posse dicimus. Conditiones illæ vel respiciunt *pietatem & religionem*, vel *justitiam & æquitatem*, vel *prudentiam christianam.* Pietatis ac religionis studium requirit: a) Ne tolerentur a christiano magistratu *Judæorum blasphemiæ*, sed severissimis legibus coërceantur, & transgressores earum graviter puniantur. Ecquid enim turpius vel christiano nomine indignius excogitari potest, quam si magistratus propter qualecunque lucrum Judæis liberam potestatem Christum in synagogis blasphemandi relinquat? hoc vere est cum Juda proditore triginta argenteis Christum adhuc hodie vendere. b) Ne *synagogæ*, in quibus blasphemias illas proferunt, ipsis concedantur. l. ult. §. 1. & 2. C. *de Judæis & cælic.* prohibentur *novam synagogam erigere*; interim permittitur ipsis veteres & antiquas, si ruinam minitentur, fulcire, in iisque ritus suos citra tamen contemtum christianæ religionis exercere, quin & gravissimæ tam paganis, quam militibus pœnæ præstituntur, qui in synagogas istas Judaicæ legis irruerint, easdem incenderint, aliave vi vel impetu invaserint. Et sane ab impetu & furore promiscuæ

plebis

plebis synagogæ illæ merito debent esse liberæ; interim tamen magistratus caveat, ne Judæis sub specie ac prætextu reparationis novas synagogas exstruere liberum relinquat, neve gravius aliquid statuat contra christianos, qui religionis zelo in illas latronum spelunças injurii fuere. Exstat hac de re memorabilis epistola Ambrosii ad Theodosium imperatorem lib. V. ep. 29. in qua graviter arguit imperatorem vindicari jubentem in episcopum & christianos, qui synagogam incenderant, & ut aliam epistolam dictari jubeat, ac, quod prius jussum fuerat, emendet, sedulo exhortatur. *Non est* (inquit) *causa tantae commotioni idonea, ut propter aedificii exustionem in populum tam severe vindicetur, multo autem minus, quia synagoga incensa est, perfidiae locus, impietatis domus, amentiae receptaculum, quod Deus damnavit.* Et postea: *Ecclesia synagogam exclusit, cur iterum tentatur, ut apud Christi famulum*, hoc est, *de pectore fidei, de domo Christi synagoga excludat ecclesiam?* Lutherus tom. V. Witeb. f. 439. suadet christiano magistratui, ut Judæorum synagogas penitus evertat. c) Ne *Judaeum ad christianam fidem transire cupientem* vi aut fraude detineant, vel ullo modo lædant. Extremo odio illos prosequuntur, qui a judaismo ad christianismum transeunt, adpellant eos מְשׁוּמָּרִים, apostatas, abscissos ab omni spe salutis & gratiæ divinæ; unde si quem ad christianos abitum parare animadvertunt, eum carceri includunt, vel alia ratione propositum ejus intervertere satagunt. Memorat Helvicus se legisse, ac diu secum habuisse epistolam Judæi de cognato suo ad christianismum converso, cujus patrem monet, ut adcusset filium magnæ summæ pecuniæ furtim surreptæ, ut hoc modo excludere eum possit a legitima hæreditate, & famæ labem aliquam adspergere. Rabbi Bechai scribit, *Judaeum baptizatum sine peccato a Judae occidi posse.* Id vero severis legibus prohibendum, ac deprehensi hujus criminis rei graviter puniendi. l. *Judæis* 3. C. *de Jud. & cælicol* flammis addicuntur, si Judæum ad christianam religionem conversum, saxis aliove furoris genere adtentare & molestare ausi fuerint. d) Ne quemquam e *christianis ad suam superstitionem pertrahere* laborent. Si nostræ fidei hominem circumciderint, bonorum proscriptione & perpetuo exsilio damnantur l. 16. C. *de Iud. & cælic.* Si christianum ad suam religionem pertrahere ausi sunt, proscriptionem bonorum & sanguinis etiam pœnam sustinere debent. l. 17. & 18. d. tit. e) Ne cum christianis *matrimonia* contrahant, quia periculum est, ne simpliciores seducant, & liberos in sua superstitione educare velint, inde l. *Ne quis* 6. C. *de Judæis* & can. *Reos* 23. q. 5. matrimonium inter ipsos & christianos sub pœna capitali interdicitur. f) *Vt cogantur adire christianorum templa*, & conciones sacras audire. Quamvis enim cogi non possint, ut abjecta superstitione Judaica in Christum credant, tamen ad media fidei adhibenda & obstacula ejusdem removenda cogi possunt, ut vanitatem fabularum talmudicarum, a quibus toti pendent, & fidei christianæ solida fundamenta ex propheticis vaticiniis cognoscant, g) *Vt libri Hebraei impressi vel manuscripti ipsis eripiantur.* Duplicis illi sunt generis, quidam sunt in christianam religionem blasphemi, quidam vero multa continent, quæ pro fide christiana faciunt. Vtrosque studiose occultant, sed magistratus utrosque ab illis extorqueat, priores quidem, ne conversioni ipsorum remoram injiciant, posteriores, ut ad fidei christianæ confirmationem in publicum edantur. h) *Vt biblia in aliis etiam linguis legant*, præsertim in Germanica, & hac ratione a superstitiosis glossis rabbinorum ad genuinam & sinceram textus biblici intelligentiam paulatim deducantur. i) *Vt negotiationes diebus dominicis exercere prohibeantur.* Cum enim inter christianos vivant, utique etiam christianorum sabbatum observent, ne publico scandalo illud violare animadvertantur. Adde, quod sint *christianorum servi*, ergo juxta præscriptum legis divinæ in sabbato christianorum a laboribus & negotiationibus feriari debent. Exod. XX. 10. Consequens est, quod christiani non

debeant

debeant illis obsequia & servitia præstare in diebus sabbaticis, ne scilicet in sua superstitione eos confirment, & ipso facto articulum fidei christianæ de abrogatione Leviticarum cerimoniarum abnegent. *Justitia & æquitas* requirit: a) *In genere*, ut secundum jus Romanum pacifice, tranquille & sine christianorum scandalo vivant: cum enim in suis majoribus publice professi sint, *se non habere regem, nisi cæsarem*, Joh. XIX, 15. cumque privilegiis imperii frui & gaudere cupiant, ideo merito coguntur, ut secundum leges Romanas vivant. b) *In specie* igitur requiritur, 1.) *Ut abilitiis & immoderatis usuris adversus christianos exercendis desistant*, nec excedant in exigendis censibus annuis modum a legibus præscriptum. Frustra hic provocant ad legem Deut. XXIII. 20. *a peregrino seu advena licet tibi usuram exigere.* Præterquam enim quod ipsimet ad cæsarem provocando & Messiam repudiando indignos se hoc privilegio fecerint, quod merito contra ipsos b. Lutherus urget; accedit insuper & hoc, quod lex illa sit plane *specialis*, pertinens ad Cananæos exitio devotos, id quod ex ipsis rabbinis quidam agnoscunt, qui per peregrinum *septem populos Palæstinæ* intelligi dicunt, quodque nos non simus peregrini & advenæ Judæorum, sed ipsi potius in terra nostra velut exsules commorentur. Helvicus erudite adversus ipsos urget hoc argumentum: *A fratre tuo non exiges usuram*; Deut. XXIII, 19. atqui *Edomita est frater tuus*, v. 7. cum ergo Judæi christianos habeant pro Edomitis, utique vi illius legis non licebit eis a christianis immoderatas usuras exigere. 2.) *Ut tractentur tanquam servi & exsules*, adigantur ad opera servilia, nec ulla vel minima prærogativa præ christiano etiam vilissimo illis concedatur. Cum enim propter crucifixionem Messiæ e terra sua divinitus sint expulsi, & perpetuo exsilio mancipati, ideo æquum est, ut a christianis duriter tractentur, gravissima onera illis imponantur, & vilissimorum mancipiorum loco habeantur, qua ratione innatus huic genti fastus deprimi, & ad peccati sui agnitionem eadem perduci poterit. Consequens hujus conditionis est, quod *ad nullum prorsus munus* publicum, maxime cum dignitate conjunctum, Judæi admitti debeant l. *fin.* C. *de Jud. & cælic.* quod *possessiones prædiorum & immobilium bonorum* non sint illis permittendæ, quod non liceat ipsis habere *mancipium christianum*, quod in simili genere delicti gravius puniri debeat Judæus, quam christianus, quia est christianorum mancipium, quodque in causis debitorum & injuriarum christianus in gratiam Judæi creditoris ac læsi, non sit nimis duriter tractandus. 3.) *Ut lites & causas inter se disceptare ac sibi ipsis jurisdictionem, aut αὐτονομίαν arrogare prohibeantur.* Cum enim servi sint christianorum, atque ex mera gratia, ut exsules tolerentur, ideo non debent ullos actus jurisdictionales exercere, nec ullam pronunciandi aut judicandi potestatem, ne quidem in causis ad proprias cerimonias spectantibus, sibi vindicare. l. 8. Cod. de Judæis. *Prudentia christiana* requirit, a) Vt tanquam alterius & quidem *feralis sectæ* (ut Constantinus l. 3. C. *de Jud. & cælic.* voce imperatoria eam adpellat) homines a christianis *qualitate habitus & externo quodam signo distinguantur.* C. *In nonnullis* extra *de Jud. & Sarac.* & ibi Panormitanus ac Felinus; sic Veneti gestationem crocei pilei illis injunxerant, in imperio Romano flavum in pallio circellum secum circumferunt. b) *Ne concedantur illis tales negotiationes, quæ immediate ad cibaria & edulia spectant*, quia fœtido suo halitu, quem ex quotidiano allii usu contrahunt, carnes contaminant. c) *Ne promiscue inter christianos habitent*, sed in loco peculiari & separato, neve christiani, præsertim simpliciores, nimis familiariter cum ipsis conversentur. d) *Ne juramento ab ipsis exacto nimium fidatur.* In ordin. camer. part. I. tit. 86. præscribitur Judæis peculiaris juramenti formula, quam antegressis multis admonitionibus & solemnitatibus præstare tenentur. In speculo Suevico, quod Melchior Goldastus in tractatu *Reichs-Satzung* inscriptum, & Francofurti 1609. editum retulit, alia juramenti formula præ-

præscripta est, quam Judæi super corium porcinum in contemtum improbæ sectæ stare jussi recitare debeant. Sed quia sunt homines leves, fidei sceleſtæ & perjuriis adsueti, maxime vero, cum quotannis in die Kippurim sive expiationum recitent precationem, qua orant Deum, *ut omnia juramenta & vota irrita esse jubeat, quæ per totum annum præstantur*, ideo juramentis ipsorum non est nimium confidendum.

2.) *An peregrini in civium numerum recipiendi?*

§. CCXXVIII. Quæritur II.) *An peregrini in civium numerum recipiendi?* Qui negant, proferunt 1.) *Dignitatem civitatis*, quam promiscua peregrinorum receptione labefactari existimant. *Non est beata judicanda respublica, quae ex promiscua hominum multitudine cives plures temere colligit, sed quae primas & antiquissimas familias maxime conservare studet*: Isocrates in oration. de pace. Augustus imperator laudatur, quod *magnum existimans sincerum, atque ab omni colluvie peregrini ac servilis sanguinis incorruptum, servare populum*, Romanam civitatem parcissime dederit. Suetonius in August. 2.) *Periculum dissidiorum & seditionum*, quod ex peregrinorum receptione metuendum. Aristoteles lib. V. polit. cap. 3. Advenæ in civitatem adsumti seditiones concitare solent, per quas tota sæpe regna, totæ civitates commutantur & evertuntur. Nimirum peregrini etiam mores, vestes, leges, linguas & vitia peregrina civitati secum inferunt, propter quam morum dissimilitudinem ac studia contraria gravibus inter se factionibus peregrinis admissis cives laborare solent, cujus rei testis respublica Syracusana apud Diodorum lib. XI. 3.) *Expilationes & oppressiones civibus a peregrinis metuendas.* Sæpe *civitati id sunt exteri, quod locusta segeti*, inquit Casus libro V. sphæræ civit. cap. 3. Parum fidi reipublicæ sunt peregrini, quippe quam non habent patriam. 4.) *Exempla laudatissimarum rerumpublicarum.* Spartani civium loco peregrinos minime habebant; Xenophon de republ. Spartan. idem de Athenienſibus testatur Plutarchus in Pericle. Galli peregrinos vocant Albinos q. d. alibi natos; Tholozanus lib. IV. de repub. cap. 4. sect. 1. Contra vero merito urgetur 1.) *Divina sanctio*, quæ peregrinis de securitate cavet, nec a populo in peculium Dei adscito eosdem excludit. Exod. XII. 48. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere phase Domini, circumcidetur prius, eritque sicut indigena terrae.* c. XXIII. 9. *Peregrino molestus non eris, scitis enim advenarum animas, quia & ipsi peregrini fuistis*, &c. 2.) *Φιλανθρωπία peregrinis debita*; pugnat cum humanitate naturali, peregrinos simpliciter & prorsus excludere, Melander in idea polit. f. 44. Distinguendum igitur a.) *Inter temerariam promiscuae multitudinis receptionem, & quorumdam peregrinorum consulto factam electionem*, illa improbanda, hæc commendanda. b.) *Inter peregrinorum conditionem.* Quidam enim sunt viri boni, ac præter meritum suum exsules ac miseri, utpote qui ob sinceriores religionis professionem solum vertere jussi, illis non solum hospitium, sed & jus civitatis concedendum. Quidam vero ob facinora sua ex alia republica in exsilium pulsi, illos in civium numerum recipere est peccandi immunitatem concedere. c.) *Inter reipublicae statum.* Quandoque est magna civium penuria peregrinorum receptione supplenda, quandoque vero coloniæ potius propter civium numerum educendæ, quam peregrini recipiendi.

3.) *An Zigenis commorandi hospitium in republica dandum sit?*

§. CCXXIX. Quæritur III.) *An Zigenis: den Zigeunern*, (*) *commorandi hospitium in republica dandum sit?* Negamus ob immanes fraudes & impostura, proditiones, rapinas, & alia scelera huic hominum

(*) Vocantur alias isti homines *Cingari*, vel *Zygari*. Becanvs *Cingalos* dici ait, ob vitam vagabundam. Italis dicuntur *Cingali* homines pessimo instituto viventes, qui Ægyptios se mentiuntur. Jo. Christoph. Wagenseilivs, polyhistor quondam Altdorffinus, peculiarem de *Cingaris* scripsit dissertationem,

minum generi, vel potius reipublicæ christianæ pesti, usitata. Aventinus libro VII. annal. Bojor. p. 509. hisce eos depingit coloribus: *Eadem tempestate* (inquit, puta circa annum Christi 1438.) *furacissimum illud genus hominum, colluvies ac sentina variarum gentium, quae in confinio imperii Turcarum atque Vngariae habitant,* (Zigenos adpellamus) *rege Zindelone nostras peragrare cœperunt regiones, furto, rapina, divinationibus impune prorsus victum quaeritant. Ex Ægypto se esse mentiuntur, extorresque domo a superis cogi se majorum delicta, qui deiparam virginem cum puero Jesu hospitio excipere recusarint, septem annorum exsilio expiare, impudentissime confingunt. Experimento cognovi, eos uti venedica lingua, & proditores atque exploratores esse. Tum alii, cum inprimis imperator Maximilianus caesar Augustus & Albertus, parens principum nostrorum* (Bavaricorum) *publicis edictis id testantur, adeo tamen vana superstitio hominum mentes velut lethargus invasit, ut eos violari nefas putent, atque grassari, furari, imponere impune passim sinant.* Albertus Crantzius lib. XI. Saxoniæ cap. 2. eos sic describit: *Cum ageretur a Christo annus decimus septimus post mille quadringentos, primum adparuere his nostris maritimis locis ad mare Germanicum homines nigredine informes, excocti sole, immundi veste & usu rerum omnium fœdi, furtis inprimis acres, praesertim fœminae ejus gentis. Nam viris ex furto fœminarum victus. Tartaros vulgo vocant. In Italia vocant Ciarios. Ducem comites milites inter se honorant. Veste praestantes venaticos canes pro more nobilitatis alunt, sed ubi venentur, nisi furtim, non habent. Equos saepe mutant, major tamen pars pedibus graditur. Fœminae cum stratis & parvulis jumento invehuntur. Literas tum praetulerunt Sigismundi regis & aliquot principum, ut transitus illis per urbes & provincias incolumis permittatur innoxiusque. Ferunt ipsi ex injuncta sibi pœnitentia mundum peregrinantes circumire, sed fabellae sunt. Hominum genus, quod usu compertum est, in peregrinatione natum, otio deditum, nullam agnoscens patriam, ita circuit furto, ut diximus, fœminarum victitans, canino ritu degit, nulla religionis illi cura, in diem vivit, ex provincia demigrat in provinciam, per aliquot annorum intervalla redit; sed multas in partes scinditur, ut non iidem in eumdem locum facile redeant, nisi per longa intervalla. Recipiunt passim & viros & fœminas volentes in cunctis provinciis, qui se illorum miscent contubernio. Colluvies hominum mirabilis omnium perita linguarum, rusticae plebi graviter imminens, &c.* Osiander in comm. Deut. XVIII. 10. *Vagum istud genus hominum pro accepto pretio audacissime, saepe etiam mendacissime divinat de rebus praeteritis, praesentibus & futuris, & interim suffuratur, quidquid subtrahere furtim potest.* Hanc ergo pestem a suis subditis magistratus arceat, nec impune chiromanticas divinationes, fraudes & rapinas illos exercere permittat, secutus laudabile exemplum Augusti Saxoniæ electoris, qui in constit. eccles. art. gener. VI. p. 308. hosce patriæ proditores & communes deceptores a finibus imperii, quam longissime arceri præcipit, (*) quod ipsum congruit imperii constitutionibus anno 1500. titul. *von Zigeunern*, repetitis anno 1530, 1544. & 1551.

nem, ejusdem *peræ librorum juvenilium* insertam, in qua rationibus minime contemnendis comprobavit, primos *Cingaros* gente fuisse Judæos, qui se circa medium seculi XIV. ob horrendas, quibus Judæi tum temporis expositi erant, persecutiones, a reliquis fidei suæ sociis separaverint, nomenque peregrinum adsumserint; licet iisdem successu temporis alii quoque vagabundi ex fece plebis se subinde adjunxerint. Cæterum oppido miramur, nec Jacobvm Basnagivm in *histoire de Juifs*, nec Wolfivm in *bibliotheca* sua *ebraea* ullam horum hominum feciſſe mentionem. Conferenda, quæ hanc in rem adnotavit Nic. Hier. Gvndlingivs in *dem Discours über den Abriß einer rechten Reichshistoire p 830.*

(*) Præter Avgvstvm, Saxoniæ electorem, quem supra laudavit Gerhardvs, fuerunt quoque alii status ac principes imperii, qui territoria sua, ut a quibus-

4.) *An mendicantes in republica tolerandi?*

§. CCXXX. Quæritur IV.) *An mendicantes in republica tolerandi?* Duo sunt mendicantium genera. Quidam enim vel *ob ætatem*, vel *propter morbos* manuum labores tractare nequeunt, ac perinde ipsa necessitate ad colligendam stipem adiguntur. Quidam vero validis adhuc lacertis instructi, sed *ignaviæ & socordiæ morbo* laborantes mendicitate sibi victum quærere malunt, quam labores manuum suarum manducare. Exemplum talis mendici recitat Damhouderus in praxi criminali cap. 110. num. 55. *Cum Candavi*, inquit, *cum aliquot senatoribus Brugensibus sederem ante portam domus senatoriæ, mendicus quidam gemebundus, plorabundus mirisque modis paupertatem simulans eleemosynam petit, habere se latens aliquod vitium ac malum dicit, quod pudor hominum conspectui exhibere deterreat. Ipsius miserti singuli mendico eleemosynam largimur, mendicus a nobis digreditur. Unus nostrum jubet famulum suum mendicum insequi, & propius, quid latentis vitii haberet? perquirere. Paret is mandatis, mendicum rogat, quod nam sit illud latens vitium, quo se laborare dicebat? inspicit faciem, pectus, brachia, omniaque nitentia & valida comperit. Nihil*, inquit, *in te mali video, cui mendicus respondit: Ah longe aliud est malum, quod me premit, quodque a tuo conspectu remotum, nempe tale, quod per universum corpus meum serpit, ac per venas & medullas ita grassatur, ut nullum sit corporis membrum, quod se laboribus ac operis tradere velit, audio illud vocari pigritiam & desidiam, quæ profecto sunt vitia admodum noxia. Famulus his auditis stomachabundus discedit, ad suos redit. Rogatus ab illis, quodnam fuerit latens illud malum? rem omnem ipsis explicat. Responsum cum risu excipitur, mendicus quæritur, sed alio interim sese subduxerat.* Quod igitur adtinet prioris classis mendicos, illis omnino jure divino & naturali ita exigente benefaciendum; quamvis præstaret, cura magistratus in qualibet republica institui ptochotrophia, nosocomia, gerontocomia, xenodochia, &c. ac delectos viros constitui, qui ex publico ærario, in quod a singulis tempore conventuum sacrorum pecuniæ eleemosynariæ inferendæ essent, pauperes alerent, quam in plateis illos vagabundos oberrare & stipem solicite quærere. 1.) Hac enim ratione dignosci posset, an & quanta egestate quivis prematur? ac illi, qui laborare non possunt, & eleemosynis digni sunt, discernerentur. 2.) Mendicitas illa vagabundorum hominum est publicum christianorum propudium & evidens testimonium, caritatem ac

quibusvis facinorosis hominibus, ita speciatim a *Cingaris*, quantum fieri potest, liberare sunt adnisi. Non fert instituti nostri ratio, ut singula eorum edicta hanc in rem edita copiose heic recensea-mus. Sufficiat, de nonnullis duntaxat circulis, qui ducatui Würtembergico sunt viciniores, veluti de Franconico, Rhenano & Suevico, paucis observasse, eos inde a tempore bene longo omnem navasse operam, ut ejusmodi homines a finibus territorii sui quam longissime arcerent. Certe jam ab anno 1551. in circuli conventibus hac de re actum fuisse, certiores nos reddit Gockelius *de circulo Suev. & Franc.* §. 24. qui & ipse non solum ejusmodi conclusum de *an.* 1670. in extenso adlegat, sed & ad alia de *an.* 1654. & 1661. provocat. Exhibet quoque Anton. Fabri in *der Staats-Canzley part. XXII. cap. VIII. num.* 10. edictum circuli Franconici *an.* 1713. *d.* 15. *Sept.* evulgatum, itemque *loc. cit. part. XL. cap. XIV.* circuli Rhenani superioris *geschärfte pœnal-Sanction und Verordnung de anno* 1722. *wider das schädliche Diebs- Raub- und Zigeuner-Gesind* &c. Quod autem ad circulum Suevicum attinet, non solum serenissimus Würtembergiæ princeps & dux hujus circuli complures dispositiones contra ejusmodi homines divulgandas curavit, de quibus auctor anonymus *extract. rescript. general. p.* 292. consuli potest; sed & ipse hic circulus multoties atque iteratis subinde vicibus ejusmodi edicta, olim jam edita, renovavit. Eminet ex iis edictum de an. 1716. cujus sanctionem pœnalem exhibet b. Jo. Frid. Moeglingivs, eximius quondam academiæ nostræ JCtus, in dissert. *de circularibus edictis contra personas palantes, in specie Cingaros, Jauner und Spizbuben* &c. Tub. 1746. edita, *p.* 12. *seqq.* Add. Franc. Justi Kortholti, JCti olim Giessensis, diss. *de justitia & prudentia pœnarum in sanctione pœnali novissima utriusque circuli Rhenani*, quæ Giessæ 1751. in lucem publicam prodiit.

ac studium in pauperes erogandi nimium refrixisse. 3.) Multi extrema cum egestate conflictantur, atque interim pudore prohiberi se patiuntur, quo minus in publicum prodeant, & vitæ necessaria petant, illis hac magistratus cura prospici posset. 4.) Quidam mendici ulceribus, epilepsia, lepra, peste, aliisve fœdis morbis correpti sunt, illi per plateas oberrantes in consortium hujus mali facile alios pertrahunt, quod præcaveri posset, si ex publico mendici alerentur. Sunt qui huc accommodant dictum Mosaicum Deut. XV. 4. *Omnino non erit inter vos indigens & mendicus*, quorum sententiam confirmare videtur particula אֶפֶס *tantum*, *quod non erit in te mendicus*; velut exprimatur finis præcepti proxime præcedentis, *septimo quoque anno erit debitorum remissio, ut non sit inter vos mendicus*; alii vero putant esse promissionem sub obedientiæ conditione accipiendam, ut ostendit sequens membrum: *Non erit inter vos mendicus, quia benedicet tibi Dominus Deus tuus, si tamen audieris vocem Domini Dei tui.* Posterioris classis mendici non sunt in republica tolerandi: a.) Quia vere pauperibus necessaria præripiunt, quod enim illos capere oportebat, hi intercipiunt. b.) Voluntariæ isti mendicitati adsueti ad furta & rapinas facile transeunt, unde Plato libr. VIII. de republ. dicit: *In ea civitate, in qua videas mendicos, ibidem esse fures, latebras quaeritantes, sectores, sacrilegos, & hujusmodi scelerum artifices.* Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 65. multis probat, tales mendicantes infinitorum malorum esse auctores. c.) Exempla bene constitutarum rerumpublicarum adducta a Camerario part. I. succis. histor. cap. 16. docent, quomodo cum talibus mendicis agendum. Plato lib. XI. de legibus in sua republica talem legem tulit: *Nemo in nostra civitate mendicus esto.* Exstat Caroli magni constitutio, in qua mendicis palantibus ac vagabundis vetuit quidquam tribui, quamque regionem suos inopes alere, sanos ac validos labore victum quærere ac desiderio sufficere manus jussit. Similis fuit lex Gratiani, Valentiniani & Theodosii, imperatorum, quæ inserta est codici Justiniani sub titulo *de mendicantibus validis.* In veteri quodam versiculo mendicantibus illis validis jubetur panis dari, & quasi pro obsonio pugnus impingi:

Δόσδ' ἄρτον πτωχῷ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐν αὐτῷ.

Ex quo facile colligitur, quid de monachis mendicantibus sit statuendum? Petrus de Alliaco cardinalis in reform. eccles. in cap. de reformat. religion. *varietatem illam monachorum reformandam, & aliquos tollendos arbitratur, quia veris pauperibus nimium officiant, totamque rempublicam christianam molestent.* Apud Socratem lib. VIII. cap. 1. hist. trip. recitatur veteris cujusdam monachi dictum, quod hodiernorum institutio esse poterat: *Monachus, nisi operatus fuerit, furi judicatur æqualis.*

§. CCXXXI. Quæritur V.) *An otiosi in republica ferendi?* Non illi ferendi sunt, sed leges contra illos ferendæ: 1.) Quia otium docet mala multa, quæ rempublicam turbant. Πολλὴν κακίαν ἐδίδαξεν ἡ ἀργία, inquit sapiens Eccles. XXXIII. 29. Ἀργὸς πολίτης κεῖνος ὡς κακὸς γ' ἀνήρ, inquit Euripides. Τίκτει γὰρ ἡδὲν ἐσθλὸν εἰκαία σχολή, *nihil boni parit inane otium*, inquit Sophocles in Iphigenia. Basilius homil. VII. hexaëm. vocat illud *initium & seminarium malorum.* Bernhardus libr. II. de consid. *novercam virtutum.* Gerson in libro de remed. contra pusillan. *Cor vacantis otio* dicit esse *instar molendini, quod cum non habeat ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu est, molit & consumit se ipsum. Mens inerti otio dedita, haud sane quidquam bonorum* parit, inquit imperator Justinianus in authent. *de monach.* Vt in agro inculto nascuntur spinæ ac vepres, in aqua non mota vermes: sic in anima hominis otiosi pravæ cogitationes ad omnis generis flagitia impellentes. *Vita humana ut ferrum est, quod si exerceas, usu conteritur, & cum splendore quidem, sin minus, rubigine exeditur: sic homines honeste se exercendo conterun-*

5.) *An otiosi in republica ferendi?*

tur, si non exercentur, inertia ac torpedo plus illis detrimenti adfert, quam induſtria; Gellius lib. X. noct. Attic. cap. 1. 2.) Otioſos apoſtolus dicit περιπατεῖν ἀτάκτως, 2. Theſſ. III. 6. jam vero omnis ἀταξία a magiſtratu corrigenda. Ariſtoteles lib. III. politic. c. 1. 3.) Otioſi tandem ad inopiam rediguntur. Prov. XXIV. 34. ἡ ἀργία τῆς ἐνδείας μήτηρ, dicit Ignatius epiſt. IV. ad Tarſenſ. Sed ad magiſtratum pertinet fortunis civium providere. 4.) Exempla laudatiſſimarum rerumpublicarum idem comprobant. Amaſis, Ægypti rex, legem ſancivit, *ut ſinguli quotannis apud nomarchen*, hoc eſt, *cujusque præfecturæ præſidem profiterentur, unde viverent? qui autem hoc non faceret, aut genus vitæ præſidi adprobare non poſſet, huic pœna extremum ſupplicium eſſet.* Herodotus lib. II. pag. 76. Hanc legem Amaſis ab Ægyptiis Solon mutuatus eamdem Athenienſibus tradidit, ipſius enim hæc fuit lex: ἀργὸς τῷ πάντι κατηγορεῖν ἐθέλοντι ὑπόδικος ἔῃω, *qui deſidiam ſectatus eſt, cuilibet adcuſanti eſto obnoxius.* Draco Athenienſis in ſuis legibus *pœnam mortis* in otioſos ſtatuit. Apud Lacedæmonios Lycurgi legibus cautum erat, *ut juventus laboribus exerceretur.* Areopagitæ *in judicium vocabant τὰς μὴ ἐκ τίνος περιουσίας ζῶντας, eos, qui nullis facultatibus victitabant. Tamdiu civitatis Romanæ duravit gloria, quamdiu adoleſcentibus vagari otioſis non licuit*; Guevara libr. I. horol. princip. cap. 2. Sed quid peregrina & gentilia commemoramus? præſto eſt lex Dei antiquiſſima. Geneſ. III. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Pſalm. CXXVIII. 2. *Labores manuum tuarum manducabis.* Deus nihil otioſi in toto orbe vult ferre, ſublunaria omnia ſuas habent conſtitutas operas, angeli ipſi ad voluntatem divinam exſequendam parati adſiſtunt. Plura in hanc ſententiam tradunt Camerarius part. I. oper. ſubſec. capit. 15. Aretius part. II. problem. 138. & alii. Diſtinguendum tamen *inter otium honeſtum ac literarium*, ac *turpe ac inhoneſtum otium.* In otio literario qui vivunt, imperitis otiari videntur, cum ſint omnium hominum occupatiſſimi. Eſt etiam quoddam otii genus, ex quo boni paratiores redduntur ad publica munera obeunda. Denique eſt *ſanctum quoddam otium*, quo ſabbatum Deo celebramus, & ab externis operibus vacamus, ut interior homo ædificetur.

De quibus rebus ferendæ leges?

§. CCXXXII. *Res*, de quibus ferendæ leges, complures ſunt ac diverſæ. Prohibere enim debet magiſtratus legibus, quidquid vel *pietati*, vel *honeſtati*, vel *publicæ tranquillitati*, vel *civium ſaluti* eſt adverſum; contra vero quidquid iſthæc omnia, vel aliquid eorum promovet, ſtudioſe præcipere & in rempublicam introducere. Sic convenit magiſtratui poſt ſedulam religionis, & juſtitiæ curam de ſubditorum victu & ſuſtentatione ſolicitum eſſe. Cum enim magiſtratus dicatur *pater patriæ*, & nutritius ſubditorum, ut ſuperius fuit monſtratum; ideo eorum, quæ ad ſubditorum ſuſtentationem, & annonæ proviſionem ſpectant, diligentem curam nequaquam putet a ſe alienam, ac proinde 1.) Debet *leges ſumtuarias* ferre, quibus homines prodigi coërceantur, ne facultates ſuas temere dilapident, ac poſtea miſere egere cogantur. *Corinthii*, ſi quem videbant ſplendidius opſonari, hunc interrogabant, *unde illi ſumtus ipſi ſuppeterent, quodque artificium tractaret?* Quodſi huic vitæ generi ſumtus ſuppeterent, frui ſinebant. Sin vero ſumtus excederent facultates, jubebant in poſterum moderatius uti, ni pareret, mulctam imponebant. Quodſi nihil cum haberet, nihilominus tamen ſplendide & opipare viveret, necandum carnifici tradebant, quia *aut hunc furem eſſe, aut noctibus ſpoliare, aut cum furibus participare, aut falſa teſtari, aut adcuſare neceſſe eſſet.* Athenæus lib. VI. cap. 2. *Cenſorum apud Romanos* inter cætera hoc erat officium, providere, ne quis ſumtibus immodicis faciendis ad egeſtatem ſibi viam pararet. 2.) *Dardanariam prohibere.* Dardanarii in jure civili dicuntur, *qui annonam vexant.* Vlpianus in l. *annonam* de extraord. crimin. Græci eos

vocant

vocant παντοπώλας, παντομεταβόλας, σιτοσαπίλας, annonæ & aliarum mercium acerbissimos venditores & vexatores, *qui annonam incendunt & excandefaciunt*, ut Varro loquitur, vel ut Cicero lib. V. epist. XXI. ad Atticum, qui *frumentum comprimunt*. Illorum artes & monopolia magistratus prohibere debet, ac rei frumentariæ, ut & aliorum necessariorum copiæ in republica providere. Amos VIII. 5. emphatice illud hominum genus describitur: *Quando*, (inquiunt) *transibit mensis, & venundabimus frumentum, quando transibit hebdomas, ut aperiamus frumentum, ut imminuere faciamus modium, & augere faciamus sectel, ut pervertamus stateras dolosas*? v. 6. *Vt emamus argento egenos, & pauperem propter calceamenta, & quisquilias* (מֻפָּץ labile a radice נָפַץ cecidit) *frumenti vendamus*? Lutherus: *Daſs wir Sprew für Korn verkauffen.* Sed pœnæ graviſſimæ denunciatio ſtatim ſubjungitur; tales enim Deo & hominibus ſunt inviſi. Prov. XI. 26. *Qui prohibet frumentum, illi maledicet populus, & benedictio ſuper caput vendentis.* Vt ergo nefariis illorum artibus obviam iretur, pius & prudens magiſtratus annonæ & rei frumentariæ curam in ſe recipere non recuſavit. *Joſephus* Gen. XLI. 33. conſulit Pharaoni, ut virum intelligentem ac ſapientem huic negotio præficiat, eidemque alios præfectos & quæſtores adjungat, qui vicatim & oppidatim fruges colligant. *Pharao*, Exod. I. 11. & *Salomon* 1. Reg. IX. 19. ædificarunt עָרֵי־הַמַּסְכְּנוֹת *urbes theſaurorum*, apothecarum, ſive granariorum; Lutherus recte vertit *Kornhäuſer*, ita enim exponitur 2. Paral. XXXII. 28. *Ezechias* paravit מִסְכְּנוֹת, *apothecas ad provectum frumenti & muſti & olei. Roboam*, Salomonis filius, *ædificavit* in civitatibus ſuæ ditionis אֲצָרוֹת, LXX interpretes παραθήκας, *cellaria frumenti & olei & muſti*, qua voce etiam targum Exod. I. 11. utitur. Romani ſpectatiſſimum quemque in republica annonæ præfectum creabant, ne frumentarii ſeu dardanarii cum oppreſſione egenorum pro lubitu quæſtum facere poſſent. 3.) *Veſtium luxum legibus veſtiariis coërcere.* In veſtitu multis modis peccari ſolet, *levitate, novitate, ſuperfluitate, ſumtuoſitate, &c.* legislator huic etiam malo obviam eat; ſæpius enim coguntur ſubditi, ob impenſas in ſuperflua aut pretioſa factas immobilia vendere, doloſe negotiari, ac malis artibus ſeſe dedere, id quod legibus veſtiariis antevertere convenit. *Conviviorum & veſtium luxuria ægræ civitatis eſt indicium*; Seneca epiſtola CXV. huic ergo malo per legum medicinam occurrendum. *Tiberium* cæſarem veſtiarias leges tuliſſe, auctor eſt Dionyſius libro VII. hiſtor. Roman. Cumprimis vero fœmineus ſexus ad luxum veſtiarium proclivior eſſe ſolet, unde apoſtoli 1. Tim. II. 9. 1. Petr. III. 3. ſuperfluum illum corporis ornatum in ipſis nominatim taxant, & interioris hominis cultum eidem præferendum eſſe docent, quem Tertullianus in lib. de cult. fœmin. pulcerrimis deſcribit verbis: *Prodite*, inquit, *vos jam medicamentis & ornamentis exſtructæ apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictae oculos verecundia & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, adnectentes cervicibus jugum Chriſti, caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatae eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plusquam in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiae. Taliter pigmentatae Deum habebitis amatorem.* Lacedæmonii ſolis meretricibus floridas veſtes aurumque mundum geſtare permiſerunt, probis mulieribus ornatus ſtudium interdicentes. Clemens Alexandrinus libro II. pædag. cap. 10.

§. CCXXXIII. Quæritur hoc loco I.) *An aſyla inſtituenda?* (*) Aſyla ſunt tuta receptacula, a quibus non licet aliquem 1.) *An aſyla inſtituenda?*

(*) Conferenda, quæ de aſylis in *notis* ad Gerhardi *tom. VI. loc. XIV. tract. III. §. XXXII. p. 87.* diſſeruimus. Auctores, qui de hoc argumento data opera ſcripſerunt, exhibentur in Fabricii *bibliograph. antiquar. cap. IX. §. XXVI. p. 421. ſeqq.* edit. recentiſſ. quibus tamen Georg. Mozhius in *nou-*

aliquem vi abſtrahere juxta Servium, dicta ab *α* privandi particula & *σύρειν*, quod eſt trahere, ut ϱ in *λ* per Lamdacismum ſtatuatur mutatum, vel quod convenientius a *συλᾶν*, quod eſt auferre. (*) Eorum in republica uſum probant 1.) *Jus divinum:* Exod. XXI. 13. Num. XXXV. 1. Deut. XIX. 2. Joſ. XX. 7. conſtituuntur *civitates refugii* (**) pro illis, qui caſuale & involuntarium homicidium commiſerunt. 2.) *Jus canonicum:* cap. *inter alia* &c. extra *de immunit. eccleſ.* ubi ſtatuitur, *non eſſe ex templo abripiendum ullum hominem, quantumcunque gravia maleficia perpetraverit.* 3.) *Jus civile* ſive *imperatorium.* Honorius & Theodoſius *fideli devotaque praeceptione ſanciunt* l. 2. C. de his, qui ad eccleſ. confug. *nemini licere ad ſacroſanctas eccleſias confugientes abducere.* 4.) *Conſenſus gentium.* Fuerunt aſyla in Aſia, Ægypto, Græcia & apud omnes fere populos. (***). *Cadmus*, cum Thebas conderet, aſylum inſtituit, (****) quo confugientes ſive ſervi, ſive liberi, a pœna tuti eſſent, ideoque per vim extrahi non poſſent. Servius in libro VIII. Æneid. Virg. *Herculis nepotes* Athenis aſylum inſtituerunt, poſt quod in Rhetæo littore fuit *Ajacis* aſylum & in Sigæo *Achillis.* Alexander ab Alex. lib. III. genial. dier. c. 20.

Fama eſt, defeſſos acie poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes,
Sic ſacraſſe loco commune animantibus ægris
Confugium; — — — —

ut canit Statius lib. XII. Theb. In *Ægypto* ad oſtium Nili, quod vocatur Canobicum, *Herculis templum* aſyli loco habitum fuiſſe, memorat Herodotus libr. II. pag. 62. *Romulus & Remus* condita Roma inter arcem & capitolium aperuerunt aſylum eo in loco, qui adpellatur intermontius. Quotquot eo confugiſſent, impunitatem conſequebantur. Livius lib. I. hiſtor. dec. 1. unde Ovidius de ipſo canit:

Romulus ut ſaxo lucum circumdedit alto,
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Strabo lib. VIII. memorat fuiſſe aſylum in Inſula *Calvaria.* Apud *Athenienſes* ſepulchrum Theſei; Plutarchus in vita Theſei: apud *Epheſios* templum Dianæ aſyli loco fuit; Dionyſius Halicarnaſſæus libro IV. Apud *Moloſſos Samothracos, Crotoniatas, Meſſenios*, & plerosque populos ad deorum aras confugiſſe, pro aſylo habitum eſt. Polyd. Virgilius lib. III. de rer. invent. cap. 12. multa ejusmodi exempla commemorat & addit, in *Anglia* adhuc hodie templa eſſe loco aſylorum. 5.) *Primitivae eccleſiae* (*****) *exemplum.* In concilio Arauſicano can. V. decernitur, *ut nulli ab eccleſia rapiantur.* Concilium Aurelianenſe

ἀσυλολογία, ſeu tr. de ebræorum, gentilium & chriſtianorum aſylis, Lipſiæ 1672. Georg. Rittershvsivs in tr. *de aſylis*, qui *parti VII. criticor. Anglic.* poſtea fuit inſertus, Myler ab Ehrenbach *de jure aſyl.* itemque ill. Boehmervs in *jure eccleſiaſt. proteſtant. tom. III. libr. III. tit. XLIX. p. 1031.* addi merentur.

(*) Verbum *συλᾶν* non tantum ſignificat *auferre, ſpoliare*, ſed in genere quoque *lædere*, vel *violare*, unde & homines *ἄσυλοι* Græcis iidem, qui latinis *inviolabiles* & *ſacroſancti.* Atque hanc opinionem foviſſe videtur auctor anonymus diſtichi:

Quot monachorum ædes olim, tot aſyla fuerunt,
Ipſi nunc συλᾶν incipiunt monachi.

(**) De his *civitatibus refugii* veterum ebræorum præter interpretes ad *Num. XXXV. Joſ. XX.* conferri poſſunt auctores, partim a Fabricio *loc. cit.* partim vero a Wolfio in *adnotat.* ad Lyndii *alten jüdiſchen Heiligthümmern p. 979.* edit. recentiſſ. adlegati.

(***) De aſylis gentium legi merentur, quæ in concinna brevitate exhibet Henricvs Benzelivs, academiæ Lundenſis quondam procancellarius, in peculiari diſſert. *de aſylis*, quæ *tom. I. ſyntagm. diſſ.* inſerta eſt, *p. 442. ſeqq.* Scripſit quoque Jo. Adam. Osiander diſſertationem de hoc ipſo argumento, quæ *tom. VI. theſauri antiq. Græcar.* exſtat.

(****) Ab hoc ipſo Cadmo, de quo conſtat, eundem æqualem fuiſſe Joſuæ, nonnulli originem aſylorum volunt arceſſere. Aſt lubrico id niti fundamento, recte monuit laud. Benzelivs *loc. cit. p. 438.* qui & obſervavit, hanc antiquitatis laudem integram ſibi vindicare urbes refugii apud Ebræos, juſſu divino levitis aſſignatas.

(*****) Eccleſiis chriſtianorum jus aſyli jam ætate Constantini M. fuiſſe adplicatum, exemplis ex anti-

nense IV. can. XXI. præcipit, *ut hoc jus ab episcopis retineatur, & qui id facere neglexerint, excommunicentur.* Toletanum XII. can. X. dat pro asylo *triginta passus circa ecclesias, si fuerint minores, metropolitanis vero quadraginta.* Gregorius Nazianzenus in orat. funebri Basilii (*) refert, præfectum Valentis imperatoris habuisse adsessorem, qui nobilem quamdam fœminam misere deperibat, eamque uxorem ducere cupiebat, illa vero recusabat. Præfectus adsessori studebat, unde vis mulieri adflictæ parabatur, quare illa confugit ad ecclesiam, Basilius eam protexit *jure asyli*, quod ecclesiis & altaribus erat concessum. Socrates lib. VI. hist. c. 5. de Chrysostomo commemorat, quod acriter objurgaverit *Eutropium, imperatoris Arcadii eunuchum*, qui imperatori suaserat, ut omnia omnino asyla tollerentur: idem Eutropius cum imperatoris gratia excideret, & in ecclesia defensionem quæreret, nullam invenit. Augustinus epist. CLXXXVI. Bonifacio comiti, qui nomine Romano provinciam administrabat, cum vi rapuisset quempiam ex templo, scribit, *se vehementer mirari, quod hominem inde abstraxisset, mandatque, ut salvum quam primum restituat, & adjicit, se clericis præcepisse, ut oblationes ex ejus domo non accipiant, & se jam illum excommunicasse.* Epist. CLXXXVIII. idem comes Augustino modeste respondet, agnoscit se graviter peccasse: *Virum*, ait, *quem abstraxi, ecce jam reddo. Scias autem illum esse morte dignissimum.* Libr. I. de civ. Dei c. 7. confert asylum Romuli cum *templis Romanæ urbis*, in quibus tempore Alarici, regis christiani, habuerunt immunitatem. 6.) *Publicum commodum.* Tempore pacis asyla refugium præbent servis nimia dominorum sævitia oppressis l. *fugitivus* ff. *de edicto ædilitio*, reis ab ira judicis, vel adversarii potentia sibi metuentibus, in causa adhuc dubia periclitantibus, ære alieno gravatis, illis, qui ex imprudentia hominem interfecerunt, &c. Tempore belli, quando civitas expugnatur, nec auxilium adparet ullum, obsessi ad templa confugiunt, ut serventur. Distinguendum tamen inter *delicta voluntaria* & *involuntaria*, inter *flagitia notoria* & *dubia*, qui prioris generis delicta commiserunt, illis non debet immunitas asylorum patere. Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam proximum suum occidit, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* 1. Reg. II. 30. Joabus jussu regis *Salomonis* a Banaja circa altare occiditur. *Tiberius cæsar* cum templa Græcorum pessimis servitiorum complerentur, eodem subsidio obærati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptarentur, asyla Græcorum lustravit & repurgavit; Corn. Tacitus lib. III. annal. *Justinianus* immunitatem asylorum nimis latam & amplam rebuspublicis obesse videns, eamdem contraxit, §. *quod si delinquentes* &c. Authent. *de mandat. princip.* ubi excipit *homicidas* (voluntarios) *adulteros & virginum rapto-*

antiquitatibus haustis, ostendit Jac. Gothofredvs in comment. ad codicem Theodosianum libr. IX. tit. 45. *de his, qui ad ecclesias confugiunt*, quod edictum integrius exstat ad calcem *actor. concilii Ephesini.* Conferenda, quæ Josephvs Binghamvs, scriptor Anglus, in *orig. sive antiquitat. ecclesiast. vol. III. libr. VIII. cap. XI. p. 353.* hanc in rem scripsit, qui & *p. 355. seqq.* ex laudatiss. Gotho. fredo observat, primum quidem interiora tantum ædificia & conclavia ecclesiæ, & speciatim altare loca refugii fuisse; sed insimul addit, Theodosii junioris ætate hosce limites refugii fuisse ampliatos, siquidem „in lege quadam ejus, etiamnum exstan„te, non tantum altare & navis ecclesiæ, sed quid„ quid etiam inter ecclesiam & exteriores muros in„terjacet, hoc est, ædes & domicilia episcopi & „clericorum, hortuli, balnea, areæ & porticus non „minus, quam interior templi pars privilegio præ„bendi immunitatem eo confugientibus insignian„tur.„ In eam autem viri eruditi hodie ingrediuntur sententiam, existimasse veteres christianos, templis *consecratis* ex ipsa consecratione deberi immunitatem jure divino, cumque in veteri jam testamento Deus hocce jus aris dederit, illud eo magis in novo fœdere habere locum, quo excelsior sit *sanctitas* cultus divini in novo testamento. Conferenda, quæ hanc in rem differit illustr. Boehmervs *loc.* supra *cit.* §. *XVIII. p. 1031. seqq.*

(*) Exstat hæc oratio Gregorii *Nazianzeni operum* ejus *tom. I. p. 333*, edit. Paris. de A. *MDCXXX.*

raptores, quos nullis asylorum privilegiis frui permittit. (*) In jure canonico tria hominum genera ab asylorum immunitate excluduntur, *latrones publici, qui vias obsident, nocturni grassatores, qui agros vastant, & qui in templo, vel cœmiterio enormia scelera committunt freti ea spe, quod ibi futuri sint illæsi.* l. immunitatem. extra de immun. eccles. *hæreticos etiam & excommunicatos* nolunt jure asylorum frui, si scilicet propter ipsam hæresin in periculum veniant. Franciscus I. Galliarum rex, constituit, ut delinquentes ad ecclesias confugientes capiantur salvo jure, si reintegrari debeant, sicque cognoscatur, an immunitate ecclesiæ gaudere debeant, vel minus? Petr. Gregorius lib. XIII. de repub. c. 23. n. 11. Providendum etiam sedulo, ne spe veniæ & impunitatis cuiquam inferatur injuria, vel delicta foveantur, ne asyla sint nimis frequentia, &c.

(*) Subjungit Justinianvs rationem hujus exceptionis eandemque gravissimam, quæ hisce concepta est verbis: *Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus, ut non talia a præsumtoribus patiantur. Deinde templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a lege: & non erit possibile, utrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem & læsum.* Notandum tamen, jam ante Justinianvm, abusum asyli, qui mox prorupit, ab imperatoribus per leges fuisse coërcitum. Fecerunt id Theodosivs circa annum 392. in *l. 1. C. Theod.* itemque anno 397. Arcadivs & Honorivs in *l. 1. C. tit.* cit. & *l. 2. C. Theod. eod.* Inprimis vero Evtropivs, cum de nonnullis, qui ad ecclesiam confugerunt, pœnas sumere vellet, *operam dedit, ut lex ab imperatoribus promulgaretur, jubens, ne quis ad ecclesias profugeret, sed quicunque ad eas confugissent, inde abstraherentur.* Mentionem hujus legis facit Sozomenvs *libr. III. hist. ecclesiast. cap. VII.* prout observat Böhmervs *loc. cit. p. 1032, 1033.* qui omnino huic conferri meretur.

Cæterum in terris protestantium jus asyli, nulla solida fussultum ratione, quin & legibus divinis humanisque adversum, ecclesiis a principibus Augustanæ confess. jure meritoque denegatur, quum ex sanctitate *externa* & *cærimoniali*, quam profitentur, per se haud fluat, ut recte judicant Sam. Strykivs in *not. ad* Brvnnemanni *jus ecclesiast. libr. II. cap. II. §. VII* & Mylervs ab Ehrenbach *de jure asyl. cap. V. §. IX.* Add. Hornivm in *annotat.* ad Schilteri *libr. II. tit. VIII. §. XII. p. 339.* illustrem Böhmervm *loc. cit. p. 1048.* & ill. Wernhervm in *princip. jur. eccles. p. 196.* qui simul monet, reum, quando ad locum sacrum confugit, sine præscitu consistorii, cui locus sacer subest, vel saltim antistitis ecclesiæ, aut pastoris, nisi fortassis periculum sit in mora, exinde protrahi non debere.

Quemadmodum vero prout ex dictis patet, templa protestantium jure asyli prorsus destituuntur; ita nec *templa* & *monasteria catholicorum*, quæ

§. CCXXXIV. Quæritur II.) *An usuræ* (**) *in republica tolerandæ?* 2.) *An usuræ in republica tolerandæ?*

principis evangelici regimini subsunt, ullam immunitatem contra auctoritatem aut decretum *domini territorii* sibi arrogare possunt. Pertinet hoc ad jura *sacrorum*, quæ magistratui politico competunt, longeque majori efficacia exercentur a principibus protestantium religioni addictis, adeoque a curiæ Romanæ arbitrio haud dependentibus, quam quidem a præsulibus ecclesiæ Romanæ sacris addictis exerceri queunt, siquidem hi a voluntate curiæ Romanæ dependent, observante Böhmero, sæpius jam a nobis laudato, *loc. cit. p. 1048.*

(**) Speramus, haud ingratum fore lectoribus nostris, si statim sub initium tractationis *de usuris* auctores præcipuos, qui argumentum hoc tot diversis interpretum judiciis sententiisque subjectum, data opera excusserunt, in medium adducamus. Eminet ex iis, qui hoc fecerunt, Clavdivs Salmasivs, vir longe doctissimus, qui triplicem edidit tractatum, quorum prior est de *usuris*: secundus de *modo usurarum*: tertius de *fœnore trapezitico*. Posteriorem dissertationem oppugnarunt Martinvs Schoockivs in dissertat. *de usura Trapezitica contra Salmasium* nec non Dionysivs Haraldvs, Salmasio ad latus poni merentur Jo. Seldenvs, *de jur. nat. & gent. juxta discipl. Ebræorum, libr. VI. cap. IX. & X. oper. tom. I. p. 640. seqq.* Carolvs Molinævs, JCtus quondam Parisiensis, qui desertis ecclesiæ Romanæ sacris ad protestantes transiit, in tract. *de commerciis & usuris*, & Gerardvs Noodt, JCtus Franekeranus, qui tres libros *de fœnore & usuris* scripsit, patrumque lapsus *libr. I.* non notavit tantum, sed & emendavit, quin & juris civilis nodos in hoc argumento subinde enodavit. Prodiit hocce scriptum Lugd. Batav. 1698. 4. & inter ejus opera ibid. 1713. 4. Addimus iisdem Jo. la Placette dans les *divers traités sur des matières de conscience, trait. 2. p. 74.* & juris naturæ scriptores, veluti Hvg. Grotivm *de jure belli & pacis libr. II. cap. XII. cap. XX.* auctoresque, qui eundem adnotationibus illustrarunt, Osiandrvm nimirum, Jægervm, Zieglervm, aliosque

blica tolerandae? *randæ?* (*) Damnat usuras 1.) *Jus divinum*: Exod. XXII. 25. Levit. XXV. 35. 36. 37. Deut. XXIII. 19. Neh. V. 8. Psal. XV. 5. Ezech. XVIII. 7. & 8. XXII. 12. 2.) *Jus canonicum*: cap. *Non licet &c.* cap. *Sicut &c.* dist. 46. cap. *Episcopus &c.* cap. *Quoniam &c.* dist. 47. cap. *Si fœneraveris &c.* cum seqq. caus. 14. q. 3. cap. *Ministri &c.* cum seqq. causa ead. q. 4. lib. V. decretalium tit. 19. de usuris cap. *quia in omnibus &c.* 2. *Usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam.* 3.) *Consensus gentium:* Cato interrogatus, quid esset fœnerari? *idem* dixit, *quod hominem occidere.* Cicero lib. II. offic. Vit. philos. c. 95. Idem l. de re rustica scribit: *Majores nostri sic habuere, & ita in legibus posuere, furem duplo condemnandum, fœneratorem quadruplo.* *Lycurgus* e tota Sparta fœnus exterminasse dicitur. Plutarchus in Lyc. *Agis,* Atheniensium dux, adeo exosum habuit fœnus, ut omnium fœneratorum tabulas igne suppositio in foro concremarit, *quo igne nullum clarius lumen se vidisse* Agesilaus dixit. Alexander ab Alexandr. lib. I. genial. dier. c. 7. Usurarios manus amputatione plectebat *Gallia.* Cujac. lib. VII. observ. 23. *Plato* usurarios e republica exterminandos statuit lib. V. de legibus. *Aristoteles* usurariam adquisitionem maxime contra naturam esse adserit, cum pecunia sit res sterilis; libr. I. polit. c. 7. *Fœnus est animæ funus,* dicebat Alphonsus referente Panormitano de dict. & fact. Alp. lib. III. cap. 34. *Tollendum ex civitate illud urbibus vetus fœnebre malum,* inquit Tacitus lib. VI. annal. pag. 105. ignotum illud fuit veteribus Germanis, de quibus idem Tacitus de mor. Germ. cap. 8. *Fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum, ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.* Bodinus non modo radices, sed etiam fibras hujus mali penitus amputandas esse disputat lib. V. de republ. cap. 2. 4.) *Auctoritas patrum & conciliorum*: Damnatæ sunt usuræ in concilio Nicæno primo, can. XVIII. Eliberitano, can. XX. Arelatensi, can. XII. Laodiceno, can. V. Carthaginensi, can. XVI. Constantinopolitano VI. can. X. Lugdunensi, can. X. &c. Ex patribus multa huc adferri possunt. (**) Hieronymus libr. VI. in Ezechiel. 18. *Quidam pro pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram adpellari & superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo, quod dederint, plus acceperint.* Ambrosii liber de Tobia totus in detestatione usuræ occupatus est, c. 13. dicit: *Usuram ab usu dictam arbitror, quod ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur.* *Lugubre ceræ prima litera sonat, parturit, vox doloris est.* *Quid ibi potest esse boni, quod a dolore incipit & ab obligatione.* *Lepores ferunt generare simul,*

que, itemque Sam. Pvfendorfivm in *jure naturæ & gent. libr. V. cap. VII. §. VIII. seqq.* cum notis Barbeyraci, *tom. II. p. 73.* Andr. Adamvm Hochstettervm in *collegio Pufendorfiano, exerc. VIII. §. 42. p. 364. seqq.* & Vinc. Placcivm *de jure naturali usuræ,* Hamb. 1695. Exstat quoque Jo. Ge. Abichtii dissert. *de usura licita* Lipsiæ 1700. habita, & Jo. Dav. Michaelis commentatio *de mente & ratione legis Mosaicæ usuram prohibentis,* quæ Erfurti 1746. 4. in lucem publicam prodiit; ut complures alios, a Fabricio in *bibliogr. antiq. cap. XVI. §. XVII. p. 805. seqq.* Struvio in *bibliothec. select. jurisdic. cap. VI. §. 59.* Böhmero in *jure ecclesiast. protest. tom. V. libr. V. tit. XIX. §. I. p. 3109. seqq.* aliisque excitatos haud memoremus.

(*) Quam turpis ac detestabilis sit usura, adparet: 1.) ex prohibentis auctoritate; 2.) ex peccati fœditate: pugnat cum septimo præcepto, est ergo furtum, 3.) ex damni gravitate, dicitur enim usura a mordendo ac rodendo, quia proximi facultates absumit, 4.) ex pœnæ atrocitate, ea enim est tum temporalis, tum æterna. Gerhardvs.

(**) Decreta conciliorum itemque effata patrum, quibus usuræ fuerant damnatæ, collegit Anton. Thysivs, theologus quondam Lugduno-Batavus, in peculiari tractatu *de usura & fœnore,* quem theologi Leidenses an. *MDCLVIII.* post obitum auctoris ediderunt. Idem fecerunt Joseph. Binghamvs in *originib. sive antiquitat. eccleziast. vol. II. libr. VI. cap. II. §. VI. p. 318. seqq.* atque Böhmervs in *jure eccles. tom. V. p. 330. seqq.* Fuerunt quoque ex ecclesiæ Romanæ pontificibus, qui usuras penitus improbarunt. Eminet ex iis Leo, cognomine *magnus,* prout ostendit Lvdov. Maimbvrgivs in *histoire du pontificat de S. Leon le grand,* quæ Parisiis *MDCLXXXVII.* in 4. prodiit *p. 325.*

& educare & continuo parturire. Iſtis quoque anaglyphariis uſurarum generatur, & ſupergeneratur uſura, enutritur ac naſcitur, & nata jam parturit, &c. *Pecunia fœnebris hodie ſeminatur, cras fructificat, ſemper parit, nunquam interit, ſemper plantatur, vix evellitur. Vult ſemper fœnerator adquirere, nunquam perdere, pecuniam ſuam ſemper explere, nunquam ſanare, ſemper occidere.* Chryſoſtomus in Matth. V. uſuram aſpidis morſui comparat: *Qui aſpidis morſu percutitur, quaſi delectando in ſomnum vergit, & per ſuavitatem lethalis ſoporis moritur, eo quod venenum inter dormiendum per omnia membra graſſatur: ſic qui pecuniam ab uſurario accipit, in præſenti quidem quaſi beneficio adfectus gaudet, verum uſura per omnes illius facultates decurrens totum convertit in debitum.* Lactantius lib. XVI. inſtit. c. 18. *Cultor Dei pecuniæ, ſi quam crediderit, non accipiat uſuram, ut & beneficium ſit intolume, quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat prorſus alieno. In hoc enim genere officii ſuo debet eſſe contentus, quem oportet alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat, plus autem accipere, quam dederit, injuſtum eſt, quod qui facit, inſidiatur quodammodo, ut ex alterius neceſſitate prædetur.* Auguſtinus in Pſal. XXXVI. conc III. *Nolo ſitis fœneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult. Nam ſi ego nolo, & Deus vult, agite. Si autem Deus non vult, etiamſi ego vellem, malo ſuo ageret, qui ageret. Vnde adparet, Deum hoc nolle, dictum eſt alio loco. Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Et quam deteſtabile ſit, quam odioſum, quam exſecrandum, puto, quia & ipſi fœneratores noverunt.* Bernhardus epiſt. 322. circa finem, col. 999. *Sicubi deſunt Judæi, pejus judaizare dolemus chriſtianos fœneratores, ſi tamen chriſtianos & non magis baptizatos Judæos convenit adpellari*, &c. 5.) *Multiplex*, quod ex illis naſcitur, *incommodum*: Vſuræ & dantibus & accipientibus ſunt noxiæ. Dantes exſugunt atque exhauriunt, unde Baldus conſil. 449. vol. III. comparat uſuram *vermiculo ligni*, qui tactu lenis adparet, ſed dentes habet duriſſimos & medullam ligni ita corrodit, ut ſuperficies quaſi illæſa adpareat. Hebræis uſura dicitur *a mordendo ac rodendo. Vt enim ſerpens mordens in ſilentio primum non percipitur vel ſentitur, ſed poſtea homo inflatur, & diffunditur effectus illius morſus parvi per totum corpus: ſic uſuræ malum in principio non ſentitur, ſed poſtea adſcendit in magnam ſummam, & devorat totam hominis ſubſtantiam*, ut loquitur Lyran. in c. XXII. Exod. Accipientes a laboribus ad otium avocant, & ad abuſum divitiarum invitant. Homines enim illecti faciliori ac tutiori ratione lucrandi per uſuras, minus curant artes honeſtas humanæ vitæ neceſſarias. (*)

§. CCXXXV. Atque hæc de uſuris, vel potius contra uſuras recte dicuntur; interim tamen, ne ſcrupulus conſcientiis in re libera injiciatur, neve turbæ & confuſiones in eccleſia & republica excitentur, ſedulo providendum, ne ſub nomine uſurarum damnentur contractus liciti & juſti ad jus gentium pertinentes, & publicum commodum promoventes: inde juriſconſulti diſtinguunt inter *uſuras lucratorias & compenſatorias*, inter uſuras *immoderatas* ac *moderatas*, priores damnant, poſteriores adprobant. Theologi uſuras ſimpliciter prohibitas dicunt; interim nomine uſurarum negant venire contractus juſtos & æquos legibus permiſſos, ſed cum de re ipſa conſtat, otioſa eſt de vocabulis concertatio. (**). Quando igitur quæritur, an uſuræ damnatæ nomine veniat

Quæ proprie ſint uſuræ?

(*) Rabbi Salomon de voce נֶשֶׁךְ *incrementum uſuræ ſic dicitur, quia habet ſe inſtar morſus ſerpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus, ita ut non ſentiat, mox autem ſerpit & diffundit ſe venenum, donec veniat ad verticem ejus: ſic quoque incrementum uſuræ ſe habet; non enim ſentitur nec cognoſcitur, donec ita augeatur, ut totam ſubſtantiam alicujus diminuat.* Chaldæis dicitur חַבְלָא *a perdendo*, quaſi dicas corruptio, devaſtatio, quod corrumpit ac perdit hominem. GERHARDUS.

(**) Certe multos vocabulum *uſuræ* proſcribere, rem ipſam

veniat contractus ille, quo pro centum florenorum usu quotannis quatuor vel quinque exiguntur? negamus absolute simpliciter ac semper talem contractum elocationis pecuniarum esse illicitum & usurarium, (*) quod ut rectius percipiatur, procedimus hoc modo: *tria sunt hominum genera*, cum quibus in societate civili nobis res, & qui pecuniam a nobis suæ vel *necessitatis*, vel *utilitatis* causa expetunt. *Primo* quidam sunt *extreme pauperes*, qui non habent, unde vivant, sed ad extremam inopiæ lineam redacti ne fortem quidem reddere possunt, illis debetur *eleemosyna*, hoc est, illis ea ratione dandum, ut *nihil quidquam inde speretur*: Luc. VI. 35. *Sinistra nesciat, quid dextra illis* fecerit. Matth. VI. 3. *Deinde* quidam sunt *indigentes*, quibus ob necessariam vitæ sustentationem ad tempus pecuniæ summa opus est, qua non quidem cupiunt lucrari & negotiari, sed præsenti necessitati succurrere. Illis *gratuitum mutui officium* debetur, hoc est, illis ea ratione dandum, ut fors quidem statuto tempore repetatur, sed propter usum pecuniæ nihil ulterius exigatur. Lev. XXV. 35. Psalm. XXXVII. 21. &c. *Denique* quidam sunt *opulenti*, qui pecuniam a nobis expetunt, non ob urgentem aliquam necessitatem, sed ut nostra pecunia negotientur, lucrentur, emant fundos ac prædia, cum illis licet talem inire contractum, ut quotannis pro centum florenorum usu quatuor, vel quinque persolvant, salva interim sortis repetitione. (**)

§. CCXXXVI. Demonstramus vero nos id sequentibus rationibus. I.) Ex *naturali æquitate*. 1.) Christus salvator noster naturalis æquitatis præscriptum hac regula & authentica complexus est: *Omne, quod vultis, ut faciant vobis homines, etiam ipsis facite*; Matth. VI. 12. vel uti Lucas verba retulit VI. 31. *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ὁμοίως, similiter.* Apud Matthæum additur, *hanc esse legem & prophetas*, hoc est, quidquid lex & prophetæ de justitia & jure in societate civili præscribunt, illud omne ad hunc canonem referri commodissime posse. Jam vero in prædicto casu ita comparatum est, ut debitor pecuniam a nobis expetat, non extrema quadam inopia compulsus, sed fine eo, ut negotietur, lucretur, & commoda sua paret: vicissim etiam negari nequit, creditorem potuisse ipsummet hac sua pecunia itidem negotiari, lucrari, & commoda sua parare; ipsa igitur æquitas & juris naturalis sanctio requirit, ut debitor cum

Census annuos esse licitos probatur.

a.) *Ex naturali æquitate.*

ipsam retinere, certo certius est. Fecit id ipse GROTIVS, vir incomparabilis, in præclaro alias opere *de jure belli ac pacis libr. II. cap. XII. §. 21.* prout recte monuit SAM. PVFENDORFIVS *libr. V. de jure naturæ & gentium cap. VII. §. XI. p. 713.* edit. Franco. cum notis HERTII.

(*) Confer eida, quæ ex theologis nostris antiquioribus hanc in rem scripsit THEOD. THVMMIVS in tractatu *de usura licita & illicita &c.* qui Tubingæ MDCXII. prodiit. Quod ad scripta ecclesiæ Romanæ doctorum attinet, huc cumprimis spectat libr. a SEMELIERIO theologo Gallo editus, hacque inscriptione inscriptione: *Conferences ecclesiastiques de Paris sur l'usure & la restitution, où l'on concilie la discipline de l'Eglise avec la Jurisprudence du Royaume de France*, a Paris 1718. in 4. vol. in 12. Vide de hocce libro *le Journal des Savans pour le mois d'Avril 1718. p. 429 seqq.*

(**) Theologi Jenenses in responso 17. Jul. 1594. *Wie die Obrigkeit unter dem Schein eines Contracts und grössern Wucher zu verhüten ex officio s. fl. nachlasset, und darüber exequirt, müssen wir solche der Obrigkeit Constitution, welche sie zu verantworten wissen wird, wie ander mehr, passiren lassen, in der Hoffnung, wie Gott jederzeit seinem Volk etliche schwere Sünde, als den Juden polygamiam, also den unsern diesen von der Obrigkeit aus Noth und probabilibus rationibus zugelassenen Wucher in Gnaden werde zu gute halten.* Imo ipse Socinus in epist. ad Mörstin. 4. p. 503. *De usura semper sui hujus sententiæ, eam non esse per se veritam ullo modo, quidquid vel morales patres, vel theologi nostri contra disputant. Rationes tam philosophorum, quam theologorum missas facio, & duo tantum verba de sacrarum literarum testimoniis dicam. Primum igitur id pro concesso pono, usuram in toto nov. test. non inveniri prohibitam, imo non leve argumentum esse adfirmo permissionis ejus, quod usquam, cum toties in eo commemorentur illa, quæ in moribus nostris & actionibus pugnat cum spiritu & evangelii doctrina, & quodammodo enumerentur, inter ista nulla prorsus ipsius fiat mentio &c.* GERH.

creditore eo modo agat, quo modo secum in simili casu actum velit, hoc est, ut in participationem commodi creditorem admittat, & in compensationem illius augmenti facultatum suarum, quod pecuniæ usu parare poterat, atque interim eo carere cogitur, quotannis aliquid ipsi expendat. 2.) Præterea, quod debita gratitudo postulat, illud jure naturali etiam exigi certum est; gratitudo enim est juris naturalis, ac proinde obligatio, quæ ex gratitudine nascitur, est juris naturalis. Jam vero in prædicto casu debita gratitudo exigit, ut is, qui pecunia alterius negotiatur & lucratur, vel etiam magno onere bonis ipsius immobilibus inhærente levatur ac liberatur, gratum sese præstet erga eum, a quo hoc beneficio adfectus est, id quod fit non sola sortis restitutione, sed etiam liberali aliqua compensatione. Qui ex pecunia alterius magnum ad se rediisse sentit commodum, naturaliter obligatur ad beneficium agnoscendum, & *ἀντίδωρον* aliquod reddendum. Ergo idem quoque jus naturale ab ipso exiget. Nec est, quod obvertat aliquis, gratitudinem esse quidem juris & obligationis naturalis; interim tamen debere eam esse liberam, ac proinde ad eam data syngrapha non esse civiliter obligandum debitorem. Etenim ad quod naturaliter aliquis obligatus est, ad illud etiam civiliter obligari potest; quod jure aliquis præstare tenetur, ad illud etiam externis mediis cogi potest. Sic qui pecuniam mutuam accepit, naturaliter ad restitutionem obligatur; interim tamen ad eamdem etiam civiliter haud injuria obligari potest. Nimirum propter peccati originalis labem tanta plurimorum animos occupavit *ἀχαριστία*, ut pecunia mutuo accepta quasi inventa utantur, nec de restitutione cogitent; unde creditores sæpius de ipsa sorte periclitari coguntur, de quo late queritur Siracides XXIX. 4. usque ad 10. Inde magistratus salutaribus legibus, quæ sunt medicinæ malorum, in republica providere voluit, ut debitor non solum ad *adsecurationem*, quam ita vocant, pecuniæ mutuo acceptæ, sed etiam ad *compensationem officii* ex grato animo profectam obligaretur.

§. CCXXXVII. II.) *Ex christiana caritate*: 1.) Apostolus 2. Cor. VIII. 13. hanc præscribit caritatis regulam, *aliis ita benefaciendum esse, non ut ipsis sit relaxatio, ἄνεσις, nobis vero adflictio, θλῖψις, sed ut sit æqualitas.* Quamvis vero hæc regula in specie ibidem ad eleemosynarum beneficentiam adcommodetur, in se tamen ac per se est generalis, docens ita benefaciendum esse aliis, ne nobis, vel nostris ex eo insigne aliquod detrimentum oriatur. Huc a quibusdam refertur dictum Salomonis Prov. V. 16. 17. *Dividantur fontes tui foras, in plateis rivi aquarum, sint tibi soli, tibi & non alienis tecum*; quamvis ex antecedentibus & consequentibus specialis aliquis sensus ad uxorem & liberos pertinens a quibusdam colligatur. Jam vero si alii nostra pecunia pro lubitu uterentur ad negotiationes, mercimonia, prædiorum emtiones, &c. eaque absque ulla compensatione nobis facta plurimum lucrarentur, tunc ipsis quidem esset *relaxatio*, nobis vero ac nostris *adflictio*, siquidem nos non minus, ac illi ipsimet nostra hac pecunia potuissemus contractus emtionis, vel alios ad rem faciendam idoneos exercere, ac commoda nostra parare; æquitas igitur & illi respondens christiana caritas requirit, *ut fiat æqualitas*, hoc est, ut divitis illius negotiatoris, qui pecunia nostra lucratus est, abundantia nostram ac nostrorum inopiam suppleat, *ἵνα τὸ ἐκείνων περίσσευμα γένηται εἰς τὸ ὑμῶν ὑστέρημα*, ut in simili apostolus loquitur 2. Cor. VIII. 14. 2.) Est etiam hoc effatum apostolicum: 1. Tim. V. 8. *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, & infideli est deterior*, cum quo conjungimus illud: 2. Cor. XII. 14. *οἱ γονεῖς ὀφείλουσι τοῖς τέκνοις θησαυρίζειν, parentes debent liberis suis thesauros colligere.* Jam vero nulla nostrorum ageretur cura, multo minus thesauri ipsis colligerentur, si proximus nostra pecunia suum diutaxat pararet commodum, nec in ejusdem participationem ac *κοινωνίαν* ullam nos admitteret. Ergo id pugnat cum christianæ caritatis

b.) *Ex christiana caritate.*

tis officio. *Ordinata caritas incipit a se ipsa*, ac suadet, ut potiorem rationem habeamus eorum, quos Deus & natura arctius nobis conjunxit. 3.) Quemadmodum iniquum foret ac christianæ caritati repugnaret, si indigentes illi, quos superius in secundam classem retulimus, magnam pecuniæ summam nunquam a se restituendam eleemosynæ loco sibi a nobis dari postularent, cum ad tempus duntaxat ea indigeant, ac postea absque suo detrimento sortem reddere possint: ita quoque pari ratione iniquum est & caritati contrarium, si divites in classe tertia collocati, absque ulla præter sortem compensatione ingentem pecuniæ summam a nobis postulent, qua suas negotiationes suaque commoda promoveant, cum absque detrimento suo in partem lucri nos vocare possint & debeant Vt cum caritate pugnat, si homines secundi ordinis a nobis flagitent secum agi per eleemosynas; sic etiam cum caritate pugnat, si homines tertii ordinis a nobis expetant, secum agi & contractus iniri per mutuum gratuitum. 4.) Denique in omnibus legitimis contractibus *caritatem oportet esse reciprocam*, hoc est, utriusque partis contrahentium commoda sunt promovenda, ergo etiam in hoc speciali contractu, & creditoris & debitoris habenda est ratio. Quod si vero debitor in re lauta constitutus aliena pecunia lucratur, emit fundos, æris alieni onere prædia sua liberat, ut iis magno suo cum commodo libere utatur, fruatur, atque creditor interim sua pecunia absque ulla compensatione carere cogitur, tum caritas non est reciproca, sed commodum ad unam duntaxat contrahentium partem redit, præterita ac prætermissa plane altera. Neque est, quod obvertatur, *ad illum solum, qui pecunia aliena negotiatur, & mercimonia exercet, redire periculum, proinde etiam ad ipsum solum pertinere negotiationis commodum*, quia præsupponimus in decisione hujus quæstionis, quod debitor pecunia mutuo accepa lucretur & commoda sua paret. Sin vero casu aliquo fortuito, insperato atque inevitabili ad inopiam redigatur, tunc caritas christiana tanquam moderatrix ac directrix omnium in christiana republica contractuum, sese mediam interponat, ac ratione circumstantiarum habita annuum illum censum, vel ipsam etiam sortem debitori remittendam esse jubeat, quando enim homines tertii ordinis rediguntur ad secundam classem, tunc mutuum erga ipsos debet esse gratuitum, quando ad primam, eleemosyna sunt juvandi, tantum abest, ut census annui ab illis exigendi.

§. CCXXXVIII. III.) *A magistratus christiani auctoritate.* Certum & immotum esse debet axioma illud theologicum: *Evangelium non abolet politias*, nec tollit legitimos contractus. Ergo etiam non abolet salutares leges & constitutiones magistratus juri naturali congruentes; Rom. XIII. 1. 1. Petr. II. 13. *Quomodo sit contrahendum*, (inquit Lobechius disp. XVIII. in August. confess. th. 93.) *& qui contractus habendi sint legitimi, aut illegitimi, non theologorum est, sed magistratus & jurisconsultorum est judicare. Non enim magis hoc ad theologos spectat, quam medicis præscribere, quæ pharmaca, quibus ægrotis sint aplicanda.* (id quod de contractuum æquitate *in specie* accipiendum, nam *in genere* verbum Dei præcipit, cavendam esse injustitiam, fraudes, violationem caritatis, &c.) Jam vero christianus magistratus contractum illum, quo proximo centum floreni, pro quinque florenorum pensione annua, ut sic loquar, elocantur, adprobavit, ut ex Justiniani legibus & imperii Romani constitutionibus notum. Quare, ut homo pius ac christianus salva omnino atque illæsa conscientia in civili vita aliis legitimis & salutaribus magistratus constitutionibus in commerciis, hæreditatibus, causis testamentariis, &c. ita quoque hac ipsa justa ac rationabili magistratus constitutione de censibus annuis absque ullo conscientiæ scrupulo uti potest, siquidem magistratus est Dei minister potestate ferendarum legum divinitus instructus. Nec est, quod obvertatur, 1.) *Hanc constitutionem magistratus pugnare cum jure divino*, quod omnes

c.) *A magistratus christiani auctoritate.*

omnes usuras indistincte & absolute prohibet; *cum jure naturali*, quod officium mutui gratuitum esse debere docet; *cum recta ratione*, quæ pecuniam esse rem sterilem, ac proinde nullum fructum parere posse ostendit; quid enim hac de re statuendum sit, inferius expeditum dabitur. Hoc loco unicum illud monemus, magistratum in hac sua ordinatione ad æquitatem naturalem respectum habuisse, ac multis controversiis & difficultatibus obviam ire voluisse. Cum enim certi & expediti juris sit in mutuo, id quod interest, a debitore exigi, id est, *ob lucrum cessans & damnum emergens* jure compensationem quamdam postulari posse, & vero in judiciis sæpius diu multumque controvertatur, quid proprie sit usurarium, quid vel lucri cessantis & damni emergentis compensatio, ideo ad certam quamdam mediocritatem id, quod interest, reducere voluerunt, nimirum, ut pro centum florenis mutuo datis quinque loco illius, quod interest, exigantur, & hac ratione controversiis in judicio longissime protractis occurratur. Leges statuunt *taxationem illius, quod interest, judicis arbitrio relictam* esse l. 3. §. ult. ff. *de eo, quod certo loco*; eccur igitur superiori magistratui non fuisset liberum, talem quamdam generalem moderationem, atque ut sic loquar, *taxationem* in hoc contractu instituere? 2.) *Magistratum ad præcavendum majus malum ac gravius peccatum, illud, quod sua natura est peccatum, duntaxat permisisse, ac proinde jus fori a jure poli esse distinguendum, nec per politicas illas leges conscientiæ tranquillitatem obtineri posse.* Neque enim pius magstratus talem potestatem sibi arrogat, ut ad evitandum majus malum, id quod per se & sua natura injustum est, permittat, cum *non sint facienda*, multo minus legibus sancienda *mala, ut eveniant bona*; Rom. III. 8. cum magistratus utriusque decalogi tabulæ custos esse debeat; cum inferior non possit tollere legem superioris. Alterutrum igitur statuendum fuerit, vel quod censum illum pecuniæ annuum in contractu sæpius nominato accipere, non sit in se ac semper illicitum; & juri divino ac naturali adversum; vel quod magistratus id permittens contra jus divinum & naturale, contra æquitatem & justitiam egerit, id quod de christiano magistratu adfirmare perquam durum & auditu acerbum. Sunt, qui hanc magistratus constitutionem conferunt cum legibus Mosaicis de polygamia jure divino prohibita: Matth. XIX. 8. *Moses propter σκληροκαρδίαν permisit vobis dimittere uxores, ab initio autem non erat sic;* sed si vel maxime divina quadam dispensatione Moses tale quid permisisset, nondum tamen evictum foret, etiam magistratui jus illud contra legem divinam dispensandi competere, cum *custos* divinæ legis & eorum, qui legem divinam transgrediuntur, *vindex* sit constitutus.

§. CCXXXIX. IV.) *Ex aliorum contractuum paritate.* De similibus idem est judicium, ac ubi par ratio, ibi idem jus. Jam vero adprobantur contractus, qui illi ipsi, de quo agimus, quod ad æquitatem naturalem adtinet, plane sunt similes. Ergo & is, de quo agimus, adprobari potest, nec temere tanquam simpliciter injustus & usurarius repudiari debet. 1.) Adprobatur *contractus emphyteuseos*, quando mea pecunia agrum emo, eumque alteri colendum trado ea lege, ut propter annuam fructuum perceptionem certam pecuniæ summam, vel etiam modios aliquot frugum quotannis mihi persolvat, modo canon, quem ita vocant, hoc est, pecunia, vel frumentum quotannis persolvendum, sit juri & æquitati consentaneus. Quid vero discriminis in eo, si vel ipse immediate mea pecunia agrum emam, eumdemque alteri elocem, ut partem fructuum quotannis percipiam, vel si pecuniam meam alteri dem mutuo, ut ex ea agrum emat, & propter annuam fructuum ex emto illo agro perceptionem certum & moderatum censum quotannis mihi dependat? Certe quod naturalem æquitatem adtinet, nihil hic disparitatis occurrit. Quæ diversitatis ratio a quibusdam adferri solet, in

d.) *Ex aliorum contractuum paritate.*

in seqq. elidetur. 2.) Adprobatur *contractus antichreseos*, quando propter certam pecuniæ summam mutuo datam creditor hypothecæ loco fundum mancipat, & vice ejus, quod interest, fructus quotannis percipt. Jam vero minus gravat debitorem, ac minus ipsi molestum est, si fundos, agros ac prædia sua, & eorum fructus retinere potest integros & salvos, dato interim censu annuo pro pecuniæ mutuatæ usu, quam si creditori fundos, agros ac prædia, eorumque fructus hypothecæ loco mancipare cogatur, ex quo sic concludimus: Quidquid minus gravat debitorem, & deteriorem facit conditionem creditoris, illud usuræ suspicionem minuit. At sola personalis obligatio ad censum annuum sine usufructus in hypotheca traditione minus gravat debitorem, & deteriorem facit conditionem creditoris, quam traditio realis hypothecæ in antichreseos contractu. Ergo usuræ suspicionem minuit. 3.) Adprobatur *contractus emtionis redituum*, quod centum florenis quinque a proximo quotannis mihi persolvendos emo, ea pactione, ut dominium centum florenorum a me plane transeat, nec liceat in æternum eos reposcere. *De emtione redituum* (scribit Chemnitius part. II. loc. c. de paupertate p. 454.) *multi disputant, sed res ipsa, si recte consideretur, ostendit, hunc contractum, si legitime exerceatur, non pugnare cum caritate.* Verissime hoc adserit Chemnitius, si enim contractus emtionis in genere adprobatur; ergo emtio redituum in specie improbari nequit. Prius constat ex Lev. XXV. 15. 1. Cor. VII. 30. proinde etiam posterius immotum consistit. Atqui si licet centum florenis quinque quotannis persolvendos emere, utique etiam licebit centum florenos pro quinque florenorum censu annuo elocare. Si licet mille florenis domum emere, alteri eam locare, & quinquaginta florenos pro ἐνοικείῳ exigere, quidni etiam liceat usum annuum illorum mille florenorum immediate alteri elocare? Quod enim obvertitur, *in rebus fragilibus, ad quas pertinet pecunia, usum non posse separatim vendi, vel elocari, cum earum usus sit ipsa consumtio*, de eo inferius dispicietur. 4.) Adprobatur *contractus societatis. Legitimus est contractus*, scribit Chemnitius d. l. p. 455. *quando alter potest negotiari, sed destituitur pecunia, alter vero habet pecuniam, sed non potest negotiari, si illi ineant societatem, ut alter conferat pecuniam, alter operas, nam leges dicunt, quod pecuniæ deest, per operam suppletur.* At parum, vel nihil discriminis inter hunc contractum societatis & eum, de quo jam agimus; utrobique enim propter lucrum ex usu pecuniæ resultans illi, qui eam erogavit, compensationis loco aliquid datur. Regerunt, *in contractu societatis & lucrum & periculum & damnum utrique contrahentium parti esse commune, id quod non habeat locum in censu illo pecuniæ elocatæ annuo*; sed jam ante diximus, christianam caritatem debere moderationem & æqualitatem eam observare, ut periculum ac damnum etiam in hoc ipso contractu sit commune, hoc est, ut debitori præter culpam ad inopiam redacto census ille annuus alias debitus remittatur. 5.) Adprobatur *contractus, quo syngraphas emtionis redituum ab altero emo*; at si licet syngraphas illius emtionis, & consequenter etiam reditus annuos, vi syngraphæ debitos, certa pecuniæ summa ad me transferre, quidni etiam liceat census annuos pro elocatione quasi pecuniæ percipere? Utrobique certe ob pecuniæ vel emtæ, vel conductæ usum proximus reditibus illis annuis ad ipsum alias spectantibus carere cogitur. Nec est, quod obvertatur, *contractus illos censeri licitos, quia non pugnent cum expressis scripturæ dictis; aliam vero rationem esse illius, de quo agimus contractus, qui sub usurarum nomine in verbo Dei penitus damnetur*; eam enim esse principii petitionem suo loco demonstrabitur.

§. CCXL. V.) *Ex humanæ societatis utilitate*: Deus non est ἀκαταστασίας Deus; 1. Cor. XIV. 33. jam vero ingentes ἀταξίαι & ἀκαταστασίαι ex eo orirentur, non in politicis solum, sed etiam in ecclesia, si quis

e.) *Ex humanæ societatis utilitate.*

ſtatueret, abſolute & ſimpliciter prohibitum eſſe propter pecuniam alteri ad negotiationes ac mercimonia exercenda datam cenſum aliquem exigere; qui enim ad cenſus illos perſolvendos obſtricti ſunt, eosdem dare recuſarent, & pecunia aliena ſuum duntaxat quærerent ac pararent commodum, qui vero pecuniis abundant, proximo easdem utendas concedere renuerent, cum nulla compenſationis ſpes adpareat, qua ratione commercia & negotiationes generi humano non ſolum utiles, ſed & neceſſariæ impedirentur: unde Ferrarienſis in practica in form. libell. action. hypothec. verb. ſine aliqua uſurarum pag. 379. edit. vet. ſcribit, *mundum vix ſuſtineri, aut regi poſſe ſine uſuris*, id quod de cenſibus illis annuis, de quibus jam agimus, quos jurisconſulti uſuras licitas adpellant, non autem de uſuris verbo Dei damnatis accipiendum. Baldus in lib. I. C. de ſumm. Trinit. & conſ. 453. dicit, *expedire multos inveniri fœneratores, ne multi fame pereant*, id quod reſpectu ad extremam naturæ corruptionem habito forte non injuria ab ipſo pronunciatum videatur. Cumprimis vero huc referenda eſt novella Leonis 83. Cum enim imperator orientis, Baſilius, uſuras omnes penitus abrogaſſet, ipſius filius Leo hoc decretum parentis ſuſtulit propter incommodum in rempublicam ex eo redundans: *Parens noſter* (inquit) *æternæ memoriæ princeps, ſciens uſuras ubique a Spiritus decreto condemnari, uſurarum ſolutionem ſanctione ſua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius, quem tamen finem legislator propoſuerat, ſed contra in pejus vergit. Qui enim antea uſurarum ſpe ad mutuandam pecuniam promti fuerant, poſt latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere poſſint, in eos, qui pecuniis indigent, difficiles atque immites ſunt, quin etiam ad facile jurandum, quodque id fere conſequitur ad jusjurandum abrogandum id occaſionem præbuit. Breviter: propter redundantem in humana vita perverſitatem non modo non profuit legis virtus, verum etiam obfuit.*

Circumſtantiæ in pecuniæ elocatione reſpiciendæ.

§. CCXLI. Atque hæ ſunt præcipuæ noſtræ rationes, quibus permoti ſtatuimus, non eſſe abſolute & ſimpliciter cenſus illos pecuniæ elocatæ annuos inter damnatas uſuras referendos; interim tamen addimus, in hac pecuniæ quaſi elocatione reſpiciendas eſſe certas circumſtantias, utpote 1.) *conditionem perſonarum, quæ a nobis pecuniam accipiunt*, 2.) *ſummam pecuniæ datæ & tempus ſolutioni præſtitutum*, 3.) *cenſum annuum*, qui in ſtipulationem venit, 4.) *ſtatum perſonarum, quæ pecuniam erogant.* Circa *primum* nota, cavendum eſſe 1.) Ne ab illis cenſus annuus exigatur, qui pecunia mutuo accepta non utuntur ad negotiationes exercendas & lucra comparanda, ſed ad neceſſariam ſui ac ſuorum ſuſtentationem pecuniam a nobis expetunt, atque ipſam ſortem vix ac ne vix quidem reddere poſſunt. 2.) Ne exigatur ab illis, qui primum quidem ad negotiationes exercendas & lucra comparanda pecuniam a nobis petierunt, poſtmodum vero præter ſuam culpam caſibus fortuitis & inſperatis, puta incendio, naufragio, diuturniore morbo &c. in eam detruduntur inopiam, ut ſecundæ claſſis hominibus merito adcenſeri debeant, erga quos mutuum gratuitum exerceri debere, ſuperius diximus; quid quod (ut ſunt humana) contingere poſſit, ut tales negotiatores in primam detrudantur claſſem, eorum puta, quos eleemoſyna juvandos, ac quibus non ſolum cenſum, ſed & ſortem ipſam donandam eſſe docuimus? Si enim ex divite quis fit pauper, tum debeo etiam modum cum ipſo agendi mutare. Breviter dicendo, chriſtiana caritas ut omnium reliquorum, ita etiam hujus contractus directrix ac moderatrix ſtatui debet. Circa *ſecundum* nota, diſcrimen ſtatuendum *inter ſummam pecuniæ majorem & minorem.* Item *inter tempus brevius* ac *longius.* Exempli gratia, ſi quis florenum unum atque alterum ad ſpatium duorum, vel trium menſium abs te petat, ibi nolim auctor eſſe, ut cenſum propterea exigas; ſed ſi alius quispiam centum, ducentos, vel etiam mille florenos,

nos, & quidem ad anni unius, vel plurium etiam annorum spatium exigat, ut prædia ac fundos emat, ut negotietur ac lucretur, ibi propter rationes superius adductas in compensationem hujus officii jure censum aliquem legibus præscriptum exigi posse dicimus. Monendum interim, de pecuniæ summa majore vel minore judicandum non ἁπλῶς, sed συγχριτικῶς, respectu ad erogantem habito, nec *secundum arithmeticam*, sed *geometricam proportionem*. Fieri enim potest, ut recte monet Hunnius in comm. 2. Cor. VIII. p. 342. *ut aliquis tenuioris conditionis & sortis homo elocet florenos viginti, vel etiam pauciores, quæ pecunia eum sit pars substantiæ ejus, arbitror, integrum illi esse non minus, ac tibi de centum aut mille florenis quotannis inde accipere pensionem legibus definitam.* Circa *tertium* nota, censum debere esse moderatum ac legibus determinatum. Sic imperatoriæ leges statuunt pro usu centum florenorum quotannis quinque exigi posse, de cujus constitutionis æquitate b. Lutherus in admonit. ut ecclesiæ pastores usuras damnent, tom. VI. Witeb. Germ. f. 323. sic judicat: *So ist auch jetzo die Zeit nit, dass man mit fünf oder sechs Gülden aufs hundert Reichthum gewinnen könne, sonderlich wo die dürftigen Personen solche Zinsen nicht wiederum austhun, sondern zu ihrem täglichen Brod nöthlich brauchen müssen.* Vbi tamen denuo monet Hunnius d. l. *inter mercatores* non ita stricte observari, ne numerus in legibus præscriptus excedatur, quia enim mercator quispiam florenis centum aliunde mutuo sumtis beneficio negotiationis uno anno tantum potest lucrari, ut lucrum illud ipsam sortem adæquet, ideo ob spem tam luculenti quæstus non judicari iniquum, ut creditori suo de centum paulo etiam plus dependat, quam in vulgari elocatione receptum, præsertim cum lucrum illud cum suo creditore non partiatur. Circa *quartum* nota, inter eos, qui mutuum rogant, magnam esse differentiam, quidam sunt valde locupletes, atque ipsimet legitimis commerciis, vel operis & laboribus res suas conservare, & absque facultatum adtritione pecuniis mutuo dandis proximo indigenti succurrere possunt; quidam mediocribus divitiis adfluunt, interim tamen sine quotidiano substantiæ decremento illis uti nequeunt, quales sunt *pupilli, viduæ, senes, in otio literario viventes*, ad negotiationes exercendas minus idonei. Priores, si contractum illum exerceant eo fine, ut secure in otio vivere, genio indulgere, & absque ullo labore rem suam familiarem locupletare possint, parum interim soliciti, quid de debitore & proximo indigente fiat, minus recte agunt: monendi igitur sunt, ut cogitent, esse Dei voluntatem, *ut labores manuum suarum quisque manducet*, Psal. CXXVIII. 2. 1. Thess. III. 11. 2. Thess. III. 10. ac eleemosynam & mutuationem habere peculiares, easque amplissimas in verbo Dei promissiones, reliquos vero contractus includi generalibus promissionibus septimi præcepti, ac proinde studeant, ut eleemosynis potius & mutuo gratuito cum proximo agant, quam ut contractum illum annuorum censuum vel unice, vel præcipue instituant. Posteriores facilius merentur veniam, si pecunias suas negotiatoribus elocent, & ex censu annuo sese suosque sustentent.

§. CCXLII. Ex his facile adparet, quid ad argumenta eorum, qui census illos annuos absolute & simpliciter improbant, respondendum sit. Vrgent I.) *dicta vet. test. superius adnotata*: Exod. XXII. 25. Lev. XXV. 35. &c. in quibus usuræ *simpliciter* prohibentur. *Resp.* usuras in illis dictis prohiberi libenter fatemur, sed in quæstione adhuc est, an contractus ille, quo ob pecuniam elocatam pro centum florenorum usu quinque quotannis exiguntur, sit per se, absolute, simpliciter & semper ad usuras divina lege prohibitas referendus? id quod nondum argumentis evidentibus est evictum, sed contrarium potius ex adductis rationibus eluceſcit. Vt autem hæc responsio sit luculentior, notandum est, in dictis illis scripturæ agi *de vero mutuo* homi-

Argumenta eorum, qui simpliciter improbant census annuos.

1.) *Ex dictis vet. test.*

nibus secundæ classi superius a nobis adsignatis præstando, illud sua natura & semper debet esse *gratuitum*; ac proinde, qui a talibus personis, quibus mutui officium debetur, ultra sortem aliquid, quidquid tandem illud sit, exigit, vel accipit, usuras exercet, & contra divinam legem agit. Ambrosius lib. de Tobia cap. 14. pag. 347. *Et esca usura est, & vestis usura est, & quodcunque sorti accedit, usura est. Quod velis, ei nomen imponas, usura est.* Ex eo vero nondum evinci potest, omnibus, qui pecunias a nobis dari sibi petunt, mutuum illud gratuitum a nobis præstari debere, sed ad illos solum id pertinet, quos in secundam classem superius collocavimus. Quod vero attinet illos, qui sunt in tertia classe, hoc est, qui sunt opulentiores, & pecuniam a nobis petunt, non sublevandæ inopiæ suæ causa, sed ut negotientur, & quæstum faciant, ut fundos emant, & fortunas suas magis magisque augeant, cum illis licitum est non per mutuum gratuitum, sed per talem contractum agere, quo non solum ad sortis restitutionem, sed etiam officii nostri compensationem obligentur. Declaramus id exemplo satis claro & ex propinquo petito. Dicta scripturæ, quæ de eleemosyna ac beneficentia proximo præstanda agunt, satis clara ac perspicua sunt, cumprimis vero Christus universaliter pronunciat: *Da omni petenti*; Luc. VI. 30. ex eo vero inferri nequit, tales eleemosynas conferri debere omnibus omnino hominibus, etiam illis, quos superius in secundam ac tertiam classem collocavimus, quod enim a secundæ classis hominibus sortem repetere licitum sit ac concessum, *Siracides* XXIX. 2. & *exemplum Tobiæ* docet, Tob. IV. 21. sed debentur illæ iis duntaxat hominibus, quibus primam classem adsignavimus, hoc est, extreme pauperibus, qui ne ipsam quidem sortem reddere possunt. Pari ratione dicta scripturæ de mutuationis officio sunt satis perspicua, quod scilicet mutuum debeat esse gratuitum, & quod usuræ illicitæ nomine veniat, si quis *propter officium mutui* ultra sortem aliquid exigat; sed ex eo nondum colligi potest, hoc officium gratuiti mutui præstandum esse omnibus, adeoque etiam illis, qui in classe tertia locum obtinent, hoc est, qui nostra pecunia negotiantur, lucrantur, & fortunas suas luculenter augent, id enim si fieret, nec extreme pauperibus eleemosyna, nec indigentibus mutuum gratuitum tandem præstari posset, siquidem *cessat fontis defluxus, nisi ex altera parte adsit adfluxus.* Ac probe notandum, usuram verbo divino tam severe prohibitam non in mutuo solum statuendam, vel quærendam esse, sed veneni instar omnes contractus pervasisse. Testatur sane experientia, in pecuniæ mutuatione artes usurarias cumprimis animadverti, interim damnabilis illa usura *non solum in mutuo*, sed etiam *in emtione ac venditione*, aliisve contractibus locum habet, quando scilicet proximus defraudatur, quando contra jus & æquitatem, contra christianam caritatem in contractibus aliquid agitur, vel ut apostolus loquitur 1. Thess. IV. 6. si quis ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτῦ. Sic usurarium est, quando in contractu *antichreseos* pro modica pecunia mutuata totius fundi fructus accipiuntur, eaque ratione agricolæ ex possessionibus suis ejiciuntur, qualem ἀντίχρησιν Justinianus prohibuit. Usurarium est, quando in contractu *societatis* instituitur pactum de salvo capitali, etiamsi alter sine sua negligentia damno adfectus sit. Quemadmodum igitur ob usurariam pravitatem contractibus illis sæpius adhærentem non statim contractus ipsi repudiantur ac damnantur: ita quoque etiamsi in pecuniæ mutuatione usurariæ artes sæpius animadvertantur, non tamen propter ea contractus ipse, quo a divitibus & negotiatoribus ob annuum centum florenorum usum quinque census loco accipiuntur, tanquam usurarius & illicitus absolute, simpliciter & semper est damnandus.

§. CCXLIII. Cum hac sententiæ nostræ declaratione convenit responsum illorum, qui in legibus divinis usuræ oppositis eos duntaxat census prohiberi statuunt, *qui a pauperibus & egenis cum ipsorum onere & oppressione tantum*

tantum propter officium mutui exiguntur, quam reſtrictionem ac limitationem neceſſario hic ſubintelligendam eſſe probatur 1.) Ex *adpellatione*: Vſura illa, quam Deus lata lege prohibet, vocatur נֶשֶׁךְ, Deut. XXIII. 19. Pſal. XV. 5. *a morſu ac corroſione*, radix נָשַׁךְ uſurpatur *de morſu ſerpentis* Num. XXI. 9. Prov. XXIII. 32. Amos V. 19. ut denotetur, illud demum prohibitæ uſuræ adpellatione accipiendum, quo proximi indigentes mordentur, corroduntur ac conſumuntur, quales morſus ac corroſiones emphaticis verbis deſcribuntur Mich. III. 3. *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum ab eis nudaverunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete & ſicut carnem in medio ollæ.* Deinde dicitur מַשֶּׁה a radice נָשָׁה *fœnori dedit, mutuum dedit*, quando ſcilicet cum ב ponitur, Deut. XXIV. 10. Eadem radix Ezech. XXXIX. 26. ſignificat *portavit, geſtavit*, ut ea demum uſura prohibita intelligatur, qua proximus oneratur & gravatur, id quod neutiquam fit in cenſibus annuis, qui a negotiatoribus & illis, qui pecunia noſtra multum lucrantur, propter uſum illius exiguntur. Quamvis vero alibi de uſura accipiatur vocabulum מַרְבִּית ac הַרְבִּית a radice רָבָה, quæ in genere *multiplicationem & abundantiam* ſignificat, in Targ. ריבית unde hodiernum Judæorum *ribis* Deut. XXIII. 21. Prov. XXVIII. 8. Ezech. XVIII. 8. in Chald. חִבּוּל *fœnus*, a radice חִבֵּל, *parturivit, peperit*, ſicut τόκος a τίκτω, quia nummus nummum parit, Exod. XXII. 25. ex quo aliqui colligunt, omne illud, quod ultra ſortem in quacunque pecuniæ mutuatione, vel elocatione accipitur, uſuræ nomine prohiberi; tamen ex adpellationibus reliquis & ex ſequentibus limitationis hujus fundamentis conſpicuum, eam duntaxat ſuperabundantiam prohiberi, qua indigentes exhauriuntur, gravantur & onerantur.

§. CCXLIV. 2.) Ex *objecti determinatione*; In plerisque enim dictis uſuras prohibentibus mentio fit *egeni* ac *pauperis*, a quo ultra ſortem propter mutui officium non ſit aliquid exigendum. Exod. XXII. 25. *Si argentum mutuaveris populo meo, pauperi tecum*, (הֶעָנִי adflicto, oppreſſo, tenuioris & adflictioris fortunæ, ubi nota ה hajedia eſſe inſtar cujusdam determinationis) *non eris ei ſicut uſurarius*, כְּנֹשֶׁה, Lutherus vertit: *du ſolt ihn nicht zu Schaden dringen*, hoc eſt, non eris exactor nimis rigidus, ut magno ſuo cum detrimento eogatur tempore conſtituto præciſe mutuatum argentum reddere, *non ponetis ſuper eum uſuram*, נָשֶׁךְ, mordentem & rodentem. Lev. XXV. 35. *Cum adtenuatus fuerit frater tuus*, (in Hebræo eſt verbum מוֹךְ, *depulſus, dejectus*, ad inopiam redactus fuit. Targum: יִתְמַסְכַּן, *pauper factus fuit*) & *nutaverit manus ejus tecum* (מוֹט *loco motus eſt*, vacillavit, ſubverſus eſt: Targum: וְתִנּוּט, & *mota fuerit manus ejus tecum*, hoc eſt, ſi extendit manum ſuam, ut eam adprehendas, & auxilium tuum experiatur. Lutherus: *Wenn dein Bruder verarmet, und neben dir abnimmt.* LXX. interpretes ἐὰν πένηται ὁ ἀδελφός σε ὁ μετὰ σὲ καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶ παρά σοι, *ſi manus ejus fuerint impotentes & imbecilles ad laborandum, negotiandum & lucrandum, wenn er mit leerer Hand kömmt*) *corroborabis eum, advena & peregrinus* ſcilicet *es*, (hoc eſt, memento te quoque peregrinum & advenam eſſe reſpectu ad Deum habito, ſicut v. 23. quoniam *peregrini & advenæ vos ad me.* Lutherus reddidit in adcuſativo, *du ſolt ihn aufnehmen als einen Fremdlingen, oder Gaſt.* Secutus LXX. interpretes: ἀντιλήψῃ αὐτὲ ὡς προσηλύτε καὶ παροίκε, ſed ſupra בּוֹ præcedens eſt accentus regius *Sakeph katon*, inciſum majus conſtituens) *ut vivat tecum.* v. 36. *Ne accipias ab eo uſuram & incrementum*, מֵאִתּוֹ, *a cum eo*, hoc eſt, quando cum ipſo per mutuum agis, non accipies נֶשֶׁךְ, וְתַרְבִּית, & *timebis a Deo tuo, ut vivat frater tuus tecum.* v. 37. *Argentum tuum non dabis ei ad uſuram, & ad incrementum non dabis ei cibum tuum*; ex quo luculenter adparet, in lege divina id demum uſuræ loco haberi, quod a fratre paupere & adtenuato accipitur, quove

proximus ita gravatur, ut vitæ ſuſtentandæ neceſſaria non amplius habeat. Quamvis igitur in reliquis dictis non fiat expreſſa pauperis mentio; tamen ex hoc loco, tanquam ex propria ſede, eorum explicatio petenda & per reliqua ſcripturæ dicta deducenda eſt.

§. CCXLV. 3.) Ex *addita explicatione*: Locis aliquot ſcripturæ ſacræ uſuram prohibentibus ſtatim ἐξηγητικῶς additur, quidnam uſuræ nomine veniat? tale ſcilicet incrementum ac talis ſuperabundantia, quæ dantem gravat, onerat, opprimit & conſumit. Exod. XXII. 21. *Peregrinum non populabis* (*non inferes vim peregrino*, עָנָה, adflixit, oppreſſit, deprædatus eſt.) v. 25. *Si argentum mutuaveris populo meo pauperi tecum, non eris ei uſurarius, nec ponetis ſuper eum uſuram.* (tanquam onus quoddam premens & urgens) Levit. XXV. 36. *Non accipias a fratre tuo uſuram & incrementum.* Lutherus vertit *Ueberſatz.* Pſal. CIX. 11. *Illaqueet fœnerator omnia, quæ ſunt ei*, יְנַקֵּשׁ, quidam deducunt a יָקַשׁ, *illaqueavit, irretivit*: quidam a וָקַשׁ, *concuſſit, proſtravit.* Targum יְגַבֵּב, *colligat.* LXX. interpretes: ἐξερευνησάτω, *ſcrutetur*, acceperunt pro יְבַקֵּשׁ propter literarum נ׳ב ſimilitudinem. Lutherus: *Der Wucherer müſſe ausſaugen alles, was er hat.* Ezech. XVIII. 8. *Vir, qui cum uſura non dederit, & amplius non acceperit.* Lutherus reddidit: *der niemand überſetzet, qui ab iniquitate averterit manum ſuam, is vivendo vivet.* c. XXII. 12. *Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti, & fraudabas ſocios tuos in oppreſſione.* In his & ſimilibus dictis uſura deſcribitur per oppreſſionem, onerationem, facultatum proximi diminutionem, quæ deſcriptio non competit cenſibus illis annuis, de quibus hoc loco agimus.

§. CCXLVI. 4.) Ex *naturalis æquitatis & mutuæ caritatis conditione:* Summa totius ſecundæ decalogi tabulæ proponitur in illa authentica Chriſti Matth. VII. 12. *Quidquid vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite etiam ipſis, hæc eſt lex & prophetæ*; conſiſtit enim omnium præceptorum ſecundæ tabulæ ſumma in dilectione proximi: Rom. XIII. 10. πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη. v. 8. *Qui proximum diligit, legem implevit.* v. 9. *Hoc enim: Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non dices falſum teſtimonium, non concupiſces, & ſi quod aliud mandatum, in hoc verbo* ἀνακεφαλαιοῦται, *recapitulatur & inſtauratur: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Idem docet Chriſtus Matth. XXII. 39. Jam vero demonſtratum eſt ſuperius, nequaquam cum naturali æquitate, vel chriſtiana caritate pugnare, ſi in certis quibusdam caſibus, ab iis ſcilicet, qui pecunia noſtra plurimum lucrantur, pro ejus uſu cenſus aliquis moderatus ac legibus definitus exigatur. Ergo prohibitio uſurarum in lege divina propoſita juxta hanc normam æquitatis & caritatis explicanda, ne eam evertat, ſed potius ſtabiliat. Nec eſt, quod quis obvertat, *quemadmodum in fidei articulis non debemus ſequi dictamen humanæ rationis, ſed claram literam divinæ revelationis*, 2. Cor. X. 5. *& quemadmodum in cultu divino verbo Dei non debemus noſtro arbitrio aliquid addere vel detrahere, ſed ſimpliciter verbo inhærere*; Deut. IV. 9. Num. XV. 39. Eſa. XXIX. 13. Matth. XV. 9. *ita quoque in prohibitoriis mandatis uſuræ oppoſitis non eſſe audiendum, quid ratio noſtra æquitati naturali & chriſtianæ caritati congruum judicet, ſed inhærendum claræ literæ, quæ omne omnino incrementum & omnem ſuperabundantiam prohibet*; eſt enim evidens diſcrimen inter fidei articulos, qui, cum ſint ἀκατάληπτα μυστήρια, omnem humanæ rationis captum excedunt, & inter contractus ad humanam & civilem vitam pertinentes, de quibus ex lumine naturæ judicium fieri poteſt, unde Chriſtus ipſe deducit nos ad regulam juris naturalis omnium hominum mentibus inſcriptam atque inſculptam, & ſecundum eam de talibus contractibus judicium ferri permittit. Pari ratione magnum diſcrimen eſt inter dilectionem Dei & cultum divinum in prima decalogi tabula præſcriptum, & inter dilectionem proximi in ſecunda decalogi tabula mandatam; norma

norma dilectionis divinæ ac cultus Deo debiti non potest peti ex naturæ lumine, sed de dilectione proximi ex naturali æquitate judicari potest. Quod si quis in istis usurarum prohibitionibus literæ simpliciter inhærere, atque ex ea inferre velit, in nullo plane casu licitum esse, ob usum pecuniæ mutuo datæ censum aliquem exigere, ac prohibitæ usuræ adpellatione venire omne id, quod ultra sortem accipitur, si vel maxime proximus eo non gravetur, cogitur, ex prohibitione de non mentiendo pari ratione elicere, quod nullo plane casu licitum sit aliter loqui, quam res ipsa se habet, ac prohibiti mendacii adpellatione venire illud omne, quod in sermone non consentit cum re ipsa, si vel maxime proximus eo non lædatur, nec decipiatur, quod tamen ipse Chemnitius & alii theologi non concedunt. Quare ut ex illis dictis, quæ in genere prohibent mendacium, non est inferendum, omne illud mendacii nomine venire, quod in sermone cum re non convenit, sed ad definitionem mendacii ex norma caritatis, quæ est finis legis, necessario addendum, quod id demum sit mendacium prohibitum, *si falsum proferatur cum voluntate seu intentione decipiendi*, docente Chemnitio part. II. locor. cap. *de lege Dei in explicat. octavi præcepti* pag. 235. ita quoque ex illis dictis, quæ in genere prohibent usuras, non potest, nec debet inferri, omne illud usuræ nomine intelligendum, quod in pecuniæ usu alteri concesso ultra sortem accipitur, sed ad definitionem usuræ ex eadem caritatis & æquitatis norma necessario addendum, quod ea demum sit usura prohibita, quando aliquid ultra sortem accipitur cum detrimento & oppressione proximi.

§. CCXLVII. 5.) Ex *paritatis ratione*. In scriptura non est infrequens, absolute & simpliciter uno in loco aliquid mandari, vel prohiberi, cui tamen ex aliis scripturæ locis quædam restrictio est addenda. Sic Luc. VI. 30. Christus in genere præcipit: *Da omni petenti*; interim cum certa limitatione hoc accipiendum, da omni petenti, scilicet *indigenti*, da pro *ratione tuarum facultatum &c.* quod si quis præceptum illud Christi, ita nude ac crude velit intelligere, dandum esse cuivis petenti, quidquid a nobis postulet, quæcunque tandem sit vel nostra, vel ipsius conditio, is præcepto Christi pessime abutetur, sicut faciebant Gnostici, qui proximi uxorem de stupro solicitantes dicebant: *Scriptum est, da omni petenti.* Sed ut propius ad propositum nostrum accedamus, adducimus locum Ezech. XVIII. 8. ubi inter descriptionem viri pii, justi ac Deo placentis inter cætera etiam hoc refertur, *quod proximo suo reddat pignus*, id vero non potest absolute & simpliciter eo sensu accipi, quasi nullo modo licitum sit, pignus a proximo accipere, sed juxta explicationem in divina lege traditam intelligendum est de tali pignore, quo proximus egenus non potest carere. Exod. XXII. 26. *Si pignorando pignoratus fueris vestimentum proximi tui, cum occubuerit sol, restitues illud ei.* v. 27. *Quia est operimentum ejus, tantum illud vestimentum est pelli suæ, in quo dormiat.* Deut. XXIV. 17. *Non capies in pignus vestimentum viduæ.* Eodem sensu accipienda est prohibitio usuræ, de tali scilicet abundantia & incremento, quod cum damno & oppressione egeni exigitur ac postulatur.

§. CCXLVIII. Atque hæc sunt præcipua fundamenta, quibus demonstramus, mandatum de non accipiendis usuris certa ratione limitandum, nec *simpliciter & absolute* ad quoscunque census, qui in contractu elocatæ pecuniæ exiguntur, referendum esse. Quidam alia fundamenta addunt, quæ non sunt ejusdem roboris ac momenti. 1.) Est, qui ex Gen. XLVII. 24. tale nectit argumentum: *Sicut agri Ægyptiorum proprii erant Pharaonis, ille vero pensionem quintæ portionis de frugibus jure exigit: sic iniquum non est, si pro quinquies denorum florenorum usu annuo quinque accipiantur, est enim quintæ partis fructuum emtio. Ergo contractus ille, quo pro centum florenis quinque dantur in annum, non*

est

est a pietate alienus, nec sola nititur imperiali constitutione, sed exemplum habet in sacris literis, & ab usurariis artibus est separandus. At, ut prætermittamus diversitatis rationes, quæ notari possunt complures, ex hac comparatione colligere aliquis posset, si pro quinquies denorum florenorum usu annuo quinque licet accipere, utique pro decies denorum, hoc est, centum florenorum usu quotannis licebit accipere decem, id quod tamen in contractu emtionis redituum tanquam usurarium reprobatur.

§. CCXLIX. 2.) Quidam proferunt legem divinam Deut. XXIII. 20. *Extraneo fœnaberis, & fratri tuo non fœnaberis;* ex quo colligunt, prohibitionem usurarum non esse simpliciter & absolute accipiendam, sed cum certa quadam limitatione ac restrictione, ne scilicet cum detrimento & oppressione proximi usuræ exigantur, quam limitationem existimant addi Exod. XXII. 21. *Peregrinum non populabis & non opprimes eum, quia peregrini fuistis in terra Ægypti.* Sed huic argumento variis modis respondetur. Hieronymus in comment. Ezech. XVIII. per distinctionem temporum respondet: *In principio legis a fratribus tantum fœnus tollitur, in propheta ab omnibus usura prohibetur. In evangelio virtutis augmentum est præcipiente Domino: Fœneramini his, a quibus non speratis recipere.* Sed hypothesis illa repugnat perfectioni divinæ legis. Chemnitius part. II. locor. theol. p. 434. ex Gersone distinguit *inter permissionem civilem & theologicam*, item, inter *jus fori* ac *jus poli. In vet. test.* (inquit) *Moses fuit & theologus & legislator, alibi enim tradit, quomodo serviendum sit Deo in justitia & sanctitate, alibi vero pro externa societate vitæ civilis in republica Israëlitica certas quasdam politicas constitutiones isti populo præscribit, hoc est, tractat de jure fori & de jure populi, ordinat forum politicum & forum conscientiæ. In legibus autem politicis, quas Deus populo Israël dedit, non semper justitia & sanctitas conscientiæ coram Deo præscribitur, sed sunt adcommodatæ ad conservationem externæ & civilis societatis in illa politia, pro conditione ingeniorum & morum istius populi, cui Deus ipse tribuit epitheton duræ cervicis. Quia igitur leges forenses Deus præscribebat politico magistratui, quæ vitia, quibus civilibus pœnis punienda forent, vidit fieri non posse, ut effrenata hominum malitia ex toto compesceretur legibus civilibus per pœnas politicas. Vt ergo in civili societate istius populi pejora vitarentur mala, neve erga domesticos fidei exerceretur usura, non quidem adprobavit, sed forensi & politico fine toleranda permisit hactenus, quod per magistratum civilem non puniebantur &c. hoc modo usura in vet. test. permittitur civiliter, damnatur autem theologice in conscientia coram Deo.* Alii respondent hoc modo: *Vsuram erga extraneos ibi nec præcipi, nec permitti, sed quia scriptura vult, ut omnes homines agnoscamus proximos, sensum esse, erga quemcunque usuram exerces, illum non tractas ut fratrem & proximum, sed ut hostem.* Lutherus in lib. contra Judæos respondet, *duo esse Judæorum genera, quidam sunt Judæi Moysis, quos scilicet Deus per Mosen ex Ægypto in terram Canaan introduxit, ac legem illis dedit in terra ista servandam, donec veniret Messias: quidam vero sunt Judæi cæsaris, non Mosis, quorum scilicet majores coram Pilato dixerunt:* Non habemus regem, nisi cæsarem; *ad illos non pertinere hanc legem, sed si ea utifrui velint, in terram Canaan ipsis esse redeundum.* Anton. Margarita in libr. de fide & relig. Judæorum respondet, *in lege divina semper præmitti, si in præceptis meis ambulaveris, alieno fœneraberis,* ac Deut. XXVIII. 43. *adversativam addi; Si non ambulaveris in præceptis meis, peregrinus mutuabit tibi, jam vero hodierni Judæi non ambulant in reliquis Dei præceptis, ergo non debent frui beneficio hujus legis de usuris.* Hotomannus lib. II. de usuris cap. 3. respondet, *ideo licuisse Judæis ab extraneis accipere usuras, quod ipsi quoque a Cananæis gratuitam pecuniam mutuo non habebant, sed usuras solvere cogebantur, lege*

igitur

igitur talionis idem fuisse ipsis concessum. Hunnius in comm. 2. Cor. VIII. distinguit inter extraneos: *Quod olim* (inquit) *concessa fuit Israëlitis usura ad extraneos, non indifferenter id indultum de quibusvis extraneis populis est accipiendum, sed de iis, in quorum medio habitabant Israëlitæ, quales fuerunt gentes Cananææ, quæ cum alioquin fuerint judicio Domini destinatæ ad exitium, propter abominationes, quas fecerant in terra, & earum facultates una cum tota illa regione, vi juramenti divini, spectarint ad populum Dei, & vero Cananæi non simul & semel expelli, vel exterminari quiverant, ideo Dominus inter reliqua media etiam hoc concesserit Israëlitis, ut possessiones eas, quæ alioquin ipsis decretæ fuerant, hoc interveniente medio a Cananæis tanquam hostilibus injustis possessoribus ad se traducerent, quæ res hodie in exemplum trahi nec potest, nec propter diversitatis rationem debet.* Convenit hæc responsio cum ea, quam tradit Ambrosius in lib. de Tobia c. 15. p. 348. *Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amoræus, nisi hostes? ibi,* inquit, *usuram exige. Cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicantur usuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centesima te vindicare. Ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius & exactor inimici. Ergo, ubi jus belli, ibi etiam jus usuræ.* Quidquid sit de explicatione hujus loci, de quo inferius plura dicemus, ad stabiliendos census illos annuos parum roboris in eo esse dicimus.

§. CCL. 3.) Petrus a Well. in tract. de usuris c. 4. fac. b. edit. Colon. adducit parabolam Christi Matth. XXV. 26. ubi Dominus ad servum, qui talentum in terra absconderat, dicit: *Serve nequam & piger, oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens recepissem, quod meum, cum usura*; ex quo colligit, non omnem usuram simpliciter esse prohibitam. Sed præterquam, quod ex parabolis & similitudinibus non ducantur firma argumenta, promte responderi potest, distinguendum esse *inter rem*, ac *rei modum*. Christus non adprobat usurarias artes, quibus pecuniam & facultates suas avari augent, sed lucrum & incrementum pecuniæ in rebus spiritualibus imitandum nobis proponit, atque eo unice spectat, quod thesauro verbi divini & donorum spiritualium nobis concredito in ecclesia negotiari & lucrari debeamus, perinde ut Luc. XVI. 8. nequaquam nobis commendat fraudes & furta, sed prudentiam œconomi, quam in spiritualibus rebus imitandam nobis ob oculos proponit. Non probat Christus usuram in lege Dei prohibitam, sed rationem lucri faciendi, quæ in vita communi quotidie conspicitur in pecunia ad exercenda commercia & negotiationes adhibita, tanquam omnibus notam adsumit; eamque ad suum propositum explicat. Chrysostomus hom. XLI. in Genes. *Vide misericordiam Dei. In his sensibilibus pecuniis prohibuit, ne quis usuram acciperet. Quare & ob quam causam? quia uterque magno damno adficitur. Nam debitor quidem inopia adteritur, creditor autem augens divitias etiam peccatorum adcumulat sibi multitudinem &c. in spiritualibus autem repetiturum se promittit usuras. Quare? quia omnino diverso modo se habet spiritualis usura & sensibilis. Illic enim, a quo requiritur severiter, subito in extremam inopiam defertur, hic autem, a quo exigitur, quando gratitudinem præ se tulerit, quanto majorem usuram adfert, tanto majori fruetur remuneratione.*

§. CCLI. Contenti igitur sumus fundamentis superius pro nostra sententia adductis & generali illa responsione, quod dicta vet. test. usuras prohibentia agant de officio mutui indigentibus gratis præstando, ita ut præter sortem cum ipsorum detrimento & oppressione nihil ab illis exigatur. Coronidis loco addimus, si vel maxime evinci posset, dicta illa vet. test. in quibus usuræ damnantur, esse *plane generalia*, & sensu eo accipienda, quod in nullo plane casu, nec ab illis, qui pecunia no-

ſtra plurimum lucrantur, & commoda ſua parant, quidquam ultra ſortem accipiendum ſit, id quod tamen nondum eſt evictum & comprobatum; tamen *morale* a *forenſi* & *judiciali* in illis legibus adcurate eſſet diſtinguendum. Morale, ſive genus, pertinet ad omnes homines, tam nov. quam vet. teſt. forenſe autem, ſeu judiciale, cum ſit ſpeciale, ad politiam Judaicam duntaxat ſpectat. Morale foret, in contractibus & commerciis, in emtione, venditione, mutuo &c. cavendam eſſe πλεονεξίαν, injuſtitiam & uſuras illicitas, atque id etiamnum hodie in nov. teſt. nos obligat; forenſe, ſeu judiciale foret, quod ex pecunia mutuo data nihil quidquam a proximo ultra ſortem ſit accipiendum, id, quia ad Judaicam politiam unice ſpectaret, nos in nov. teſt. non amplius obligaret. Quod ſi enim circumſtantias exacte ponderamus, adparebit diſcrimen evidens inter politiam Moſaicam ac noſtras. Judæi peculiari lege prohibebantur poſſeſſiones ſuas per venditionem in perpetuum abalienare: Levit. XV. 10. *Sanctificabitis annum quinquageſimum, & prædicabitis libertatem in terra cunctis habitatoribus ejus, jubilæus ipſe erit vobis, & revertimini unusquisque ad poſſeſſionem ſuam.* v. 15. *Secundum numerum annorum poſt jobel emes a proximo tuo, ſecundum numerum annorum proventuum vendet tibi.* Proinde emtor non erat hæreditarius ac perpetuus prædiorum ac fundorum, agrorum puta, vinearum &c. poſſeſſor, ſed tantum uſufructuarius, quia percipiebat duntaxat fructus rei emtæ usque ad annum jubilæum, in quo absque ulla pretii refuſione ad priſtinum poſſeſſorem bona illa immobilia redibant. Erat inſuper alia quædam conſtitutio de debitis quovis ſeptimo anno fratri remittendis. Deut. XV. 1. *Septimo anno facies remiſſionem, quæ hoc modo celebrabitur*: v. 2. *Cui debetur aliquid a proximo & fratre ſuo, repetere non poteſt, quia annus remiſſionis eſt Domini.* v. 3. *A peregrino exiges, a fratre vero repetendi non habes poteſtatem.* v. 4. *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* Quod ſi fuiſſet Judæis licitum a fratre propter pecuniam mutuo datam cenſum annuum exigere, ſex annis prioribus cenſus tantos ac tam immoderatos exegiſſent, ut ad ipſam ſummam ſeptimo anno adſurrexiſſent, atque ut debiti remiſſio absque ullo proximi egeni levamento fuiſſet facta, qua ratione legislator finem hujus ſuæ conſtitutionis, ne ſcilicet *ſit mendicus in Iſraël*, nequaquam obtinuiſſet. Pari ratione, ſi cenſum annuum ex pecunia mutuata accipere Judæis licitum fuiſſet, non minus quoque prior illa diſpoſitio de poſſeſſionibus in anno jubilæo poſſeſſori, qui eas olim vendiderat, ſine ulla pretii refuſione reſtituendis, locum & effectum obtinere haudquaquam potuiſſet; quilibet enim potius pecuniam ſub uſuris proximo dediſſet, quam fundos ejus emiſſet, quippe quas hæreditario in perpetuum poſſidere ob diſertam legis prohibitionem non poterat, quin & de fructibus annuis interea percipiendis admodum dubius erat. Proinde ne Judæorum avaritia conſtitutionibus divinis de fundis in anno jubilæo venditori reſtituendis ac de debitis in anno ſabbatario remittendis fraudi eſſet, abſolute ac ſimpliciter ipſis interdictum videri poſſit, cenſum aliquem propter pecuniam mutuo datam a fratre, hoc eſt, ab Iſraëlita exigere; viciſſim vero ne putetur tanquam *morale* & in genere omnibus interdictum, ideo conceſſum ipſis fuit ab alienigena cenſus pecuniarios exigere, ex quo fundamento deduci poteſt conciliatio illarum legum, quæ prima fronte invicem pugnare videntur. Deut. XXIII. 20. *Extraneo fœnerabis,* לַנָּכְרִי תַשִׁיךְ, *& fratri tuo non fœnerabis.* Exod. XXII. 21. *Peregrinum non populabis,* גֵּר לֹא תוֹנֶה, *& non opprimes eum.* Quidam exiſtimant priori lege permiſſum, moderatas uſuras ab extraneo & peregrino accipere, poſteriori vero interdictum immoderatas, illicitas & injuſtas uſuras ab eodem exigere. Sed quia in priori loco itidem eſt verbum נָשַׁךְ, quod ſignificat uſuris proximum mordere & arrodere, ideo ex objecto prohibitionis rectius petitur diverſitatis ratio. נָכְרִים in ſcripturis dicuntur *alienigenæ & genti-*

gentiles Jud. XIX. 12. quos apostolus sic describit Eph. II. 12. quod fuerint ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τῦ Ισραηλ. גרים dicuntur *proselyti*, qui ex gentibus quidem oriundi erant, interim tamen Israëliticam religionem amplectebantur, & in politiam Judaicam recipiebantur; Exod. XII. 49. Deut. XIV. 21. & 29. eorum aliqui habitabant in medio Israëlitarum, qui vocabantur *proselyti portæ*, quidam vero in regionibus procul dissitis, qui quotannis ad festa solemniora Hierosolymam veniebant. Act. II. 5. VIII. 27. Permittitur igitur Judæis, ut fœnerentur extraneo, sed prohibentur interim peregrinum populari & opprimere, hoc est, permissum ipsis erat usuris exsugere & exhaurire extraneos propter causam superius expositam, quia scilicet exitio devoti erant, sed prohibentur eas exercere erga peregrinum e gentilitate quidem oriundum, interim Judaicam religionem amplexum, quia lex de usuris a fratre non exigendis generalis est, concernens non solum eos, qui ratione originis erant fratres, sed illos etiam, qui professione ejusdem religionis fratres erant.

§. CCLII. Ergo si vel maxime ex hypothesi concederemus, Israëlitis absolute & simpliciter prohibitum fuisse usuras justas & moderatas, hoc est, census annuos ob usum pecuniæ mutuatæ a fratre exigere, tamen in prohibitorio illo mandato forense & judiciale a morali distinguendum omnino esset, id quod hac ratione demonstramus: Quodcunque Israëlitico populo interdicitur, cum tamen in se ac per se non pugnet cum naturali æquitate & fraterna caritate, illud non pertinet ad legem moralem, qua omnes populi etiam in nov. test. obligantur, sed ad legem forensem & judicialem, quæ Israëlitas duntaxat obligavit. Atqui in certis quibusdam casibus non pugnat eum naturali æquitate & fraterna caritate, censum annuum ob pecuniam proximo erogatam ab eodem accipere, ut superius fuit demonstratum. Ergo si vel maxime Israëlitico populo interdictum id fuisset, tamen speciale ac forense διάταγμα foret, non autem legis moralis particula. Quemadmodum igitur Chemnitius part. II. locor. cap. de imaginibus pag. 150. censet, *præceptum de non habendis, vel fabricandis imaginibus esse partim morale, partim cerimoniale*; morale esse, quod universaliter prohibitæ sint imagines, quæ manifeste præ se ferunt ethnicam superstitionem & manifestam impietatem cum verbo Dei pugnantem. Item imagines qualescunque, quæ quoquo modo prostant ad cultum & adorationem, quod prohibitum sit adorare & colere sculptilia, hoc est, habere ea pro Deo, vel tribuere illis cultum soli Deo debitum &c. Cerimoniale esse, quod propter proclivitatem populi Israëlitici ad idololatriam Deus omnino illis interdixerit fabricationem & usum imaginum quarumcunque templo inferendarum; morale ad omnes homines, cerimoniale ad Judæos duntaxat pertinere, morale ad vet. & nov. cerimoniale ad vet. test. duntaxat pertinere: ita quoque eodem jure possemus dicere, si vel maxime mandatum de usuris omnes census ob pecuniæ usum datos prohibeat, illud tamen esse partim *morale*, partim *forense*, morale esse, ne in exigendis, vel accipiendis illis censibus proximus gravetur, oneretur & opprimatur; forense esse, ne a proximo quidquam ob pecuniæ erogatæ usum census loco accipiatur; prius est generale omnes omnino homines obligans, posterius vero speciale ad solos Judæos pertinens, quibus ob proclivitatem ad avaritiam, fraudes & proximi oppressionem id erat interdictum, perinde ut in lege mutui de debitis quovis septimo anno proximo remittendis Deut. XV. 2. forense a morali distingui debet; forense est, quod omnia omnino debita fratri erant remittenda, illud ad Israëliticam duntaxat politiam pertinebat: morale est, quod ratione indigentiæ proximi habita mutuum debeat esse gratuitum, item, quod debitum proximo sit condonandum, si præter suum meritum ad inopiam redigatur.

§. CCLIII. Atque hæc dicta sint de legibus divinis vet. test. in quibus usuræ absolute & simpliciter prohibentur, quas primo loco semper urgent, qui census annuos lege imperiali concessos penitus damnant.

2.) *Ex dicto Christi Luc. VI. 35.*

II.) Proferunt dictum Christi Lucæ VI. 35. ἀγαθοποιεῖτε καὶ δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες, *benefacite & mutuum date nihil inde sperantes*; ex quo apodictice colligi posse existimant, ultra sortem nihil quidquam in officio mutui a proximo exigendum. Sed breviter respondemus, ex tota serie & contextu hujus loci patere, quod Christus loquatur *de mutuo eleemosynario*, ac proinde nequaquam tollat contractus civiles juri naturali congruentes, id quod ex analysi textus demonstrandum. Apud evangelistam Lucam verba Christi sic habent: v. 33. *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis gratia, siquidem etiam peccatores hoc faciunt?* v. 34. *Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis vos recepturos, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus dant mutuum, ut paria recipiant,* ἵνα ἀπολάβωσιν τὰ ἴσα. v. 35. *Veruntamen diligite inimicos vestros, benefacite & mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra copiosa &c.* Ex antithesi sole clarius elucescit, Christum nequaquam loqui *de mutuo officioso*, in quo certa pecuniæ summa proximo datur ea lege & conditione, ut constituto tempore eamdem, & sic τὰ ἴσα reddat; sed *de mutuo eleemosynario*, in quo ipsa sors egenti proximo donatur, ut nihil plane redeat ad creditorem, qui pecuniam proximo erogavit. Nam de peccatoribus dicit, quod mutuum officiosum exerceant, hoc est, quod dent illis mutuum, a quibus sperant se recepturos; sed a piis & christianis altiorem aliquem beneficentiæ & caritatis gradum exigit, jubet ipsos mutuum dare etiam illis, a quibus nihil sperare possunt, hoc est, ubi de sorte in dubio versantur, ac periculum subest, ne pecunia mutuo data perpetuo carere cogantur. Apud Matthæum cap. V. 39. eadem Christi concio verbis paululum diversis sic describitur: *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* v. 40. *Et qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte illi & pallium.* v. 41. *Qui te angariaverit ad mille passus, vade cum illo & alia duo.* v. 42. *Qui petit a te, da illi, & volentem a te mutuare, ne averseris;* ubi ex præcedentibus verbis manifeste colligitur, de mutuo non ἁπλῶς & absolute, sed συγκριτικῶς & comparate Christum loqui. Vt enim antecedentia mandata hunc exhibent sensum, satius esse alteram etiam maxillam percutienti obvertere, quam privatam vindictam exercere & repercutere; præstabilius esse, ut una cum tunica etiam pallii jacturam quis faciat, quam ut contentionis studio judicium cum altero quis experiatur; consultius esse, ut quis in gratiam proximi duo milliaria vadat, & sic officium conduplicet, quam ut caritatis officio desit, & petitionem unius milliaris simpliciter recuset: sic & posterius illud membrum non absolute, sed *comparate* accipiendum, præstabilius scilicet esse, pauperibus in communi vita sic dare mutuum, ut non modo nihil ultra sortem accipias, sed de sorte ipsa quoque, si res ita postulaverit, periclitari malis, quam ut fratrem subsidii tui indigum hoc officio plane destituas. Censura facultatis juridicæ Tubingensis in controv. Ratisbonens. de usuris, Hunnius in comment. 2. Cor. VIII.

§. CCLIV. *At*, inquis, *si vi & vigore hujus mandati christianus obstrictus est ad mutuum eleemosynarium, hoc est, ut mutuo det etiam illis, a quibus ne quidem ipsam sortem reddendam sperare potest, multo magis obstrictus erit ad mutuum gratuitum, hoc est, ut mutuo det, & ultra sortem nihil quidquam exigat, vel accipiat.* Resp. ex illis, quæ superius adlata sunt, liquido constat, hoc mandatum non de omni hominum genere simpliciter & absolute accipiendum esse, quasi absque ullo discrimine omnibus sit dandum; sed duntaxat de duplici hominum genere, videlicet *primo* de illis, qui jamdum sunt egeni, atque

que ita quidem egeni, ut ne quidem ipsam sortem absque extremo suo damno reddere possint, illis mutui officium non est hoc prætextu denegandum: *secundo* de illis, qui eo quidem tempore, quo mutuum a nobis petunt, ea facultatum conditione fruuntur, ut sortem possint reddere, postmodum vero vel incendiis, vel naufragio, vel morbis, aliisve casibus in eum detruduntur inopiæ gradum, ut sortem absque extremo detrimento reddere nequeant, ubi omnino locum obtinere debet hoc Christi præceptum: *Mutuum date nihil inde sperantes.* Homines mundani, vel ut Christus hic loquitur, *peccatores*, pecuniam mutuo daturi sedulo providebant, ne illis dent mutuum, a quibus sortis periculum impendet, quamvis illi eo officio vel maxime indigeant; sed christianus ad hoc mutui officium semper debet esse promtus, ac si vel maxime de sorte periclitetur, Deo rem commendet, nec propterea animo nimis angatur, sed malit periculum illud subire, quam proximo indigenti officium mutui denegare. Quare perpetuo ad conditionem personarum, quæ mutui officium a nobis expetunt, respiciendum erit. Si qui sunt opulentiores, & sine eo pecuniam a nobis sibi erogari petunt, ut negotientur, lucrentur, fundos emant, ac rem suam locupletiorem reddant, ab illis etiam ultra sortem aliquid exigi & commodorum participatio instituti potest, sed illis, qui sunt fortunæ tenuioris, non absque censu solum erogandum, sed ipsa quoque sors rebus ita exigentibus condonanda.

§. CCLV. Vt totum hoc negotium sit clarius & manifestius, docendi causa quatuor genera mutui (laxius accepto hoc vocabulo) constitui possunt. Primum est *mutuum eleemosynarium*, quando census & ipsa sors condonantur. Alterum est *mutuum gratuitum*, quod etiam vocari potest *officiosum*, quando quis absque censu sortem recipit. Tertium est *mutuum compensatorium*, quod jurisconsulti vocant *mutuum cum stipulatione*, quando ob erogatam pecuniam præter sortem etiam census aliquis a proximo exigitur. Quartum est *mutuum usurarium*, quando scilicet usuræ illicitæ & immoderatæ legibus divinis & humanis prohibitæ exiguntur, quibus proximus gravatur, oneratur & ipsius facultates exhauriuntur. Priores duæ species sunt peculiaria opera caritatis & misericordiæ proximo debitæ. Tertia species est contractus licitus, modo observentur conditiones superius propositæ. Quarta species est usura legibus damnata.

§. CCLVI. III.) Tertio loco proferunt quasdam *ratiunculas*, quibus evinci posse putant, propter pecuniæ proximo erogatæ usum non posse censum aliquem ab eodem exigi. a.) *Jus naturale & æquitas requirit, ut in contractibus inter homines institutis servetur æqualitas, ne pars una cum damno alterius locupletetur. Jam vero non servatur æqualitas, quando creditor non solum sortem recipit, sed etiam præter eam abundantius quiddam exigit. Ergo illud pugnat cum naturali jure & æquitate.* Resp. per inversionem: Propterea quia jus naturale & æquitas in contractibus æqualitatem requirit, & quia iniquum foret, si pars una alterius damno locupletaretur, ab eo, qui nostra pecunia negotiatur, lucratur, & rem familiarem auget, compensatio aliqua exigi potest, alias ad ipsum solum rediret commodum ex pecuniæ usu resultans, quod pari ratione ipsimet parare potuissemus, atque interim eo carere cogimur. Iniquum foret, si creditor ab indigente, qui non lucrandi, sed inopiæ sublevandæ causa pecuniam exigit, ultra sortem aliquid exigeret; sed & hoc iniquum foret, si debitor pecunia ab illo accepta plurimum lucratus erga benefactorem suum sese gratum ac memorem declarare nollet. De toto hoc argumento ex superioribus judicium fieri potest. b.) *Mutuum per se & sua natura est gratuitum. Jam vero officium mutui jure naturali proximo debemus. Ergo etiam jure naturali obstringimur absque*

3) *Ex rationibus.*

a.) *A juris naturalis obligatione.*

b.) *A mutuo conditione.*

ulla compensatione pecuniam mutuam proximo dare. Resp. ut *eleemosynarium*, ita quoque *gratuitum* illud mutuum jure naturæ debemus proximo, non tamen omnibus omnino hominibus, sed illis duntaxat, qui inopiæ sublevandæ causa hoc humanitatis officium a nobis expetunt: cum divitibus, qui ad negotiationes & lucra pecuniam nostram utendam fruendam sibi concedi postulant, per alium contractum agere possumus, quem superius vocavimus *mutuum compensatorium*, quamvis libenter fateamur, quosdam *mutui* vocabulum in hoc contractu incommodius judicare, ac *contractum elocationis* vocare malle; sed quidquid sit, ubi de re ipsa constat, de adpellationibus facili negotio transigi potest. c.) *Pecunia est res sua natura sterilis, nec parit fructus, si vel per centum annos mille thaleros in arca adservares, ne unicum quidem producere possent. Jam vero pugnat cum jure naturali fructus ex re sua natura sterili exigere. Ergo in pecunia alteri erogata non possunt census annui constitui. Agri, vineæ, horti, accedente divina benedictione, fructus quotannis proferunt uberrimos*, Gen. XXVI. 12. Matth. XIII. 23. ideo aliis *per contractus censuales elocari possunt; sed pecuniæ diversa est ratio.* Resp. distinguendum inter *pecuniam ipsam*, & pecuniæ in negotiationibus ac commerciis *usum*. Pecunia ipsa per se, immediate & citra usum in negotiationibus nullos adfert fructus; sed mediante usu in civili societate fructum adferre potest longe uberrimum. Mercator centum florenis aliunde mutuo sumtis potest intercedente negotiatione anno uno tantum lucrari, ut lucrum illud ipsam sortem fere adæquet. Qui pecunia aliunde accepta agros, vineas & fundos emit, fructus eorum percipit amplissimos, quibus carere cogeretur, nisi proximus pecuniam ipsi mutuo dedisset. Multi prædia & fundos suos cogerentur vendere ob æs alienum, quo premuntur, nisi versuram facerent, & pecunia mutuo accepta creditori satisfacerent, illis certe pecunia non est res sterilis, sed efficit, ut reditus prædiorum suorum annuos percipere possint. Cum agro itidem sic videmus comparatum, ut per se & immediate nisi aratio sementis & cura hominum accedat, utiles fructus haudquaquam proferat; sed si labores bovum & culturam hominum experiatur, divina præsertim benedictione accedente, fructus profert longe uberrimos, neque tamen inventus quispiam, qui negaret ex elocatione agri reditus annuos percipi posse. Distinguendum denique *inter fructus naturales & civiles*, pecunia non profert fructus naturales, sicut agri, vineæ &c. interim tamen civiles fructus in negotiationibus & commerciis parit, ut experientia luculentissime comprobat. d.) *Nummus non est inventus, ut esset merx, sed medium adquisitionis ac pretium mercis. Ergo pecuniam vendere, vel elocare tanquam mercem, ut fit in usuris, pugnat contra naturam inventi nummi.* Resp. pecunia non solum est medium *commutationis necessariæ*, qua indigus cibum, potum, vestes atque alia vitæ sustentandæ necessaria sibi comparare potest, sed etiam *negotiationis lucrosæ*, qua dives commercia exercere, fundos emere, & res suas locupletiores reddere potest; jam vero census illi, de quibus hic agimus, non ratione prioris, sed posterioris usus exiguntur. Distinguendum etiam inter *finem* inventi nummi *primarium*, quem concedimus esse eum, qui in argumento exprimitur, & *usum ejusdem* in negotiationibus commerciis ac contractibus *secundarium*. e.) *In quibus rebus usus est ipsa absumtio, in illis usus non separatur a dominio, vel a re ipsa, sicut non seorsim venditur vinum & usus vini. Sed in mutuata pecunia usus est ipsa distractio. Ergo iniquum est, ultra restitutionem sortis vendi usum pecuniæ, quod fit in mutuo.* Resp. distinguendum inter *usum pecuniæ* & inter *commodum usu comparatum.* Pecunia quidem usu consumitur, sed commodum usu comparatum durat. Quando creditor debitori pecuniam erogat, duplex beneficium

c.) *A denegata pecuniæ fructificatione.*

d.) *A nummi inventione.*

e.) *A pecuniæ per usum distractione.*

cium ipsi præstat; primo tradit ipsi dominium & proprietatem illius pecuniæ, secundo jus utendi fruendi pro libitu in negotiationibus & commerciis; proinde quia debitor respectu posterioris beneficii sua parare potest commoda, eademque longe amplissima, æquum est, ut creditori sese gratum præbeat. Ostendit experientia, usum pecuniæ non esse eo modo consumtionem, sicut in vino, frumento & aliis fungibilibus, sed præter distractionem sortis ipsum usum pecuniæ habere utilitatem usibus hominum adcommodatam. Non ergo ipsa sors bis venditur, sed realis utilitas, quæ creditori abest, & debitori adest, sicut in locatione domus. Vsus enim pecuniæ non consistit proprie in distractione, vel expensa, sed usu rerum, quæ inde vel comparantur & adquiruntur, vel quæ hac ratione conservantur alias distrahendæ, quam responsionem non improbat Chemnitius part. II. locor. p. 439. f.) *Mutuum inde dicitur, quod de meo fiat tuum, sed sicut iniquum est, si venderem tibi id, quod tuum est, ita pro usu pecuniæ, quæ jam alterius facta est, aliquid exigere, iniquum est.* Responsio patet ex dictis. Vsus pecuniæ duplex est, *necessarius* & *lucrativus*. Necessarius pecuniæ usus respicit egenos, qui pecunia mutuo sibi data extremam suam inopiam sublevant; lucrativus respicit ditiores, qui pecunia mutuo accepta negotiantur & lucrantur, a quibus partem lucri recipere iniquum non est censendum. g.) *Experientia comprobat, censibus illis annuis debitores exhauriri, creditores vero locupletari, artes etiam honestas ac vitæ necessarias negligi, & hunc modum tanquam tutiorem ac faciliorem, quo divitiæ parentur, reliquis laboriosis præferri, ex quo reipublicæ magnum imminet incommodum.* Resp. abusus accidentarius ab ipso contractu in se ac per se licito distinguendus est, usuraria pravitas contractui adhærens non tollit ipsius contractus justitiam & æquitatem. Si observentur conditiones superius propositæ, nullum ex eo metuendum erit periculum, ac fine eo pius & christianus magistratus censibus illis certam determinationem adjecit, ne in usuras illicitas excrescerent, & justitiam, rerumpublicarum fulcimentum, everterent.

f.) *A mutui denominatione.*

g.) *Ab incommodi in republica consecutione.*

§. CCLVII. IV.) Proferunt *juris canonici dispositionem*, quæ absolute & simpliciter omnes usuras damnat. *Resp.* accipiendum id de usuris illicitis & immoderatis, non autem de contractibus juri naturali, gentium & civili congruentibus, sicut prudenter monet Gerson, *non facile contractum, in quo mediocris æqualitas conspicitur, pronunciandum esse usurarium.* In jure enim canonico propter moram solutionis non solum *id, quod interest*, exigere permissum, (quod certe parum distat a moderato illo censu, de quo jam agimus,) cap. *pervenit. de fidejussoribus*, sed etiam certi casus proponuntur, in quibus ultra & præter sortem aliquid a debitore liceat accipere, utpote *cum ob dotem non solutam a socero permittitur genero, ut ex re sibi pignorata fructus capiat præter sortem, vel paciscatur certam quantitatem sibi quotannis dari, quamdiu dos non solvitur*, quod adplicatur etiam *ad viduam, cui soluto matrimonio dos non restituitur.* cap. *salubriter* ℵ *de usuris.* Item *ad dominum feudi, cui res feudalis utenda fruenda data est interim, dum sua pecunia daret.* cap. *Conquestus de usuris*, ubi aliquot casus recenset glossa, in quibus acceptum supra sortem non possit nominari usura: 1.) *Si feudum, de quo fructus percepti sunt, fit monasterii, aut ecclesiæ.* 2.) *Si prædium venditum est & traditum nondum facta solutione, ibi enim fructus percepti non computantur in sortem.* 3.) *Damna omnia in contractibus bonæ fidei præsertim ex mora interveniente.* 4.) *In contractu redemtionis, ubi emens lucratur fructus.* 5.) *Vbi pecunia datur ad pompam, potest recipi merces.* 6.) *Vbi adponitur aliquid nomine pœnæ, potest recipi pœna conventionalis sine periculo conscientiæ & sine pectato,*

4.) *Ex jure canonico.*

to, ita tamen, ut pœna bona intentione sit imposita & moderata. Quod si ergo in tot casibus licitum aliquid ultra sortem accipere, utique non potest tanquam usurarium & illicitum absolute & simpliciter census pecuniæ annuus damnari. Quid quod pacta *de fœnore nautico* in jure canonico adprobantur cap. *Navigantibus* x^ *de usuris*. Covarruvias lib. III. resol. c. 1. num. 3. & usuræ a fidejussore pro principali solutæ eodem jure similiter exiguntur cap. *Constitutus*, x^ *de fidejuss.*

5) *Ex b. Lutbero.* §. CCLVIII. V.) Denique urgent *auctoritatem Lutheri*, qui simpliciter damnavit annuos illos census tanquam usurarios. Sed rigori priorum cumprimis scriptorum opponimus moderationem, quam adhibuit in scripto, cui titulus: *Vermahnung an die Pfarrer wider den Wucher zu predigen*, tom. VI. Witeb. Germ. fol. 325. b. ubi hosce invenies aphorismos: 1.) Stricti juris in prohibitione usurarum quamdam mitigationem in certis casibus adhibendam. 2.) Viduis, pupillis, senibus &c. qui non possunt negotiationes exercere, concedi posse, ut ex pecunia mutuo data a negotiatoribus census accipiant. Illum contractum vocat *ein Nothwucherlein*. 3.) Conscientiæ posse consuli, si magistratus adhibito theologorum & jurisconsultorum consilio quamdam ἐπιείκειαν in his contractibus adhibeat. 4.) Distinguendum esse casum necessitatis a temporibus & personis, quæ non sunt hujusmodi necessitati subjectæ. 5.) Se non admodum repugnare, si ad usuras illicitas & immoderatas cohibendas concedatur nobili, ut quatuor, mercatori ut octo, reliquis ut sex florenos accipiant. 6.) Ea jam non esse tempora, ut sex florenis ex centum aureorum elocatione acceptis multum lucrari possimus. 7.) Ministros ecclesiæ has disputationes debere remittere ad jurisconsultos & viros bonos &c. Hactenus Lutherus, magistratui pio & christiano judicium permittens, quid prohibitæ usuræ nomine censendum sit, ac inter opera misericordiæ proximo debitæ ac contractus civiles legibus permissos recte distinguens. Videatur etiam Brentius in script. Germ. *von wucherlichen Contracten*. Æpinus in comm. Psal. XV. Chytræus in comm. cap. XXIII. Deut. Heerbrandus & Schnepffius in cons. theol. Bidenbachius decad. I. cons. 4. & decad. VI. consil. 8. Hunnius in 2. Cor. VIII. Gesnerus in Ps. XV. Hoë in scripto Germ. Lips. 1617. edito sub tit. *Vnterricht, ob ein Christ mit gutem Gewissen Geldzinsen nehmen könne?* Marbachius in comm. cap. XXII. Exodi, quorum sententia huic nostræ est conformis.

3.) *An mercatura in republica sit toleranda?*

§. CCLXIX. Quæritur III.) *An mercatura in christiana republica sit toleranda?* Negant Anabaptistæ, sed opponimus illis 1.) *Regulam generalem*, quod evangelium non aboleat politias, & contractus honestos legibus politicis definitos. Deus ipse Exod. XXI. 2. & XXII. 7. leges tulit *de deposito, commodato, mutuo, &c.* quibus legitimas formas communicationis & contractuum determinat. (*) Levit. XIX. 36. *stateram justam, æqua pondera, & modium justum* requirit, quin & in *septimo præcepto* rerum proprietatem ac distinctionem sancit, atque eo ipso legitimam rerum communicationem præcipit, quæ cum fine commerciis & contractibus durare non possit, ideo usum contractuum in septimo præcepto stabilire merito judicatur. Quid quod apostolus modum præscribit, quomodo pie recteque contractus exerceri possint 1. Cor. VII. 30. 1. Thess. IV. 6, Vtique ergo legitimos contractus confirmat, ut prætermittamus exempla sanctorum, qui emtiones ac venditiones atque alios contractus exercuerunt, quales fuerunt *Abraham*, Genes. XXIII. 16. *Josephus*, Gen. XLVII. 16. *Jeremias*, cap. XXXII. 9. *discipuli Christi*, Joh. IV. 8. *Joseph Arimathæus*, Marc. XV. 46. &c. Quare cum mercatura sit species politici contractus, emtionis scilicet ac venditionis, ideo absolute & simpliciter improbari nequit. 2.) *Salomon*

(*) Prov. XVI. 11. *Pondus & statera judicia Domini sunt, & opera ejus omnes lapides sacculi.* GERHARDVS.

lomon honestam conjugem commendaturus comparat eam *navi institoris de longinquo portantis panem suum*, Prov. XXXI. 14. ac laudat ipsam hoc nomine, *quod vestem faciat, ac vendat, & cingulum tradat institori.* 3.) *Apostoli* conversis ad christianismum non fuerunt auctores, ut a mercatura & negotiationibus desisterent, sed ne proximum in iis defraudarent. 1. Thess. IV. 6. Actor. XVI. 14. Lydia πορφυρόπωλις baptizatur, nec tamen ab illo vitæ genere revocatur. 4.) Ad vitæ humanæ sustentationem *necessaria* omnino mercatura & reliqua commercia. Non enim uni regioni dat cuncta Deus. Polyd. Vergil. libr. III. de rer. invent. cap. 16, *Mercatura in adportandis mercibus vitæ humanæ necessaria ubique locorum suppeditat, multarum quoque ac maximarum rerum usum experientiamque hominibus edocet, ad barbarorum insuper necessitudines regumque amicitias contrahendas plurimum valere censetur.* Tholozanus lib. IV. de republ. cap. 7. *Multæ urbes in loco tam sterili sitæ, ut in iis sine mercatura, non tantum non commode vivi, sed ne vivi quidem possit, defectus igitur iste rerum, quarum indigi sumus, importatione a mercatoribus suppletur, unde pedibus in corpore humano conferuntur.*

§. CCLX. Objiciunt Anabaptistæ I.) Eccles. XXVII. 2. *In medio compaginum lapidearum figetur palus, & in medio venditionis & emtionis comprimetur peccatum.* Resp. fraudes tanquam vitiosum accidens a mercatura, utpote re sua natura bona, sunt distinguendæ; v. 4. immediate subjicitur: *Si non in timore Domini tenuerit cum diligentia, cito subvertetur domus ejus.* Ergo timor Domini excutiat fraudes & injustitiam ex animo mercatoris. II.) Zach. XIV. 21. *Non erit ultra mercator in domo Domini exercituum in die illa*, tempore scilicet nov. test. *Resp.* in Hebræo est כְּנַעֲנִי, quod & *Cananæum* & *mercatorem* significat, quia Cananæi olim mercaturæ cumprimis erant dediti. Si *priori sensu* accipiatur, erit vaticinium de separatione christianorum a populo gentili & idololatrico. In vet. test. non poterant Cananæi omnes ab Israëlitis exterminari, sed quidam ex ipsis habitabant in medio Israëlitarum; sed in nov. test. omnes gentes ad ecclesiæ consortium adgregabuntur, nec christiani cum idololatris habebunt communionem, verum ab illis separabuntur, si non corpore & loco, tamen animo & adfectu. Si *posteriori*, erit vaticinium de spirituali Hierosolyma, quod in ea non sit futurus mercator boum & ovium, in usum scilicet victimarum, quia sacrificia christianorum non erunt irrationalia & bruta, sed spiritualia & rationalia. Rom. XII. 1. 1. Petr. II. 5. &c. III.) *Christus ementes & vendentes ejecit ex templo*: Joh. II. Luc. XIX. (*) Resp. non propterea, quod mercaturam exercebant, sed quod in templo, loco orationis sancto, lucri causa fraudibus ac dolis eam exercerent. Ac posset ex eodem medio concludi, omnes omnino emtiones a Christo prohiberi. IV.) *Mercatores lucrum & quæstum tanquam ultimum finem respiciunt.* Resp. de quibusdam hoc verum, non de omnibus, quidam enim lucrum caritati proximi, & bono reipublicæ subordinant, mercaturam ad honestum finem, reipublicæ scilicet commodum & honestam suorum sustentationem dirigunt, lucro moderato contenti sunt, & sine mendaciis, perjuriis, ac fraudibus hanc artem exercent. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4.

§. CCLXI. Quæritur IV.) *An jus talionis in rempublicam legibus sit introducendum?* In politia Mosaica Deus illud constituit. Exod. XXI. 24. *Si mors* (mulieris in percussione

4.) *An jus talionis probandum?*

(*) Chrysostomus hom. XXXVIII. in Matth. & citat. c. *Ejiciens* dist. 88. *Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo significavit, quia mercator nunquam potest Deo placere, & ideo nullus chri-*

stianus debet esse mercator, aut si voluerit esse, projiciatur de ecclesia, dicente prophetа: Quia non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini &c. Gerhardvs.

sione) *fuerit subsecuta, reddet* (percussor) *animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* v. 25. *adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.* Levit. XXIV. 19. *Vir cum dederit maculam in proximum suum, secundum quod fecit, sic fiat illi.* v. 20. *Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente, juxta quod dederit maculam in hominem, sic dabitur in eum.* Idem repetitur Deut. XIX. 21. Matth. V. 38. Photiniani, ut evincant *vindictam publicam*, quæ per magistratum exercetur, in nov. test. a Christo esse abrogatam, non verentur sanctissimam illam Dei legem sugillare. Sic enim scribit Smalcius contra disp. VII. Frantzii de bonis operib. pag. 239. *Mirum videri debet, quod Frantzius adfirmat, licere nunc oculum pro oculo excludere,* (non propria auctoritate, sed per magistratum) *cum vix ullæ leges politicæ id unquam adprobarint. Nihil enim in eo inest rationis sanæ, si is, qui me offendit, ita puniatur, ut nihil inde ad me redeat commodi, & alia omnino ratione, is qui alicui oculum excluderet, puniretur hodie, secundum ipsas leges politicas, quam oculi exclusione. Indulserat autem hoc Deus populo Israëlitico, ut ingenio illius puerili & vindictæ cupido, aliqua ratione gratificaretur.* Et iterum pag. 269. *Perfectiores plerasque leges fuisse humanas in quibusdam, quam divinas, quæ in lege Mosis continentur, quantumvis fortasse absurdum alicui videri possit, certissimum tamen est. Nam raro lex humana aut olim permisit, aut etiam nunc permittit, aut etiam jubet, ut oculus pro oculo, dens pro dente excludatur. Viderunt scilicet homines prudentes, modum istum ulciscendi injurias nimis esse homine sensato & cordato indignum. Indulsit autem Deus Israëlitis hanc ulciscendi rationem, tum quia populum istum generatim loquendo sciebat esse puerilis judicii & injuriarum impatientissimum, tum quia vel hac ipsa ratione indicare voluit, succedere omnino debere correctionem ipsius legis.* Sed opponimus Smalcio 1.) *Summi legislatoris sapientiam & justitiam:* Quia enim hæc lex talionis a Deo sapientissimo & justissimo per Mosen est promulgata, ideo de ejus æquitate in Israëlitica republica dubitari sine prævaricationis crimine nequit. Deut. IV. 8. Quod si vel maxime hæc lex talionis in aliis rebuspublicis præcise observari non posset, vel deberet, tamen in Judaica politia fuit justissima & æquissima, utpote a Deo sapientissimo & justissimo profecta. Etenim si de humanis legibus verum est illud Augustini libr. de vera relig. cap. 31. *constitutis ac firmatis legibus non de illis, sed secundum illas judicandum,* quod relatum est in jus canonicum, quanto magis de divinis legibus illud verissime dici potest, quarum licet quandoque nobis non constet ratio, dubitare tamen non debemus, quin sint æquissimæ. 2.) *Finem hujus legis a Deo ipso expositum:* Neque enim indulsit Deus Israëlitis hanc talionem *ob ingenium eorum puerile & vindictæ cupidum,* ut pueriliter nugatur Smalcius, sed severe eam præcepit, & finem præcepti longe alium exposuit. Deut. XIX. 18. *Si testis mendax testificatus fuerit mendacium contra fratrem suum,* v. 19. *facietis ei, quemadmodum cogitavit facere fratri suo, & auferes malum ex medio tui.* v. 20. *Et qui remanserint, audient & timebunt, & non addent, ut faciant amplius secundum hoc malum in medio tui.* v. 21. *Et non parcet oculus tuus, animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.* Finis ergo legis fuit, ut coërcerentur injuriæ in hoc populo vindictæ cupido, non ut libidini ejus indulgeretur, quando enim quilibet scivit, eadem sibi talionis lege divinitus constituta esse sustinenda, quæ alteri intulisset, utique ab injuriis proximo irrogandis, membrorum mutilationibus ac cædibus eo diligentius sibi cavit, qua ratione & lædenti & læso hæc lex profuit: in illo compressa fuit manus noxia, dum metuit ejusdem mali passionem, quod aliis inflixit, in læso vindictæ cupiditatem temperavit, ne graviorem ultionem expeteret. Quin & magistratibus, quippe quibus solis licebat

pœnam

pœnam talionis irrogare, æqualitas in pœnis irrogandis hac lege fuit præscripta, ne vel modum in puniendo excederent, vel nimia lenitate ferociam impiorum augerent, sed hanc talionis legem *legi naturæ* maxime conformem observarent. 3.) *Judicium Dei extraordinarium*, quo cessante magistratus officio scelera juxta hanc talionis legem punire consuevit, quod qui sugillare voluerit, vindicem ipsius iram experietur. Matth. VII. 2. Luc. VI. 38. Christus a temerario judicio & condemnatione proximi dehortaturus addit hanc rationem: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Esa. XXXIII. 1. *Væ tibi, qui prædaris, an non & tu prædam patieris? cum consummaveris devastationem, devastaberis.* Habac. II. 8. *Quia tu spoliasti multas gentes, spoliabunt te reliquiæ populorum.* Prov. XXI. 13. *Obturans aurem suam a clamore pauperis, etiam ipse clamabit, & non exaudietur.* Sap. XI. 17. *Per quæ quis peccat, per eadem torquetur.* Apoc. XIII. 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit, qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi.* Apoc. XVIII. 6. *Reddite illi, sicut ipsa reddidit vobis. Fratres Josephi* agnoscunt hanc talionis pœnam: Gen. XLII. 21. *Vere deliquimus contra fratrem nostrum, quod vidimus angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit ad nos angustia hæc. Pharao* Israëlitarum parvulos in profluentem projici jubens Exod. I. 22. in aquis maris rubri interit. De *Adonibesec* Jud. I. 6. & 7. dicitur: *Comprehenderunt Adonibesec cæsis summitatibus manuum ac pedum ejus, dixitque Adonibesec: septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* De Philisthæis dicit *Simson* Jud. XV. 11. *Sicut fecerunt mihi, sic feci eis*, indicans se divino instinctu Philisthæis paria reddidisse. 1. Sam. XV. 33. adducto *Agag*, inquit Samuel: *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua, & in frusta concidit eum Samuel coram Domino.* 2. Sam. XVI. 22. *David* cum alterius uxore Bethsabea rem habuit: ideo ut uxores ejus vicissim a filio Absolone vitiarentur, justo judicio Deus permisit. Vt *Salomon* cultum sacrum erat partitus, eum *partim Deo partim idolis* concedendo: ita quoque regnum ejus justo Dei judicio est divisum. Quod si hæc extraordinaria & particularia Dei judicia sunt justa, quomodo ordinarium illud judicium, quod per magistratum exercet, quando talionis pœnam facinorosis irrogat, tanquam cum sana ratione pugnans reprobari poterit? 4.) *Aliarum etiam gentium consensum*: In legibus XII. tabularum jus talionis fuit sancitum his verbis: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.* Apud Gellium lib. XX. noctium Atticarum cap. 1. *Phavorinus* philosophus cum Sexto Cæcilio de æquitate hujus legis disputat, eamque Romanis in usu fuisse testatur. Idem refert Alexander ab Alex. lib. VI. genial. cap. 10. Aristoteles lib. V. eth. Nicomach. cap. 8. de Pythagoræis tradit, quod τὸ δίκαιον, definierint pro τὸ ἀντιπεπονθὸς, adducto in id versiculo Rhadamanti:

Εἴκε πάθοι τὰ καὶ ἔρεξε, δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
Si quis, quod fecit, patiatur, jus erit æquum.

Vel ut alii verterunt:

Si contra passus fuerit, quod fecerit idem,
Judicium plane rectum, vindictaque fiet.

5.) *Moderationem talionis a Deo ipso traditam, & in republica Israëlitica observatam*: Fuisse enim in exsecutione hujus legis circumstantiarum, cumprimis personarum, rationem habitam, evidenter colligitur aliis legibus. Exod. XXI. 26. *Cum percusserit vir oculum servi sui, vel oculum ancillæ suæ, & corruperit eum,* (non cogetur pati conclusionem oculi, sed) *liberum dimittet servum pro oculo ejus.* v. 27. *Et si dentem servi sui, vel dentem ancillæ suæ excusserit, liberum dimittet eum pro dente ejus*, ubi ob personæ conditionem pœna talionis mitigatur. Exod. XXI. 17. *Qui parentibus maledixerit, morte moriatur*, ubi propter qualitatem personæ exaggeratur

talionis pœna. Josephus lib. IV. antiquitat. c. 8. p. 101. legem talionis sic recitat: *Qui excæcaverit quemquam, similia patiatur, privatus quo privavit alium, nisi is malit pecuniam accipere, nam ipsi lex permittit arbitrium æstimandi suum casum, si nolit haberi severior.* Paulus Fagius in notis ad chaldaic. paraph. Deut. XIX. 21. sic scribit: *Hæc lex talionis, animam pro anima, oculum pro oculo, &c. auctore rabbi Kanam, ut a Bachai citatur, nunquam est observata, nam præter scripturam ex traditione ait constare, quod non oculus pro oculo, sed æstimatio oculi pecuniaria reddatur, alioquin enim legi non satisfieret, quæ ait, quemadmodum dedit maculam in hominem, sic detur in auctorem.* Levit. XXIV. *jam patet,* Exod. XXI. *quod de interesse & sumtu in medicos facto satisfacere læso, qui damnum dedit, tenetur. Quod si auctori oculus pro oculo effoderetur, quis illi satisfaceret? Est & alius tenerioris constitutionis, quam ille, qui læsus est, qui ex æquali vulnere similiter mortem obierit. Propterea fieri non potest, ut per omnia vulnus & læsio æqualis auctori infligatur. Ad illud, quod lex dicit, quemadmodum fecit, sic fiat illi, respondent, similitudinem esse in malo illato. Nam & Samson Philisthaeis ait, se feciisse illis, quemadmodum illi ipsi fecerant, quorum arva combussit propter ademtam uxorem. Est enim similitudo & paritas damni.* Ex hoc Fagii loco desumsit Bodinus lib. VI. de repub. cap. 6. num. 768. suam adsertionem, quod *in civitatibus Hebraeorum non fuerit observata talio Pythagorica, ut oculus ei effoderetur, qui alteri effodit oculum, sed potius damnum juxta arbitrium judicis pro qualitate personarum, & ratione circumstantiarum pecunia æstimatum fuisse.* Nemo tamen dubitet, quin juxta expressum legis tenorem in quibusdam casibus, ratione personarum & facti habita, jus talionis præcise observatum fuerit. Et cum hoc moderamine etiam in aliis rebuspublicis lex talionis promulgari & observari potest, non autem præcise & absolute sine ulla circumstantiarum consideratione, inde Gellius d. l. memorat, *Romanos ad judicis æstimationem jus talionis reducere consuevisse,* quo pertinet §. *Pœna.* 8. Instit. de injuriis. *Pœna injuriarum ex lege duodecim tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat, propter os vero fractum nummariae pœnae erant constitutae, quasi in magna veterum paupertate. Sed postea praetores permittebant ipsis, qui injuriam passi sunt, eam æstimare, ut judex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris, prout ei visum fuerit. Sed pœna quidem injuriae, quae ex lege duodecim tabularum introducta est, in desuetudinem abiit, quam autem praetores introduxerunt, quae etiam honoraria adpellatur, in judiciis frequentatur. Nam secundum gradum dignitatis vitaeque honestatem crescit, aut minuitur æstimatio injuriae, qui gradus condemnationis, & in servili persona non immerito servatur, ut aliud in servo actore, aliud in medii actus homine, aliud in vilissimo vel impedito jus æstimationis constituatur.* Confer Aristotelem lib. V. ethic. cap. 8. ubi disputat, *jus talionis praecise sine circumstantiarum consideratione observatum in neutra justitiae particularis specie locum habere.* Nam *distributiva* respicit personas, ideoque dissidet, *διαφωνεῖ*, a jure talionis, ut si magistratum quis gerens percusserit, repercutiendus non est: si autem magistratum gerentem quis percusserit, non solum est percutiendus, sed graviore etiam supplicio adficiendus, adde, quod spontene, an inviti fecerimus, multum referat. In *commutativa* justitia *τὸ ἀντιπεπονθὸς*, sive jus talionis, non *κατ' ἰσότητα*, sed *κατ' ἀναλογίαν* instituendum, non eadem iisdem, sed rebus æquivalentibus permutantur. Atque hæc dicta sint de *materia* legum positivarum & quæstionibus ad eam pertinentibus. De *lupanaribus*, an sint toleranda? egimus in tract. de lege §. CLXIII. *de choreis, ludis scenicis, bonorum aequalitate, funerum adparatu* egimus in quæst. politicis decad. VIII. quæst. 2. 5. & 6. De aliis quæstionibus ad hunc locum spectantibus consulantur jurisconsulti & politici scriptores.

§. CCLXII.

Forma legum positivarum. Interna.

§. CCLXII. Ad *formam* igitur *legum civilium* transitum facimus. Ea vero docendi causa duplex statui potest, *interna & externa*. *Interna* est congruentia cum jure naturali, cum dictamine rectæ rationis & principiis practicis natura notis. *Externa* est proprietas & perspicuitas sermonis, quo leges a nomothetis concipiuntur ac promulgantur. De *forma* legis interna notandi sunt hi canones. 1.) *Lex positiva congruat cum jure naturali;* est enim illius quædam propago, surculus ac rivus, jam vero surculus cum arbore, rivus cum fonte ejusdem est naturæ. Tertullianus in apol. adv. gentes cap. 4. p. 20. *Leges nec annorum numerus, nec conditorum dignitas commendat, sed æqualitas sola, & ideo cum iniquæ recognoscuntur, merito damnantur. Omnium legum inanis est censura, nisi divinæ legis imaginem gerant*, inquit Augustinus. Non enim jure dicenda sunt, vel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ethnici *jus esse dicant, quod de justitiae fonte manavit*; lib. XIX. de civ. Dei cap. 21. Inde etiam Cicero lib. I. de legibus, *jus & legem non populorum jussis, nec principum decretis, nec sententiis judicum constitui* dicit, *sed naturae norma*. Lib. II. de legibus: *Lex est justorum injustorumque distinctio ad illam antiquissimam & rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur*. Rectitudo & justitia est legis quasi anima, jam vero lex non potest esse recta, nisi cum jure naturæ, omnis rectitudinis fonte, congruat. Vbi tamen duo sunt notanda: primo; *jus naturale non æstimandum esse ex quorumdam corrupto judicio, sed ex conformitate cum lege divina*, quæ est omnis justitiæ regula: secundo; *genus quidem positivarum legum ex naturae fontibus derivari, speciem tamen ac determinationem legis ex hominis ratione circumstantias varias & conditionem populi considerante provenire*. Savanarola lib. III. de verit. fid. cap. 8. p. 203. *Quaedam leges a communibus principiis legis naturae per modum conclusionis habentur, ut ab hoc praecepto*: Non occides, *elici potest, nemini venenum esse dandum. Quaedam vero per modum determinationis: sic lex naturae jubet, ut, qui peccat, puniatur, sed quod illa, vel alia poena plectatur, non fit secundum determinationem legis naturae, ideoque hoc prudentum arbitrio relictum, ut scilicet id determinent, quod bono communi noverint expedire.* 2.) Lex *positiva ad conditionem populi, cui proponitur, & ad statum cujusque reipublicae fit adcommodata*. Cicero reprehendit Catonem juniorem, Vticensem dictum, quod exemplo Catonis senioris, qui Censorius dicitur, *sententias in republica Romana dixerit tanquam in politia Platonis, non tanquam in fece Romuli*. Idem ad nomothetas adcommodari potest, quod non ad ideam quamdam optimæ reipublicæ, sed in specie ad statum illius, cui leges præscribunt, respicere debeant. Leges sunt veluti medicinæ quædam rerumpublicarum. Quemadmodum igitur ex Hippocratis præscripto medicus *unum oculum ad praecepta artis, alterum vero ad statum & conditionem aegroti* intentum habet: ita legislator uno oculo ideam juris, altero vero conditionem populi respicere debet. *Vt diversa sunt corporum temperamenta a diversa materia, sic leges differunt a gentium moribus & conditionibus aliis atque aliis*; inquit Simlerus in comment. cap. XX. Exod. Plato in polit. *Leges pro varia reipublicae forma sunt constituendae diversae, per omnia enim eaedem esse non possunt.* 3.) *Lex positiva nec justo sit lenior, nec severior*: Nimia lenitas parit licentiam, contemtum magistratus, conculcationem disciplinæ & honestatis. Leges sunt quasi sepimentum ac vallum quoddam reipublicæ, quod si ergo salva debet esse respublica, sepimentum illud probe firmandum ac muniendum. Vicissim nimia legis severitas parit seditiones. De Draconis legibus propter nimium earum rigorem dictum fuit, quod sint *sanguine scriptae. Qui nimium emungit, sanguinem tandem elicere* proverbio dicitur: sic magistratus nimia legum severitate subditos premens ad impatientiam eos solicitat. 4.) *Lex positiva tacere*

debet omni προσωπολημψία. Quemadmodum lex naturalis absque ullo personarum respectu æqualibus æqualia adsignat, ita quoque a lege positiva, quæ est naturalis legis *ἀπεικόνισμα*, præpostera *προσωπολημψία* exsulare debet, secus si fiat, a justitiæ tramite receditur, & dissensionibus occasio præbetur; inde Vlpianus inquit l. *Jura* 8. ff. de legib. *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*; & Papinianus lib. I. ff. de legib. legem vocat *communem reipublicae sponsionem.*

Externa, §. CCLXIII. De forma legis *externa* notandi sunt hi canones: 1.) *Lex positiva verbis claris & perspicuis proponi debet.* Visum quidem aliquibus fuit, leges *sermone parum usitato, nec in vulgus noto* concipiendas & proferendas, ut subditis sint magis admirationi; Salmuth in notis ad Pancirol. de reb. memorabil. p. 374. sed rectius statuitur, leges sermone perspicuo, & omnibus noto esse conscribendas, debent enim esse subditis *omnibus pro norma vivendi, mulieribus & pueris*, ut Leo imperator dicit. *Finis legum est*, scribit Piccolominæus gradu X. cap. 28. *ut civibus omnibus tanquam norma proponantur, per quam congruenter se parent, rectèque erga alios disponant, ergo eo sermonis genere proponi debent, qui ab omnibus intelligatur, ne ignorantiam transgressioni praetexere possint.* l. leges 9. C. de legib. *Leges sacratissimae, quae constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.* Præterea leges inferioribus magistratibus pro *norma judicii* traduntur, atqui norma non debet esse flexibilis, obscura & dubia; Petrus Gregorius lib. X. de rep. cap. 5. num. 22. unde Soloni vitio datum, quod quædam in legibus suis obscurius proposuisset. Plutarchus in vita Solon. 2.) *Lex positiva sermone tali, qui majestatem & auctoritatem prae se ferat, constare debet*: Neque enim persuadendi, sed jubendi causa feruntur leges. Plato quidem libr. IV. de legib. monet, duas debere esse partes legis, *praefationem* scilicet & *legem ipsam*: præfatio adfert causam legis promulgatæ, lex præceptum ipsum continet; interim tamen illa ipsa legi addita ratio, sive præfatio, non rhetoricis persuasionibus, sed brevibus argumentorum nervis, & majestate sermonis constare debet. De tabulis decemviralibus testis est Cicero lib. III. de legibus, quod genus dicendi auctoritate venerandum usurparint. Deus ipse in lege sua populo Israëlitico promulgata brevi præfatione loco plurimorum argumentorum, & sermone majestatico utitur: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Pulcre omnino Seneca epist. LIX. *Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur, velut emissa divinitus vox sit. Jubeat, non disputet, nihil mihi videtur frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prolixiore prolegomeno.* 3.) *Legi positivae addenda est comminatio poenarum transgressoribus irrogandarum*: Parum enim roboris ac auctoritatis lex obtinebit, nisi ejus transgressoribus denuncietur pœna, proinde nomotheta ferens legem absque pœnæ comminatione ludere & jocari, non mandare ac præcipere videbitur.

Differentia legis naturalis & legum positivarum.

§. CCLXIV. Ad formam legum positivarum pertinet etiam earum a *lege naturæ differentia*, quæ in sequentibus potissimum membris consistit. Differunt 1.) *Causa efficiente*: Lex naturalis immediate a Deo creatore primorum hominum cordibus fuit inscripta, eademque adhuc hodie, mediante carnali propagatione, posterorum cordibus a Deo interius inscribitur; Rom. II. 15. sed leges positivæ civiles a magistratu exterius promulgantur. 2.) *Materia*: Lex naturæ generatim omnia vitia prohibet tam interna, quam externa, lex positiva civilis tantum externa scelera prohibet, ideoque peccandi voluntatem non punit. Lex naturæ virtutes in genere præscribit, lex positiva ad specialia officia descendit. 3.) *Forma:* Lex naturæ est rivulus quidam ex fonte legis externæ, quæ in Deo est, deductus, ac divinæ illius lucis, sapientiæ scilicet & justitiæ in Deo quidam radius. Lex positiva est rivulus ex fonte legis naturæ dedu-

deductus. 4.) *Fine*: Lex naturæ tantummodo honestatem & spontaneam observationem requirit; Rom. II. 24. leges positivæ præsupposita honestate etiam utilitatem eorum, quibus sanciuntur ac feruntur, spectant, unde jus civile adpellatur δίκαιον σύμφερον. 5.) *Objectis*. Lex naturæ omnibus hominibus communis est, & omnes obligat. Leges positivæ eos solum obligant, quibus a magistratu publica auctoritate sunt latæ. 6.) *Adjunctis*, firmitate scilicet & notitia: Lex naturæ immota est, immutabilis ac perpetua. Leges positivæ variantibus circumstantiis mutari & abrogari possunt. Augustinus lib. I. de lib. arb. *Lex temporalis, quamvis justa sit, tamen commutari per tempora juste potest.* Lex naturalis omnibus φύσει est nota, positiva per promulgationem demum innotescit. Lex naturæ ubique locorum eadem, positivæ pro locorum diversitate variant.

Finis legum positivarum.

§. CCLXV. *Finis* legis positivæ duplex est: *Immediatus sive intermedius*, & *ultimus*. Finis *immediatus* & *intermedius* est studium virtutis & honestatis, vigor justitiæ & æquitatis inter cives. *Finis ultimus* est salus reipublicæ, felicitas civium, bonum publicum subditorum, id, quod ex honestate, virtute, justitia & æquitate inter cives vigente efflorescit. Canones de fine legis: 1.) *Nomothetæ in ferendis legibus hoc propositum esse debet, ut studium virtutis subditorum animis implantet.* Qui enim vult finem, debet etiam eligere media ad finem ducentia. Finis νομοθεσίας est salus reipublicæ, sive bonum publicum subditorum, medium ad hunc finem ducens est virtutis & honestatis studium inter subditos vigens, absque quo reipublicæ salus constare nequit, ergo si nomotheta bonum publicum promovere cupit, ad virtutis studium subditos adsuefaciat. Inde philosophus scribit lib. VII. polit. cap. 2. *Est boni nomothetæ diligenter considerare, quomodo cives virtutis & beatitudinis participes reddi queant*; ubi finem intermedium & ultimum, sive medium & finem εἰδικῶς sic dictum conjungit, cum posterior absque priore obtineri nequeat. 2.) *Nomotheta in ferendis legibus non suum privatum, sed subditorum, sive publicum bonum respicere debet.* Nomotheta qua talis, non sustinet personam privatam, sed publicam, ad ipsum igitur pertinet toti reipublicæ prospicere, nequaquam vero ad privatum suum commodum quidquam referre. Inde Isidorus lib. V. etym. cap. 21. requirit, *ut lex nulla privato commodo, sed pro communi tantum civium utilitate sit conscripta.* Dominicus a Soto lib. I. de justitia & jure quæst. 5. art. 3. hac utitur comparatione: *Vt inter regem & tyrannum hoc interest, quod ille in commune bonum, hic autem ad privatum commodum cuncta refert: sic inter legem bonam & malam hoc discriminis intercedit, quod illa bonum publicum, hæc vero privatum respicit.*

Effectus legum.

§. CCLXVI. *Effectus* legis est obligare subditos ad præstanda ea, quæ in lege sunt præscripta. Neque enim in arbitrio subditorum relinquitur, an velint legi promulgatæ parere, necne? sed omni legi vere & proprie sic dictæ, hoc est, si constet ex requisitis & causis hactenus recensitis, inest vis ἀναγκαστική, unde ex necessitate illi subjecti sunt subditi, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Rom. XIII. 5. atque eo respiciunt scholastici, quando legem *a ligando* dictam esse volunt, quia scilicet eos, quibus fertur, obligat, vel ad obedientiam præstandam, vel ad pœnam tolerandam, Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. quæ etymologia quamvis ob literarum dissimilitudinem non videatur satis commoda, tamen effectus legis proprius aptissime per eam exprimitur.

1.) *An leges positivæ etiam magistratum obligent?*

§. CCLXVII. Quæritur autem circa hunc effectum: 1.) *An leges positivæ etiam obligent magistratum?* Divina & naturali lege principem obligari extra controversiæ aleam positum est, quia Deus ipse

Deus.

Deut. XVII. 18. legis ſuæ cuſtodiam regi mandat, ac naturalem legem, ut reliquorum hominum, ſic etiam regum cordibus inſcripſit Rom. II. 14. inde Baldus in lib. XXXI. de legib. *Princeps eſt ſub lege poli, naturæ & rationis.* Eo enim ipſo princeps, quod creatura eſt, creatori & legibus creationis ac naturæ eſt ſubjectus, eo ipſo, quod hujus mundi civis eſt, communibus communis politiæ legibus jure gentium ſubjectus cenſeri debet. Sed de poſitivis civilibus legibus quæritur, an illis etiam magiſtratus obligetur? Quidam adfirmant: 1.) Propter *rationem legis*, quæ generalis eſt, ac proinde omnes obligat. 2.) Propter *exemplum*, quo ad legis obſervationem ſubditi invitantur. Nam

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum judex, alios quod monet, ipſe facit.

Juſtinus lib. III. hiſt. de Lycurgo ſcribit, quod *nihil lege ulla in alios ſanxerit, cujus non ipſe primus in ſe documenta daret.* In legibus XII. tabularum dicitur: *Is ordo* (magiſtratuum) *vitio vacato, ceteris ſpecimen eſto.* cap. *Juſtum eſt &c.* diſt. 9. ex Iſidoro: *Juſtum eſt principem legibus obtemperare ſuis. Tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet. Principes legibus damnari ſuis, nec in ſe poſſe damnare jura, quæ in ſubjectis conſtituuntur, juſtum eſt.* 3.) Propter *egregiam illam imperatoris confeſſionem* l. 4. C. de legibus & conſtit. *Digna vox majeſtate regnantis, legibus adligatum ſe principem profiteri*, cum qua congruit illud Tiberii, qui referente Nicephoro lib. I. hiſt. eccl. cap. 17. ad urbium rectores ac magiſtratus ſcripſit, *ſi quid forte contra leges a ſe mandari contingeret, eos id adprobare & exſequi, utpote per inſcientiam commiſſum, non debere.* 4.) Propter *detrimentum ac periculum* ex altera parte metuendum. Plato lib. III. de legibus. Infinita poteſtas etiam in regibus ipſis, quæ ſeſe legum vinculis coërceri non patitur, eſt certiſſima regni & reipublicæ ruina proxime occaſuræ prognoſticon, contra quam remedium eſt, ut leges obſerventur etiam ab ipſo principe. Quidam negant: 1.) Propter *expreſſam juris diſpoſitionem*... l. 31. ff. *de legibus*, ubi Vlpianus diſerte: *Princeps legibus eſt ſolutus.* (*) 2.) Propter *magiſtratus conditionem.* Princeps eſt imago divinæ majeſtatis, Alberus in pr. ad l. *decernimus.* C. *de SS. eccleſ.* eſt deus quidam terreſtris, nullis ergo legum vinculis conſtringitur. Ipſius eſt leges dare, non accipere, *imperare aliis, non obtemperare.* Tholoſanus lib. VII. de rep. cap. 20. ſect. 23. 3.) Propter *magiſtratus in ferendis legibus intentionem*: Non enim ſibi, ſed aliis legem præſcribere voluit. *In civilibus his inſtitutum principis non eſt, ſibi leges ferre*, inquit Bodinus lib. I. de rep. cap. 8. *Nemo poteſt ſibi imperare.* l. penult. de arbit. 4.) Propter *abſurdi conſecutionem.* Si princeps civilibus legibus ſubjectus eſſet, non poſſet eas, reipublicæ ſtatu ita exigente, mutare & abolere, qua ratione non dominium, ſed tyrannis aliqua legibus civilibus concederetur. *Neceſſitas reipublicæ* exigit, leges quandoque mutari; novell. 7. cap. 2. mutari autem non poſſunt, niſi ab eo, qui legibus eſt ſolutus. l. 32. de ll.

§. CCLXVIII. Quidam diſtinctionis fœdere diſcrepantes in hac quæſtione ſententias conciliare nituntur. 1.) Donellus lib. I. comm. cap. 17. diſtinguit inter *legem regiam & legem principibus propriam.* Solutum eſſe dicit legibus principem, propterea quod legibus & ſolemnibus juris ſit ſolutus a populo Romano per legem regiam, quæ de imperio ejus lata fuerit l. 1. ff. *de conſt. pr.* l. 3. C. *de teſtam.* attamen teneri principem lege etiam ſua, quoniam declarent principes, ſe velle legibus vivere ſtatuentes nil magis convenire imperio d. l. 3. C. *de teſtam.* Quod ſi igitur alias quidquid principi placuit, lex eſt. l. 3. ff. *de conſtit. pr.* etiam hanc principum voluntatem, qua ſe legibus adſtrictos volunt, legem fore, adeo-

(*) Auctor lib. de jure magiſtr. in ſubd. quæſt. 6. *falſiſſimum & exſecrandi prorſus adulatoris, quam fidi ſubditi in principem illam vocem eſſe, contendit.* GERHARDVS.

adeoque principes lege quidem regia legibus civilibus esse solutos, verum ex propria sua lege esse illis adstrictos. Eodem inclinat Treutlerus vol. I. disp. I. th. 6. lit. B. 2.) Gothofredus ad nov. 105. *solutum legibus principem videri non esse*, quam distinctionem deducit ex l. *imperfecto* 23. in fin. in verb. *eas servare leges, quibus ipse solutus videtur* ff. de legat. 3. 3.) Græci interpretes *pœnariis*, sive *pœnalibus legibus imperatorem liberant, reliquis vero adstrictum esse dicunt.* 4.) Cujac. lib. XV. observ. cap. 30. & alii, principem *legibus Julia & papa caduceariis solutum esse statuunt, cæteris vero adligatum*, quod colligunt ex l. 56. de legat. 2. 5.) Corasius lib. II. misc. cap. 25. Vasquez I. controv. 26. num. 15. Marius Salamonius libr. VI. de princip. & alii existimant, principem *solemnibus tantum juris solutum esse, non autem cæteris civilibus legibus*, quod colligunt ex l. 3. C. *de testam.* ubi imperator Alexander rescribit: *licet lex imperii solemnibus juris imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium est imperii, quam legibus vivere.* Has distinctiones omnes proponit, & refellit Hunnius in resol. disp. I. Treutlerus vol. I. p. 79. & seqq. ac suam tandem subjicit sententiam, principem legibus civilibus vere solutum esse, nec *de necessitate, sed de honestate solum & voluntario obsequio legibus parere*; ab hac tamen generali regula excipi, *primo* illas leges civiles, quæ ex ratione naturali ad principem peræque spectante sunt introductæ; *secundo* legem Falcidiam, cui itidem imperator sit subjectus l. 4. C. ad l. Falcid. (*) Scholastici distinguunt inter *vim coactivam* & *directivam.* Quoad vim coactivam principem legibus solutum esse dicunt, quia princeps, cum sit superior, ab inferioribus non potest metu pœnarum ad observationem legum cogi. Quoad vim directivam principem legibus adstrictum esse dicunt, quia lex positiva deducta est ex jure naturali & recta ratione, quæ non minus principis, quam subditorum animos ad recte agendum dirigere debet. Thomas p. I. q. 96. art. 5. Dominicus a Soto lib. I. de justit. & jure

(*) 1.) *Princeps*, ait jurisconsultus. At quis? *cui* scilicet *populus omne suum imperium potestatemve concessit.* l. 1. *de const. princip. §. 7. de concept.* ff. id est, qui gaudet majestate plena & summa. Populus autem pro ratione justitiæ libere imperabat, ferebat, mutabat leges, atque omnia variabat, prout salus reipublicæ exigebat. Atque hæc sunt, quæ populus in principem contulit. 2.) *Legibus*, ait jurisconsultus. *Leges sunt scita superioris potentiæ, quibus in officio continentur, qui sua sponte officium facere recusant.* cap. *factæ &c.* dist. 4. lib. I. de l. & l. Pendent itaque leges a majestate tanquam anima, quam quia princeps obtinet, ejus placito definiuntur. l. 1. *de const. princ.* Leges dupliciter considerari possunt, a.) ut sunt objectum & regula justitiæ, b.) ut sunt instrumenta & media subservientia majestati ad regendam rempublicam. Primo modo majestas, etsi summa sit, leges tamen agnoscit tanquam superioris, Dei, naturæ & rectæ rationis, in quas si impingit, obligatur ad pœnam Deo aliquando reddendam. Peccat autem princeps majestatem obtinens in has leges dupliciter: a.) Dum non recte circa eas in rempublicam inducendas versatur, nimirum si aliter disponere præsumat, ac jure divino factum, aut jus naturæ fieri jubeat. b.) Si in ipsa gubernatione eas non observat, nimirum si princeps contra jus divinum dispensat, vel pœnas gratiam faciat, maxime in pœnis, quæ naturali ratione nituntur, si indicta causa aliquem condemnet, nisi factum sit notorium, si dominium quæsitum alicui auferat &c. Hoc primo modo Ulpianus leges, quatenus majestatem dirigunt, non consideravit, non itaque hac ratione ab ipso princeps legibus solutus dicitur; quatenus autem eædem considerantur ut instrumenta & media, subjacent majestati & exinde principi. Nov. 105. c. 2. §. fin. ait Justinianus, Imperatori & ipsas leges Deus subjecit, legem animatam eum mittens hominibus. Subjicit Deus imperatori non solum civiles, sed & naturæ ac divinas leges, ut tanquam rex subditos ad earum obsequium adigat. Imperator vero dicitur animata lex, tum quod legi mutæ & quasi mortuæ vitam addat eam tuendo & defendendo, tum quod novas creet inspirando eis animam. 3.) *Solutus*, ait jurisconsultus. *Solutus dicitur, qui non est obligatus.* Albericus Gentilis ad l. 48 de V.S. Qui scit, quousque se extendat obligatio, is etiam scire potest, quid sit solutum esse. *Obligatio legis non tam oritur ex ratione, quam ex sanctione* l. 1. & 2. de LL. *ex jussu & præcepto* l. 52. §. 5. de O. & A. inter quæ tantum interest, quantum inter virtutem philosophicam & ipsam legem l. 1. §. 1. de l. & l. Solutus ergo princeps tum a jussu & imperio, tum a coercitione legis. GERHARDVS.

jure q. 6. art. 7. Gregorius de Valent. tom. II. comment. disp. 7. q. 5. punct. 4. quos sequitur etiam Meisnerus lib. IV. de legibus sect. 1. q. 10. Hæc distinctio fere coincidit cum priore inter *necessitatem* & *honestatem*, quia quando princeps legibus necessitate quadam negatur adstrictus, intelligitur necessitas externa, videlicet coactionis, cum honestas illa, cujus respectu princeps legibus obstrictus dicitur, conjunctam habeat quamdam necessitatem internam ex hypothesi dictam, si videlicet actiones suas ad præscriptum rectæ rationis conformare, & subditis suis exemplo præluc[illegible]e velit. Huic distinctioni obvertitur: 1.) Quod a quarumdam legum observatione princeps penitus sit liber l. 14. ff. de manum. vind. l. *quod principi* 56. ff. de legat. 2. 2.) Quodve princeps cogi possit ad legum, quibus tenetur, observantiam, cum ei constitutus sit judex legitimus, coram quo conveniri possit. 3.) Quod refellatur hæc distinctio per l. 31. ff. de legibus. 4.) Quod ex ea sequatur, principem etiam naturalibus & gentium legibus esse solutum. Sed ad *primum* dicimus, facile concedi, quod quibusdam legibus civilibus penitus sit solutus princeps, illis scilicet, quæ tantum concernunt subditos; interim de communibus legibus, quarum ratio generalis est, recte usurpari potest distinctio inter vim coactivam & directivam. Ad *secundum* dicimus, distinguendum esse inter *leges imperii fundamentales*, quibus ex pacto princeps obligatur, & proinde ad observationem cogi potest, ac *leges mere civiles*. Ad *tertium* dicimus l. 31. ff. de legib. ita explicandum, ut congruat cum l. 4. C. de legibus & constit. & aliis legibus, præsertim vero cum ratione, quæ est legis anima. Ad *quartum* respondemus, nos libenter concedere, non solum civilibus, sed etiam naturalibus & divinis legibus, quoad *coactionem exteriorem*, non quoad *directionem interiorem* solutum esse principem; interim ex eo nequit inferri, distinctionem illam non posse adcommodari ad obligationem legum civilium, cum subordinata non sint sibi invicem opponenda. Addendum tamen huic distinctioni, quod vis directiva, qua princeps legibus obligatur, aliter sese habeat in legibus divinis ac naturalibus, aliter in positivis & mere civilibus; illis enim ea ratione quoad vim directivam princeps est obstrictus, ut eas nec tollere, nec abrogare possit, hisce vero ita obstrictus est, ut reipublicæ commodo ita exigente mutare, & novas leges veterum & abrogatarum legum loco promulgare possit.

§. CCLXIX. Quæritur II.) *An leges civiles violatæ obligent in conscientia?* Negant Calvinus lib. III. institut. cap. 19. sect. 15. Sibrandus lib. VIII. de pontif. Roman. cap. 7. Vasquez libr. I. illustr. cont. 28. 1.) Soli Deo competit jus & potestas in hominum conscientias, solus quippe *potest animam & corpus perdere*, Matth. X. 28. ipse est *unus legislator, qui potest servare & perdere*, Jac. IV. 12. Magistratus dominatur corporibus & fortunis hominum. 2.) Potestas civilis non judicat de internis, sed tantum de externis, ergo etiam conscientias hominum obligare nequit. 3.) Principatus ad civium utilitatem institutus est, ergo non debet in eorum perniciem vergere. Atqui perniciosissimum foret subditis ac civibus, si politicis legibus a principatu latis obligarentur ipsorum conscientiæ ad mortem æternam, nec ullo modo verisimile est, subditos, quo tempore potestatem dederunt principibus, tam laxam dare voluisse. 4.) Ad æternam mortem homines ob reipublicæ regimen civilibus legibus obligari nec expedit, quia ad hanc rem efficaciores sunt pœnæ corporales, quæ in oculos omnium incurrunt, nec justum est, quia pœna non debet excedere mensuram delicti. 5.) Omnis potestas est propter usum. Atqui princeps non potest transgressoribus suarum legum pœnam spiritualem & æternam infligere. Ergo etiam non potest ipsorum conscientias legibus suis obligare. 6.) Si conscientiæ piorum obligarentur civilibus constitutionibus, periclitaretur libertas christiana.

2.) *An leges civiles violatæ obligent in conscientia?*

7.) Quæ

7.) Quæ pœna in promulgatis legibus non exprimitur, ad eam transgressio legis non obligat. Sed in civilium legum promulgatione non exprimitur pœna æterna, sed duntaxat temporalis; non spiritualis, sed corporalis. Ergo etiam transgressio legum civilium non obligat ad pœnam æternam, proinde etiam non obligat conscientiam. Adfirmant Thomas l. 2. q. 96. art. 4. Tholosanus lib. VIII. de republ. c. 2. Dominicus a Soto lib. I. de just. & jure q. 6. Bellarminus lib. III. de laicis c. 11. Becanus part. II. theol. schol. tract. 3. c. 6. q. 2. & alii complures: 1.) Propter *expressum dictum apostoli*: Rom. XIII. 5. *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam;* ubi iræ nomine μετωνυμικῶς intelligitur pœna; ergo non solum propter pœnam magistratui & legibus magistratus parendum, ne scilicet eam incurramus, sed etiam propter *conscientiam*, ne violatione legum eam oneremus. 2.) Propter *conditionem magistratus*: Magistratus est *Dei minister*, Rom. XIII. 4. *& qui potestati ejus resistit, divinæ ordinationi resistit* v. 2. Ergo transgressio legum a magistratu promulgatarum Deum offendit, & consequenter leges civiles conscientiam obligant. Injuria legato, ut tali illata, redundat in legantem, sic contemtus magistratus in Deum, ordinis hujus auctorem. 3.) Propter *naturam legum civilium*: Omnis lex humana derivatur ex fonte legis divinæ & naturalis. Ergo ab eadem participat vim obligandi conscientias. Omnis lex, proinde etiam civilis & humana est regula morum; jam vero proprium est regulæ intrinsece ita dirigere & obligare, ut recessus ab ipsa sit peccatum in moribus, sicut recessus a regula in artibus est peccatum artis. Ergo etiam transgressio legis cujuscunque est peccatum in moribus, & fit cum vulnere conscientiæ. 4.) Propter *naturam violationis*: Quidquid inducit culpam, obligat conscientiam, quia conscientia est sensus culpæ, seu peccati & metus judicii. At leges civiles violatæ inducunt culpam. Ergo etiam obligant conscientiam. Præterea violatio legis alicujus specialis trahit secum violationem præcepti generalis de obedientia magistratui præstanda. Jam vero violatio hujus præcepti generalis vulnerat conscientiam, cum sit morale, & ab ipso Deo in quarto decalogi præcepto traditum.

§. CCLXX. Nostrarum ecclesiarum sententiam proponit Meisnerus lib. IV. de legibus sect. 1. q. 11. quam distinctionibus quibusdam includimus: 1.) *Quædam leges magistratus divinis sunt adversæ*, utpote quando ad idololatrica sacra cogere, aut novum genus divini cultus instituere conatur; *quædam vero sunt divinis conformes*, ex fonte juris naturalis deductæ & æquitati omnino consentaneæ. In prioribus conscientia ab illarum observatione est libera, *quia Deo magis obediendum, quam hominibus*, Actor. V. 29. Magistratui obtemperamus propter Deum; ergo si magistratus præcipit aliquid Deo adversum ac legibus divinis contrarium, non debetur ei obedientia. 2.) *Quædam leges civiles feruntur de rebus jure naturali ac divino jam ante prohibitis*, quæ tamen ad legum civilium censum referuntur, quia certas determinant circumstantias, *quædam vero de rebus sua natura indifferentibus*, quæ nec divina, nec naturali lege sunt prohibitæ. Illæ simpliciter obligant conscientiam, hæ certa ratione. 3.) Quarumdam legum *materia sunt res graviores ad pacem publicam & civilis societatis conservationem pertinentes*, quarumdam vero materia sunt *res leviores* ad εὐταξίαν & εὐσχημοσύνην duntaxat spectantes. Vtræque an & quomodo obligent conscientiam? ex seqq. adparebit. Vt autem in ipsis legibus civilibus, ita quoque in earum violatione magna deprehenditur diversitas. a.) Quandoque enim violatio legum civilium procedit ex *contemtu magistratus*, si quis sciens ac volens destinata animi malitia legem transgreditur, & magistratus auctoritatem susque deque habet; quandoque vero ex *ignorantia quadam invincibili* oritur, utpote si quis talem quamdam legem promulgatam esse ignoravit, vel etiam si quis hunc,

vel illum legis sensum esse nescivit. Prior violatio conscientiam sauciat, posterior minime, modo fraus & dolus absit. b.) Quandoque violatio legis procedit ex *lucri, vel vindictæ cupiditate;* quandoque vero ex *quadam necessitate.* Prior violatio, cum habeat conjuncta peccata mortalia, merito censetur conscientiam vulnerare, posterior vero minime, quin imo cum casus necessitatis semper intelligatur in lege exceptus, ideo proprie non est violatio legis. c.) Quandoque violatio legis est *conjuncta cum scandalo publico*; quandoque vero fit *absque scandalo.* Prior conscientiam vastat, posterior vero minime. Sed & obligationis *modus* est diversus. a.) Quædam obligatio conscientiæ est *specialis*, cum lex aliqua ratione sui & immediate conscientiam obligat, quædam vero *generalis*, cum lex aliqua non ratione sui & immediate, sed tantum generaliter & mediante alio præcepto, quod consequenter violatur, conscientiam obligat. Priori modo obligant conscientiam leges divinæ & naturales, posteriori leges civiles, quia scilicet earum transgressio conjunctam habet violationem præcepti generalis de obedientia magistratui præstanda. (*) b.) Quædam obligatio est *absoluta*, cum lex simpliciter conscientiam obstringit, adeo ut nullo respectu nullove in casu sine Dei offensione & conscientiæ vulnere ab ipsius præscripto discedere liceat: quædam vero *hypothetica*, cum non simpliciter, sed sub conditione obligat, scilicet si transgressio legis fiat ex contemtu, si causa lucri, vel alterius vitiosi finis, si conjunctum habeat scandalum. Priori modo obligat lex divina & naturalis, posteriori vero civilis. c.) Quædam obligatio est *directa*, cum lex immediate est a Deo, ac de rebus divinis & cultu sacrorum agit, proinde etiam illius violatio immediate, & per se in ipsum Deum fertur: quædam vero *indirecta*, cum lex non est immediate a Deo, sed mediate, nec per se & propinque Deum, Deive cultum concernit, sed consequenter & remote. Priori modo obligat lex divina, posteriori vero humana, quatenus scilicet illius transgressione ordinationi divinæ, qua magistratum instituit, & potestate legum ferendarum instruxit, resistitur. Quamvis igitur magistratus non intendat sub pœnæ æternæ comminatione leges civiles proponere, nec paratam habeat exsecutionem, qua possit istud pœnæ genus transgressoribus irrogare; ex eo tamen non potest inferri, quod leges magistratus nulla plane ratione conscientiam obligent, sed quod directe & immediate eam non obligent, interim eo ipso, quod Deus obedientiam erga magistratum & leges magistratus requirit, conscientia subditorum sub pœnæ æternæ periculo ad eas obligatur.

§. CCLXXI. Circa adjuncta legum civilium duo canones sunt notandi. 1.) *Leges non sunt nimis multiplicandæ. Corruptissima est respublica, in qua plurimæ leges*, inquit Tacitus libro IV. annal. *Quo pauciores leges sunt, modo vires suas strenue exserant, eo bene moratæ reipublicæ melius conveniunt*; scribit Jacobus, Britanniæ rex, libr. II. βασιλ. δώρ. Ratio est in aprico. Multitudo enim legum, præterquam quod est indicium plurimorum vitiorum in republica vigentium, occasionem præbet contemtui legum, ubi enim permultæ leges ponuntur, ibi multis transgressionibus occasio datur, illæ si vindicantur, asperum & *Adjuncta legum civilium.*

(*) Nonnulli sic hoc proponunt, obligare conscientiam est ejusmodi legem præscribere, quæ ad obediendum obstringit sub metu offensionis Dei, & sub culpa morali atque mortali; idque vel *generatim*, cum lex non per se obligat, sed mediante generali præcepto, quod hic est quartum decalogi, in quo honor & obedientia omni superiori præcipitur, vel *specialim*, cum ratione sui & immediate, respectu ipsarum legum positivarum, obstringit, idque vel *per se* cum ratione cultus divini ex verbo divino a magistratu propositi, tum ratione disciplinæ ad cultum, aut ad bonum aliud ordinatæ; vel *per accidens*, quando ordinis, aut decori servandi, aut scandali vitandi causa aliquid præcipitur. Quæstio non est, an leges civiles justæ obligent in conscientia, sed an primario, per se, & æque cum divinis obligent? GERHARDVS.

& immite fit imperium, sin impunitæ dimittuntur, contemtus legum introducitur. 2.) *Leges majorum non sunt temere mutandæ.* Cleonis apud Thucydidem sententia est, *melius agi cum civitate, quæ malis legibus constanter utitur, quam cum ea, quæ bonis, sed inconstanter.* Apud Æginetas cautum erat, ut, qui novæ condendæ legis causam daret, invisus omnibus & exsecrabilis fieret. Alexander ab Alex. libr. VI. gen. dier. cap. 14. Ratio hujus canonis est manifesta. Non enim tantum prodest, qui legem corrigere tentat, novæ legis introductione, quantum nocet adsuefactione superioribus non parendi. Petrus Gregorius lib. X. de republ. cap. 5. numer. 17. Vt sine valetudinis jactura victus ratio mutari nequit, sic leges non possunt sine reipublicæ perturbatione mutari. Quemadmodum in ædificio ruunt omnia tigno aliquo exemto, sic unius legis mutatio quandoque ruinam trahit reliquarum omnium, qua ex re necesse est magnos motus existere. Nihil difficilius ad tractandum, nihil ut obtingat incertius, nihil periculosius ut servetur, quam inducendarum legum novarum sese auctorem constituere. Qui enim primus eas introducit, omnes illos infensos habet, qui ex antiquis institutis commoda capiunt. Hoc probe perpendit *Agesilaus*, de quo Erasmus lib. I. apophthegm. 71. Cum enim in pugna Leuctrica Lacedæmoniorum plurimi fugissent, qui legibus pœnas dare deberent, ephori metuentes, ne civitas deserta viris egeret militibus, cupiebant hanc ignominiam fugitivis remittere, simul tamen leges servare. Deligunt igitur Agesilaum novarum legum conditorem, is in suggestum prodiens, *Ego*, inquit, *alias leges haudquaquam laturus sum, sed mihi rectum videtur, ut leges quas habetis, a die crastino robur accipiant*, qua ratione & militum saluti & legum vigori consultum voluit. *Zaleucus*, Locrensium legislator, diuturnitati suarum legum consulturus tale prœmium eisdem præmisit, referente Stobæo serm. XLII. *Si quis voluerit leges sanctas movere, aut novam statuere, is collo in laqueum immisso de lege verba faciat, & si per suffragia videatur legem veterem esse tollendam, aut eam, quæ nova infertur, bonam esse, indemnis maneat, contra vero si prior lex melius habere videatur, is, qui movet infertque legem, laqueo adtracto moriatur.* Distinguenda tamen a temeraria legis mutatione ea, quæ fit ex causa urgente & necessaria salutem reipublicæ concernente. Vt enim in morbis nova non sunt tentanda remedia, si veteribus malo succurri possit; sic non sunt condendæ novæ leges, si veteres ministrent aliquid, quo malis reipublicæ medearis. Erasmus in lib. de instit. princ. Sed quemadmodum mutato morbi statu & qualitate mutantur etiam remedia: sic prudens legislator mutatis subditorum moribus, mutato reipublicæ statu, mutatis illis, ad quæ in legibus ferendis respiciendum, leges etiam mutare optima ratione poterit. In rebus enim politicis cedendum est tempori, itaque & prior reipublicæ status immutari, & decreta ante facta revocari possunt, si utilitas suadeat. Thucydides lib. VIII.

ARTICVLVS II.

DE JVDICIIS.

Ratio ordinis.

§. CCLXXII. Magistratus non solum prudens νομοθέτης, sed etiam constans νομοφύλαξ esse debet; tueatur leges tum *divinas*, tum *positivas*, quas ipse probabili ratione in salutem reipublicæ divinis addidit, lex enim absque exsecutione nullum obtinet pondus, nec ullum civitati adfert fructum. Actum est cum illa republica, *in qua mores perduxere leges in potestatem suam, ac eæ misere ad parietem fixæ clavis ferreis*, ut comicus in Trinummo loquitur. Exsecutio legum spectatur, tum in *judiciis*, ut juxta earum normam sententiæ ferantur, tum in *suppliciis*, ut transgressores

legum pœnis adficiantur, contra vero bonis & obedientibus præmia conferantur. Jurisconsulti simili fere ratione dicunt, cum cura disciplinæ publicæ, quæ in promulgandis legibus potissimum spectatur, conjungendum esse exercitium *jurisdictionis*, quam definiunt hoc modo, quod sit *potestas politica statuendi aliquid de negotio civili, vel criminali*; Vultejus libr. I. jurispr. Romanor. cap. 12. numer. 1. unde eam distinguunt *in civilem & criminalem.* Jurisdictio civilis in *judiciis*, criminalis in *suppliciis* spectatur. Postquam igitur de *legibus* actum fuit, de *judiciis & suppliciis* porro agendum restat. Vt justitia, quæ una cum religione est fundamentum & fulcrum reipublicæ, inter subditos vigeat, adcuratam omnino judiciorum curam magistratum habere oportet, ut in illis jus æqua lance omnibus administretur, & juxta normam receptarum legum civiles lites finiantur. Constituat igitur magistratus certos judices, *legum præsides* & executores, exemplo *Mosis*, Exod. XVIII. 21. & *Josaphati*, 2. Paralip. XIX. 5. ac diligenter provideat, ut suo illi recte fungantur officio, nec ad dextram, vel sinistram a justitiæ tramite deflectant.

An liceat magistratui exercere judicia?

§. CCLXXIII. Antequam vero proponamus certos canones, ad quos in exercendis judiciis magistratui respiciendum, excutienda est prius quæstio: *An liceat magistratui judicia exercere, & an christianus possit salva & illæsa pietate in judicio coram magistratu contra proximum agere?* Negant *Anabaptistæ*,(*) & qui eos ex parte sequuntur, *Photiniani*, ut ostendimus ipsorum verbis superius cap. III. sect. I. §. LXXV. adlatis. (**)

Affirmativa probatur 1.) Ex scripturæ dictis.

Vtimur vero contra illum errorem hisce fundamentis. I.) *A divina judicum ordinatione:* Quodcunque Deus ipse instituit, ordinat ac mandat, illud etiam ipsi probatur. Sed judicum officium Deus ipse instituit, ordinavit ac mandavit. Ergo etiam illud officium Deo probatur. Quod est bona Dei ordinatio, eo christianus salva & illæsa conscientia uti potest, non minus ac creaturis a Deo conditis cum gratiarum actione uti potest. 1. Tim. IV. 4. Jam vero officium judicum est bona Dei ordinatio. Ergo etiam christianus salva & illæsa conscientia eo uti potest, hoc est, & judicis officium legitime sibi delatum gerere, & judicis officium implorare potest. *Adsumtum* utriusque syllogismi probatur 1.) *Expresso illo mandato*, quod Deus Mosi dedit de judicibus constituendis: Deut. XVI. 18. *Judices & præfectos constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio.* Si Deus mandat judices constitui, utique officium judicum erit bona Dei ordinatio. 2.) *Præceptis de officio judicis recte administrando traditis*, qualia occurrunt in Mosaicis legibus longe plurima: Exod. XXIII. 6. Deut. I. 16. XVI. 19. XIX. 18. XXV. 1. &c. Conjunge Psal. LXXXII. 2. Esa. I. 17. Jer. XXII. 3. Amos V. 15. Zach. VII. 9. Nisi officium judicum Deo probaretur, nunquam de eo certas leges tulisset. 3.) *Mandatis de implorando judicis officio*: Exod. XXII. 9. *Super omni prævaricatione tam in bove, quam in asino, & ove ac vestimento, & quidquid damni inferri potest, ad deos*, sive judices, *causa utriusque perveniet.* Deut. XVII. 8. *Si obscurior fuerit causa aliqua, &c. surges & adscendes ad locum, quem elegerit Dominus Deus, & venies ad sacerdotes, Levitas, & ad judicem, qui erit in diebus illis, & quæres, & indicabunt tibi verbum judicii.* c. XIX. 17. *Stabunt ambo, quorum est causa, ante Dominum in conspectu sacerdotum & judicum, qui fuerint in diebus illis*, ubi nota, quod coram judice stare sit *ante Dominum* stare, nimirum, quia judicium est Dei ordinatio. c. XXV. 1. *Si fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint judices, &c.* Prov. XXV. 9. *Age causam, de qua est controversia, inter te & proximum tuum.* Nisi officium judicum esset divina & Deo placens ordinatio, non juberet, ut oppressi

(*) Vid. quæ *de Anabaptistis tom. XIII. §. XLVIII. p. 250.* in *nota* diximus.

(**) Vid. rursus *tom. XIII. locor. theolog. p. 273.* ubi in *nota* textui subjecta GERHARDVM supplevimus.

preſſi illud implorarent. 4.) *Dictis illis, in quibus judicium dicitur eſſe Dei.* Deut. I. 17. 2. Par. XIX. 6. Si judicium, quod magiſtratus exercet, eſt Dei judicium, utique etiam erit bona Dei ordinatio. Pſal. LXXXII. 1. diſerte dicitur, quod *Deus ipſe in medio deorum*, ſive judicum, *judicet.* Ergo judicium eſt ipſius Dei *originaliter*, auctoritative & principaliter, magiſtratus eſt duntaxat *miniſterialiter & inſtrumentaliter.* 5.) *Expreſſo illo divinæ ſapientiæ effato:* Prov. VIII. 16. *Per me reges regnant, & judices juſta decernunt.*

§. CCLXXIV. Neve obvertant Anabaptiſtæ, *in veteri quidem teſtamento judicum officium a Deo eſſe inſtitutum & mandatum, aliam vero eſſe nov. teſt. rationem, in quo chriſtiano non liceat officium judicis exercere, vel ſi læſus ſit ab alio, illud implorare*; producimus 1.) *Locum apoſtolicum* Rom. XIII. 4. *Magiſtratus eſt miniſter Dei tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim ſine cauſa gladium geſtat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui male agit.* Si magiſtratus in illo ipſo officii ſui actu, quando judicium exercet, & vindictam in malos ſtatuit, eſt *Dei miniſter*, utique officium judicum etiam in novo teſtamento eſt bona Dei ordinatio. Obſerva etiam, quod magiſtratus dicatur conſtitutus ſubditis *in bonum*, nimirum ut bonum publicum promoveat juſtitiam adminiſtrando, juſtos defendendo, ſontes puniendo. Quare cum hoc bono & dono divinitus conceſſo utimur, hoc eſt, cum officium magiſtratus imploramus, recte omnino facimus. 2.) *Dictum Chriſti* Matth. V. 25. Luc. XII. 58. *Quando vadis cum adverſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.* Si non liceret judicia exercere, Chriſtus damnaſſet potius adcuſantem & judicem, quam conſilium dediſſet adcuſato, quomodo ab adcuſatoris moleſtia & judicis ira ſeſe expedire & liberare debeat. Excipit quidem Smalcius contra Frantzium diſp. VI. de rebus civil. p. 388. *locum hunc eſſe allegoricum, ideoque non tam verba, quam ſenſum in eo ſpectandum, quod videlicet ad reconciliationem fraternam promti eſſe debeamus*, ſed hoc non labefactat vim noſtri argumenti. Si enim Chriſtus judicia civilia cuperet ſublata, non propoſuiſſet argumenti loco judiciorum ordinem & eventum, quo ad fraternam reconciliationem nos hortaretur, unde ipſe Smalcius paulo poſt addit, *in genere de judiciis & judiciis & eorum exſecutione ibi eſſe ſermonem.* Eſt ergo hæc parabola in earum genere, quæ etiam ad literam aliquid docent in externis inter homines, & deinde ſimul etiam aliquid altius coram Deo indicant, qualis eſt parabola Luc. XIV. 8. de adcubitu in priore & noviſſimo loco. 3.) *Pronunciatum apoſtolicum* 1. Cor. VI. 5. *Sic non eſt ſapiens quisquam inter vos, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum?* ubi cauſas fidelium coram fidelibus judicari præcipit: proinde eſſe fidelem ac chriſtianum, non pugnat cum judicis officio. Conjungenda etiam ſunt argumenta reliqua, quæ oſtendunt etiam in novo teſtamento legitima judicia eſſe Deo grata ac probata.

§. CCLXXV. II.) *A probatis exemplis* eorum, qui vel judicis officio functi fuere, vel defenſionem & officium judicis imploravere. *Moſes, Joſua,* & alii tum *reges*, tum *judices* Iſraëlitici populi fuere ſancti ac Deo probati viri. Atque illi judicia exercuerunt, controverſias ſubditorum diremerunt, atque omnes muneris judiciarii partes peregerunt. *Jethro*, Moſis ſocer, conſulit genero ſuo, ut *viros fortes, Deum timentes, veridicos, & avaritiam odio habentes eligat*, eosque judices populo præficiat Exod. XVIII. 21. Ergo non pugnat inter ſe Deum timere, & judicis officio fungi. *Joſaphatus*, pientiſſimus rex, a Spiritu ſancto inter cætera etiam eo nomine commendatur, quod per ſingulas urbes *judices conſtituerit*, eosque ſedulo hortatus fuerit, ut juſte judicarent, perpetuo ſcilicet memores, Deum eſſe ſecum in judicio. 2. Paral. XIX. 2.) *A probatis exemplis.*

XIX. 6. *Naboth* recusat vineam suam regi Achabo vendere 1. Reg. XXI. 3. exceptionis loco opponens legem, quæ prohibet patrimonia civium Israëliticorum confundi; Numer. XXXVI. 7. provocavit igitur a rege ad legem, & beneficio juris rerum suarum quietam possessionem sibi vindicavit. *Christus* ipse suo exemplo doctrinam de judiciis recte instituendis, & auxilio judicis implorando tradere voluit, quando præter meritum a servulo pontificis percussus dicit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, sin autem bene locutus sum, quare me cædis?* Joh. XVIII. 23. quibus verbis ad legitimi judicii ordinem provocat, qui non permittit, ut causa nondum cognita innocens percutiatur. *Paulus* apostolus hisce Christi vestigiis insistens pontificem de neglecto legitimi judicii processu adcusat Act. XXIII. 3. *Tu sedes judicans me secundum legem, & contra legem jubes me percuti?* Idem ad jus civitatis Romanæ provocando contra injustam inferioris judicis sententiam sese munivit, & adpellationes ad superiorem judicem suo exemplo comprobavit: Act. XVI. 37. *Cæsos nos publice, non convictos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos ejiciunt?* Act. XXII. 28. causam suam contra Judæos judicio cum ipso contendentes defendit. Act. XXV. 10. *Ad tribunal cæsaris sto, ibi me oportet judicari.* Luc. XVIII. 3. proponitur a Christo parabola *viduæ* illatam sibi ab adversariis injuriam ad judicem deferentis, & vindictam postulantis, ut doceamur, Deum audire gemitus & preces eorum, qui affliguntur, & vindictam, ἐκδίκησιν, illis esse facturum. At si illa vidua peccasset implorando judicis officium, Christus eam non proposuisset in exemplum, quod moneat nos *semper orare & non deficere.* Ex quibus omnibus sic concludimus: Quod congruit probatis sanctorum exemplis, illud christianus absque ullo conscientiæ scrupulo suscipere potest. Atqui officium judicis administrare, itemque officium judicis contra injurias ab alio illatas implorare congruit probatis sanctorum exemplis. Ergo christianus absque ullo conscientiæ scrupulo potest officium judicis administrare, idemque contra injurias implorare. Quid quod *Deus ipse* judicis officio inter homines functus. Primos enim parentes post lapsum in jus vocat, seu citat: *Adam ubi es?* inquit Genes. III. 9. citationem sequitur adcusatio, adcusationem criminis probatio ex propria rei confessione, cognitionem & confessionem sententia judicatoria & pœnalis. Idem adhuc hodie in occulto & interno conscientiæ tribunali quotidie agitur.

§. CCLXXVI. III.) *A judiciorum civilium utilitate.* Judicia sunt veluti statera æquitatis, vox legis, omnisque contentionis ac litis consummatio, in quibus cardo reipublicæ vertitur, justitiæ vis, perfectio & administratio collocatur. Non enim unus, sed multiplex est judiciorum in humana societate finis atque usus. 1.) Veritas in altissimo puteo secundum Democritum sæpius delitescens in lucem producitur, occulta delicta per viam inquisitionis manifestantur, negata per viam probationis confirmantur, ac quod in genere de omnibus rite constitutis disputationibus, idem etiam de civilibus illis disceptationibus adseri potest, quod videlicet sint veritatis investigandæ media atque limæ. 2.) Disciplina externa conservatur, publica pax & tranquillitas viget, dum in judiciis boni defenduntur, & improborum injuriæ ab illis prohibentur. *Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt*; ait Cicero pro Cecinn. 3.) Justitia exercetur & administratur, quando legitimo possessori bona adjudicantur, & delinquentes pœnis meritis adficiuntur. Prov. XX. 8. *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Judiciorum & forensium actionum auctoritas, ideo publice constituta est & introducta, ut quisque per viam juris legitimis actionibus & remediis jus suum ac sibi debitum consequatur, neve cuiquam fas sit rei suæ consequendæ gratia per vim atque injuriam sibi aditum ad vindictam munire.

3.) *A judiciorum commodis.*

munire. l. *Nemo exterus.* C. *de Judæis.* 4.) Emendatio civium quæritur, concordia rectius ac firmius inter eos stabilitur, audita legum & judicis sententia amor justitiæ in eorum animis redintegratur. 5.) Nostri ac nostrorum defensio obtinetur. Deus in regeneratione non adimit piis ordinatum amorem sui ac suorum, quia *gratia naturam non abolet*, sed corrigit ac perficit. Cum ergo natura defensionem sui dictitet, jure divino ad eam obtinendam judicia & officium judicis licet implorare. (*) 6.) Denique gloria Dei propagatur, cujus sapientissima, benignissima & justissima ordinatio sunt judicia civilia, cui etiam soli debetur hic honor, quod sit auctor, conservator ac defensor nostræ vitæ, famæ, fortunæ, bonorum omnium tam corporis, quam externorum, qui judiciorum ordinem mirando consilio instituit bonis in bonum, malis vero ad vindictam malorum.

4.) *A judiciorum necessitate.*

§. CCLXXVII. IV.) *A judiciorum necessitate.* Absque judiciis politiæ consistere nequeunt, quippe quæ sunt earum adminicula, & ordinis hujus instrumenta summe necessaria, unde per judicia *hominum societas conservari* dicitur, l. *judices.* C. *de dignit.* Judicia qui tollit, ipsas politias evertit. Sublatis enim judiciis 1.) *Injuriæ diluvii instar passim inundabunt.* Testatur experientia manifestissima, injurias & scelera incrementum hodie sumere amplissimum, cum tamen judiciis civilibus coërceantur, quid futurum censemus judiciis abolitis atque sublatis? Leges nihil quidquam prosunt absque judiciis. At leges in republica sunt necessariæ. Ergo etiam judicia. *Legum interpretes sunt judices*, inquit Cicero pro Cluent. Litigare ergo, sive in judicio contendere, nihil aliud est, quam legum interpretationem & exsecutionem petere. 2.) *Boni defensione carebunt.* Exulceratissimis hisce seculi nostri temporibus *abundat iniquitas.* Matth. XXIV. 12. boni in medio impiorum velut *oves in medio luporum*, Matth. X. 16. & velut *lilia inter spinas* Cant. II. 2. vivunt, a quibus omni injuriarum, fraudum & calumniarum genere punguntur & affliguntur, summa igitur necessitas requirit, ut per judicia civilia defensio illis præstetur. 3.) *Justitia exsulabit*, injuriis, fraudibus, rapinis, cædibus, aliisque delictis impune grassantibus. 4.) *Publica pax & tranquillitas*, imo ordo politicus *penitus abolebitur*, nemo possessiones suas quiete obtinere poterit, innocentes & inferiores a potentioribus opprimentur, & cyclopica quædam confusio introducetur. 5.) Ecclesia non poterit per quietam & publicam verbi prædicationem colligi, quippe quod absque externæ disciplinæ conservatione fieri nequit. Ac verbo uti dicam, quanta magistratus politici, tanta quoque civilium judiciorum est necessitas.

5.) *A rationis paritate.*

§. CCLXXVIII. V.) *A paritate.* Si in ordine ecclesiastico recte instituuntur *judicia ecclesiastica*, quibus delinquentes coërcentur; utique etiam in ordine politico recte instituuntur *judicia civilia.* Vt enim disciplina ecclesiastica absque talibus ecclesiasticis judiciis conservari nequit; ita quoque politica disciplina politicis ac civilibus judiciis indiget. Si *in ordine œconomico* patrifamilias in sua domo incumbit honesta disciplina liberos & familiam regere, contumaces castigare, bonos præmiis adficere, &c. utique etiam magistratui incumbit, subditos fidei & curæ suæ commissos civilium judiciorum administratione ad justitiam & studium virtutis ac honestatis deducere, delinquentes coërcere, bonos præmiis, malos pœnis adficere.

§. CCLXXIX.

(*) Augustinus lib. XIX. de civ. Dei cap. 6. *Ipsa judicia hominum de hominibus, civitatibus etiam quantalibet pace manentibus, deesse non possunt.* Libr. XIV. cap. 16. *Pertinet ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse, qui plectitur, corrigatur, aut alii terreantur exemplo.* GERHARDVS.

Limitationes. §. CCLXXIX. Notandum tamen, nequaquam a nobis probari multiplices & varios *abusus*, qui in civilibus judiciis utplurimum conspiciuntur. Vt enim prætermittamus *errata judicum*, quibus sequentes canones sunt oppositi, res ipsa testatur, sæpius contra caritatis regulam ab illis peccari, qui in foro civili causas agunt, tum ratione *causæ impulsivæ*, quando quis vel animi malevolentia suffusus, vel invidia corruptus, vel iracundia incensus, vel libidine rixandi, aut animo vindictæ cupido impulsus litem proximo intentat; tum ratione *materiæ*, quando ob res leves ac frivolas, aut certe compositu faciles protinus ad tribunal judicis curritur, & absque ulla condonatione fraterna & christiana patientia, absque tentata prius compositione & reconciliatione amicabili proximo lis intenditur; tum ratione *formæ*, quando per convitia, calumnias, fraudes, impostura, sophismatum præstigias & sycophantias judiciarius processus instituitur, summa verborum atque animorum acerbitate omnia geruntur, & christianæ modestiæ, æquanimitatis ac patientiæ limites transiliuntur; tum ratione *finis*, quando actor non tam sui defensionem & justitiæ administrationem, quam adversarii confusionem, ruinam, damnum & infamiam quærit, quæ omnia tanquam accidentarii & vitiosi abusus a civilibus judiciis, quæ in se ac per se sunt sancta Dei ordinatio, ad civilis societatis conservationem summopere necessaria, accurate sunt distinguenda, & juxta monitum b. Lutheri, is, qui in foro causas recte & legitime cupit agere, amicam prius reconciliationem tentet, quam si obtinere non possit, magistratum justitiæ præsidem adeat, reverenter se subjiciat legibus, judiciorum ordini & auctoritati magistratus, nec suam quærat vindictam privatam, sed publicam, quam Deus exercet per magistratum, nec litem ex lite ferat in mortali corpore inimicitias immortales gerendo, sed ut alias finis legitimi belli pax est, ita quoque suis in foro actionibus nihil aliud, quam pacis, justitiæ, veritatis & concordiæ rationem habeat. Sic *certent causæ, ut non certent pectora, der Sachen Feind, der Person Freund.* (*)

Antithesis & argumenta Anabaptistarum.

§. CCLXXX. Ex hisce facile adparet, quid ad Anabaptistarum & Photinianorum objecta, quibus civilia judicia oppugnant, respondendum sit. Duo potissimum scripturæ dicta urgent. *Prius* est Christi Matth. V. 38. *Audistis, quod dictum sit, oculum pro oculo, dentem pro dente.* v. 39. *Ego autem dico vobis, non resistendum esse malo, sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* v. 40. *Et ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Idem fere repetitur Luc. VI. 29. ex quo colligunt Anabaptistæ, *christiano quantumvis injuria adfecto non licere ad judicis officium confugere, ejusque defensionem & auxilium implorare.* Photiniani concedunt quidem, *christiano permissum esse suum judicio persequi, & damni sibi injuste illati compensationem per magistratum quærere*; interim ex hoc Christi dicto colligunt, *in vet. test. quidem non omnem vindictam prohibitam fuisse, sed tantum privatam, in novo vero omnem prohibitam esse, tam publicam, quam privatam.* Ostorodus in instit. cap. 26. p. 165. Smalcius in refut. disp. VII. Frantzii de bonis operibus pag. 237. ubi definit, vindictam esse eam, *si quis per magistratum efficit,*

1.) *Ex Matth. V. 38. Non resistendum esse malo.*

(*) Chemnitius tom. II. loc. comm. cap. de vindicta fol. 152. edit. Francof. in 4. anno 1591. *Vindicta est duplex: Altera inordinata, seu privata, ex malo adfectu profecta, tendens in malum; altera ordinata, seu publica, quæ fit per magistratum certo ordine, certisque legibus, sine salutari Illa passim taxatur:* Matth. V 39. Rom. XII. 17. Confer Matth. XXVI, 52. Luc. IX, 55. *Fit hæc vindicta mala ex malitia omnium causarum:* 1.) *Efficientis, quia fit a persona, cui vindicta non competit.* 2.) *Impulsivæ, quæ est odium, ira.* 3.) *Materialis, causa quandoque levis, nulla.* 4.) *Formalis, destituta legitimis mediis.* 5.) *Finalis, damnum & suppressio proximi. Hæc publica est magistratui concessa.* Gen. IX. 6. Exod. XII. 18. Deut. XXXI. 21. Rom. XIII. 4. 1. Petr. II. 14. GERHARDVS.

cit, ut ii, qui nos offenderunt, paribus malis adficiantur, idque sine ullo fructu nostro. Pag. 239. proponit suum argumentum ex his Christi verbis deductum: *Verba Christi opponuntur ei, quod licebat sub lege, nempe oculum pro oculo, dentem pro dente curare excludi. Hoc vero nemini licebat sub lege propria auctoritate, sed tantum per magistratum. Vnde adparet, nec per magistratum nobis nunc licere ita resistere malo, ut olim lex permittebat.* Et paulo post: *Verba Christi:* si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram; *explicatio specialis sunt illorum generaliter dictorum:* ne resistatis malo. *Itaque quemadmodum hæc de vindicta per magistratum non repetenda agunt, sic etiam illa de eadem vindicta agere necesse est.* Desumsit hoc ex Socino, qui in libro: *cur evangelici Photinianis se adjungere debeant?* cap. 3. p. 23. sic scribit: *Manifeste pugnat cum verbis Christi* Matth. V. quod *apud evangelicos permittitur, ut quis injurias suas per magistratum ulciscatur,* hoc est, *eum puniri curet, qui injuriam sibi intulit, licet ex ea punitione nihil prorsus commodi ad se privatim rediturum esse intelligat. Christus enim non vult in disciplina sua locum esse legi Mosaicæ, oculum pro oculo, &c. quæ lex ad ulciscendas injurias suas per magistratum omnino pertinet, quod Moses concedit, vel potius jubet.* Resp. 1.) Ostensum fuit suo loco in tract. de evangel. §. LXV. Christum in Matth. V. *non legi divinæ,* sed *pharisaicis* legis divinæ *corruptelis* suam doctrinam opponere, nec tradere *nova* ac perfectiora quædam *præcepta*, ut volunt Photiniani, vel *consilia evangelica*, ut volunt pontificii, sed corruptelas pharisaicas, quibus legem Domini depravabant, removere, & veram legis sententiam explicare, id quod tam clarum & apertum, ut Bellarminus ipse lib. IV. de justif. cap. 3. hoc agnoscat. (*) Probatur autem clarissimis hisce argumentis: *primo*, quod Christus *antiquis dictum* ait de *inimicis odio habendis*, illud non exstat in lege Mosaica, sed potius contrarium Exod. XXIII. 4. Levit. XIX. 17. Prov. XXV. 21. (frustra excipit Smalcius, *illum duntaxat inimicum ibi præcipi diligendum, qui simul sit civis & filius populi,* disp. VII. contra Frantz. p. 204. quia hæc pharisaica glossa jamdudum protrita est a Christo in parabola de Samaritano Luc. X. 30.) taxantur ergo vitiosæ legis depravationes, quas sub antiquitatis prætextu pharisæi auditoribus suis obtrudebant. *Deinde*, quæ Christus hoc loco doctrinæ, quam vocant *veterem*, opponit, ea exstant in lege divina vet. test. utpote de ira & signis iræ, Gen. IV. 6. Ps. CXII. 10. Levit. XIX. 17. de concupiscentia uxoris proximi in ipso decalogo, & Job. XXXI. 1. Jer. V. 8. Prov. VI. 25. &c. ergo non addit legi nova præcepta, sed veterem legem explicat. *Tertio*, summa legis est dilectio, ut Deum ex toto corde, tota anima & omnibus viribus, proximum autem, ut nos ipsos diligamus, ad quam perfectionem summam in lege præscriptam quid potuisset addi? *Quarto*, Christus concionis suæ generalem scopum hoc modo format: v. 20. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; ad hanc generalem thesin reduci debent hypotheses speciales, quæ sequuntur, & liquido adparebit, legem non accusari a Christo cujusdam imperfectionis, sed pharisaicas legis corruptelas improbari. *Quinto*, Christus notanter inquit: *Audistis, quod dictum sit antiquis*; non autem: percepistis, quid in lege & prophetis scriptum, opponit igitur suam concionem non ipsi legi,

S 2 sed

(*) 1.) Photiniani calumniandi ansam dant paganis & apostatis, quasi doctrina ecclesiæ tolleret politiam. 2.) Socinus sibi ipsi contrarius: concedit damni injuste illati compensationem a magistratu petere p. 24. & tamen disputat, *non licere ob Christi interdictum, vel magistratui injurias ulcisci, vel læsæ vindictam a magistratu petere.* Atqui quid judicialis sententia de damno compensando aliud, quam publica magistratus vindicta? si ergo concessum est, reum condemnare ad damni compensationem, concessa etiam est vindicta publica. 3.) Socinus nos insigni adficit injuria, quasi nostra vindicta tantum causa odii, malitiæ & offensionis instituta sit, quam tamen ipsimet procul a christianis abesse debere docemus. GERHARDVS.

sed depravationibus legis, quas nomine & prætextu antiquitatis colorabant.(*) 2.) Eodem igitur sensu etiam hæc pericope concionis Christi accipienda est, quod videlicet non sit opposita legi divinæ, quæ publicam magistratus vindictam non solum permittit, verum etiam præcipit; Exod. XXI. 24. Levit. XXIV. 20. Deut. XIX. 19. sed pharisaicis hujus legis corruptelis, quibus eam depravabant, & in alienum sensum detorquebant. Ex eo enim, quod lex magistratui vindictam talionis præcipit, pharisæi colligebant, *singulis etiam privatis accepta injuria licere sese ulcisci, ac malum pro malo reddere, modo non excedatur modus talionis.* Sed Christus huic depravationi opponit veram legis interpretationem, quod scilicet ad magistratum pertineat præceptum *de vindicta*, privatis vero dictum esse, *ne resistant malo*, id quod in ipsa etiam lege diserte proponitur, Levit. XIX. 18. ubi Moses, qui magistratui vindictam publicam prius mandaverat, privatis dicit: *Ne quæras ultionem, nec memor sis injuriæ civium tuorum.* (ubi LXX. interpretes notanter verterunt: *Non ulciscatur tua manus*) Et Salomon, id quod magistratui mandatum erat, *sicut fecit, ita fiat illi*, illis ipsis verbis personis privatis prohibet: Prov. XXIV. 29. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei, rependam unicuique juxta opus suum.* 3.) Adcurate igitur notandum, ad quos hæc Christi sententia pertineat, id quod ipse contextus ostendit. Christus enim inquit: *Ego dico vobis*, scilicet discipulis & auditoribus meis, fuerunt autem tunc auditores Christi non Tiberius imperator, nec Pilatus, Judææ præses, nec alii in publico magistratus officio constituti, sed apostoli, discipuli & turbæ, ergo non agit de officio magistratus, sed apostolos suos & privatos docet, ne vindicta privata injurias ulciscantur. 4.) Ex ipsa serie contextus elicitur, verba Christi accipienda esse non *absolute* & ἁπλῶς, sed *comparate* & συγκριτικῶς. Loquitur Christus ad privatos, qui propter professionem doctrinæ suæ *patiebantur persecutionem*, Matth. V. 10. *adversus quos dicebant omne malum*, v. 11. illis promittit *copiosam in cælo mercedem*; v. 12. interim hortatur eos ad patientiam, ac sedulo monet, ne ex privatæ vindictæ cupiditate quidquam agant, sed potius inimicos suos diligant, benefaciant illis, qui oderunt eos, orent pro persequentibus & calumniantibus eos, v. 44. ac ab omni privata vindicta tam remotos & alienos esse vult, ut malint potius præbere percussori alteram maxillam, & illi, qui tunicam ipsis abstulit, etiam pallium dimittere, quam se ipsos ulciscantur. Ex eo vero colligi nequit, quod non liceat oppressis & injuria adfectis auxilium magistratus implorare, & defensionem atque ἐνδειξιν exemplo viduæ Luc. XVIII. 3. petere; sed verba Christi accipienda sunt de eo casu, quando non potest defensio & auxilium magistratus haberi, vel quando magistratus suo deest officio, & negligit vindicare injurias piis illatas. Cum quo convenit explicatio Augustini, qui in lib. de mendac. c. 15. & in epist. V. ad Marcellinum docet, *has sententias potius de interiore animi præparatione, quam de externa operis ostensione intelligendas*, id enim monente b. Luthero sic accipiendum: *etiamsi non statim ipso opere altera maxilla percutienda & pallium etiam auferendum offeratur, quod nihilo tamen minus animus interea paratus esse debeat, si legitima defensio apud magistratum obtineri nequeat, alias & plures injurias accipere, quam se ipsum vindicare.* 5.) Hæc interpretatio & limitatio colligitur ex ipsius Christi facto, Joh. XVIII. 23. cum enim servulus pontificis alapam ipsi impegisset, non præbuit ei statim alteram maxillam, sed contra hanc injuriam provocavit ad legitimum judicii processum

(*) In Græco est τοῖς ἀρχαίοις, quæ vox non tantum significat *antiquos*, sed insuper *præcipuos*, *principes* & *præpositos*, ideoque hoc nomine satis clare antiqui pharisæi, qui erant ἀρχαῖοι, exprimuntur. Piscator: *Audistis, quod dictum sit ab antiquis. Similis loquendi modus exstat* Luc. XXIV. 34. ὤφθη Σίμωνι, *visus est Simoni, id est, a Simone.* 1. Cor. XV. 6. *Visus est fratribus, id est, a fratribus.* GERHARDVS.

ceſſum & judicis præſentis officium: *Si male locutus ſum, teſtificare de malo, ſi autem bene, quid me cædis?* q. d. ſtamus hic coram judice, quod ſi me pœnis dignum exiſtimas, profer accuſationem, eamque idoneis teſtimoniis comproba, ſin minus, non debes innocentem percutere. Poſtea vero cum querela ſua apud injuſtum judicem nihil contra injuriam ſibi illatam proficeret, *totam faciem*, imo *totum corpus patienter præbuit percutientibus*, Eſa. L. 6. *& vindictam Deo juſte judicanti commendavit.* 1. Petr. II. 23. Quodſi verba Chriſti: *ſi quis te percuſſerit in maxillam, præbe illi & alteram*, tam nude & crude intelligenda eſſent, quod non liceat magiſtratus defenſionem & vindictam implorare, Chriſtus ipſe contra hoc præceptum ſuum egiſſet. 6.) Ante hanc concionem Chriſtus anabaptiſticis & Photinianis erroribus obviaturus diſerte dicit v. 17. *Nolite putare, quod venerim ſolvere legem aut prophetas, non veni ſolvere, ſed implere.* Atqui ſi publicam magiſtratus vindictam in lege præceptam abſolute & ſimpliciter abolitam voluiſſet, certe etiam legem ſolviſſet. Joh. XVIII. 36. expreſſe teſtatur, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, hoc eſt, ſe non veniſſe in mundum hoc fine, ut regna terrena & judicia civilia in illis neceſſaria mutaret, vel aboleret, ac novam quamdam politiam civilem novis legibus inſtitueret, ſed ut ſpirituale regnum ordiretur. 7.) Paulus, qui evangelium ab ipſo Chriſto didicit, Rom. XIII. 4. magiſtratum etiam in nov. teſt. dicit eſſe *miniſtrum Dei vindicem ad iram illi, qui malum facit*, ac Petrus, qui huic concioni Chriſti interfuit, eam ſic explicat, quod publica magiſtratus vindicta per eam minime ſit ſublata 1. Pet. II. 14. 8.) Chemnitius c. 51. harm. p. 367. etiam hoc addit, *Chriſtum hanc ſuam concionem oppoſuiſſe phariſaico ſomnio, quod apoſtoli, diſcipuli & turbæ circumferebant* de externo quodam & politico regno Meſſiæ, in quo externis præſidiis, armis & potentia imperii totum mundum ſubacturi, & ab omnibus injuriis externa defenſione tuti futuri eſſent; ſed Chriſtum prædicere ipſis alapas, ſpoliationes, injurias & contumelias, nec a magiſtratu, vel judiciis multum ſubſidii, aut defenſionis ipſos in hoc mundo habituros, ſed potius angarias & ablationes ab ipſis fore timendas. Item, Chriſtum hoc loco tradere formam regni ſui ſpiritualis, cujus ratio in externa ſpecie ea eſt, ſicut hoc loco deſcribitur, & Joh. XVIII. 32. aliam vero eſſe conſtitutionem regnorum mundanorum certis honeſtis legibus, defenſionibus & pœnis ordinatam, quam & ipſam eſſe Dei ordinationem, ſatis conſtet ex Rom. XIII. 1. & chriſtianum etiam ordinationibus hujus regni ſibi in bonum uti poſſe, docet apoſtolus ſuo ipſius exemplo, Act. XXIII. 3.

§. CCLXXXI. Nec eſt, quod obvertatur, I.) *Non addi hoc loco, audiſtis, quod dictum eſt antiquis; ſed ſimpliciter:* audiſtis, quia dictum eſt; *proinde hanc Chriſti ſententiam non phariſaicis legis depravationibus, ſed ipſi legi divinæ eſſe oppoſitam.* Reſp. particulam illam *antiquis ἀπὸ κοινοῦ* ex præcedentibus repetendam; phariſæi enim una cum aliis legis depravationibus etiam hanc ipſam de privata vindicta exercenda proferebant, & antiquitatis ſpecie velabant, id quod ex v. 31. manifeſte colligitur, ubi Chriſtus novam quamdam phariſaicam depravationem refutaturus dicit: *Iterum audiſtis, quod dictum ſit antiquis.* II.) *Præceptum de pœna talionis ad vet. duntaxat teſtamentum pertinere, non autem ad novum, ideoque legem ipſam Moſaicam a Chriſto hic corrigi.* Reſp. in præcepto illo Moſaico duo continentur: alterum *morale* eſt de vindicta per magiſtratum exercenda, illud adhuc in nov. teſt. manet, ut ex Rom. XIII. 4. 1. Pet. II. 14. evidenter adparet; alterum eſt *forenſe*, de vindicta ea ratione per magiſtratum exercenda, ut præciſe obſervetur pœna talionis, juxta quam *oculus pro oculo, dens pro dente &c.* excludatur, illud in magiſtratus chriſtiani arbitrio poſitum, neque enim abſolute & præciſe ad modum pœnæ in legibus Moſaicis præſcriptum magiſtratus in nov. teſt. adſtrictus. Quod ſi rabbinis & Joſepho fidem habere volumus, etiam in vet. teſt. pœna talionis

lionis non fuit tam stricte & præcise observata, sed quandoque adhibita fuit quædam ἐπιείκεια, ut ex verbis ipsorum superius adductis patet: quanto ergo minus in nov. test. ad illam talionis pœnam stricte observandam magistratus christianus erit obligatus? III.) *Perinde esse, sive quis per se ipsum, sive per magistratum sese ulciscatur, cum plerique imploratione publicæ magistratus vindictæ ad privatam animi acerbitatem & vindictæ cupiditatem satiandam abutantur.* Resp. fatemur ipsimet, & sæpius, & variis modis hic peccari, ac raro & a paucissimis, animo recte composito & a vindictæ cupiditate libero, magistratus officium accepta injuria implorari, cum in hac naturæ corruptione difficilimum sit flammas privatæ vindictæ in corde exstinguere; interim tamen vitiosum accidens a re ipsa distinguendum, nec animo acerbo & vindictæ cupiditate flagrante officium magistratus implorandum, ut cum quis per se non possit, vel non ausit, per magistratus vindictam eam saturet & expleat, sed hoc fine ac modo, 1.) *Vt is, qui injuriam fecit, ita corrigatur*: 2.) *Vt publica auctoritate reprimatur, ne aliis similiter noceat*: 3.) *Vt ab ipsius injuriis in posterum præservemur*: 4.) *Aliis in terrorem, ut ab inferendis injuriis metu pœnæ reprimantur*: 5.) *Propter justitiam, ut juxta ordinem a Deo constitutum malefactores puniantur*: 6.) *Vt injuria propulsetur, ne nobis inferatur, utque nostra in pace possidere, & sine turbatione iis frui possimus, vel ut nostra nobis restituantur, vel ut justa nobis illationis compensatio fiat*; quæ sunt verba Chemnitii cap. 51. harm. p. 370. IV.) *Christum expresse loqui de contentione in judicio, eamque improbare: Si quis*, inquit, *velit te in jus trahere, ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium.* Resp. 1.) τὸ κριθῆναι non solum de actore in judicio disceptante & causam agente accipitur, & respondet Hebræo ריב Esa. L. 8. Jerem. II. 12. &c. sed etiam tribuitur ipsis judicibus exercentibus judicium; Esa. I. 18. unde & Syrus hoc loco per verbum דין, quod judicis proprium est, illud reddidit; proinde & de actoris & judicis iniquitate jus nostrum pervertente & innocentiam opprimente accipi potest. 2.) Neque enim damnat Christus judicia ipsa per se, nec prohibet, quo minus quis contra injustitiam actoris, vel judicis jus suum prosequatur; (contrarium enim probant argumenta superius in medium adducta) sed docet, quando sub specie juris circumvenimur, vel quando judicia sunt corrupta, aut nobis iniquiora, ut, quod justum est, obtinere non possimus, ut patienter illud toleremus, ac potius post tunicam etiam pallium dimittamus, quam vel privata vindicta nos ulciscamur, vel ideo a fide deficiamus. Chemnitius in harm. p. 374. 3.) Quæ interpretatio manifeste colligitur ex antecedentibus; quo enim modo, quoque sensu *percutienti nos in maxillam unam, etiam alteram eidem obvertere* jubet, eo modo, eoque sensu etiam illi, qui nobiscum vult in judicio contendere, & tunicam nobis aufert, etiam pallium relinqui jubet. Sed prius accipiendum comparate & in certo casu. Ergo & posterius. 4.) Alii respondent, *Christum hoc tantum agere, ut ab odiosa contendendi in judicio consuetudine ac litigandi studio nos avocet.* Quamvis enim litigare coram judice prohibitum non sit, si necessitas illud postulet; tamen quia lites illæ ad alendas simultates non parum faciunt, & facultates sæpius exhauriunt, ideo prudentius eum facere ostendit, qui tunicæ jactura velut damno minori prævertit majus illud incommodum, quod controversiæ forenses plerumque secum adferre consuevere. 5.) Qua ratione hoc dictum Christi eamdem fere haberet sententiam cum præcedenti admonitione in eodem capite v. 25. *Esto benevolus adversario tuo cito, dum es in via cum illo, ne quando te tradat judici, & judex te tradat ministro, & in carcerem conjiciaris*; hoc est, si vel creditor, vel alius adversarius justam habens causam contra te judicio tecum experiri voluerit, rectissime tibi consules, si placida deprecatione utaris, & operam des, ut privata transactione res componatur, quia rigor & pertinacia litigantibus in judicio multa solet adferre incommoda, quæ moderatione, patien-

patientia, deprecatione & placida compositione vitari facile potuissent.

2.) *Ex 1. Cor. VI. 7. Delictum est in vobis, quod judicium habetis.*

§. CCLXXXII. *Posterius* dictum est apostoli: 1. Cor. VI. 7. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos, quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* ex quo Anabaptistæ colligunt, *lites coram politico magistratu esse christianis simpliciter prohibitas.* Photiniani non simpliciter, sed certo duntaxat respectu eas hoc loco prohiberi statuunt, qua in parte ab Anabaptistis discedunt: sic enim Smalcius contra disp. VII. Frantz. de bonis operibus p. 142. *Non est quæstio, an liceat homini christiano judiciis experiri sub magistratibus politicis? hoc enim certo respectu etiam nos concedimus; sed primo, an liceat fratri cum fratre contendere in judicio apud infideles? secundo, an liceat adire magistratum ulciscendæ injuriæ causa?* Ostorodus in instit. cap. 26. p. 168. *Quod dictum fuit, christiano licitum esse vocare aliquem in judicium, & implorare magistratus auxilium, id de illis solum intelligendum est, qui sunt foris, hoc est, qui non sunt fratres, nec fidei consortes, nefas enim est fratrem cum fratre in judicio contendere, docente apostolo 1. Cor. VI.* Resp. Paulus non simpliciter improbat actiones in judiciis, cum ipsemet ad leges Romanas confugerit, adversus sicarios opem magistratus etiam ethnici implorarit, & ab iniquo judice ad tribunal cæsaris provocaverit, Act. XVI. 37. XXIII. 17. XXV. 10. cumque hoc ipso in loco v. 5. dixerit: *sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum?* quod ipsum, sive de ordinariis, sive arbitrariis judicibus ex christianis eligendis accipiatur, tamen officium judiciarium probat ac stabilit; censet enim prudentiores quosdam ex christianis Corinthiis deligendos esse, qui judicent inter fratres, quorum alter ab altero injuria se adfectum putet. Hoc vero est, quod apostolus in Corinthiis taxat atque improbat: 1.) *Quod damno & injuriis sese invicem adficiant, cum sint fratres* & ejusdem fidei consortes, v. 8. Ὑμεῖς ἀδικεῖτε, καὶ ἀποστερεῖτε, καὶ ταῦτα ἀδελφούς, *vos injuriam facitis, & fraudatis, idque fratres.* Ergo non simpliciter hoc nomine Corinthios reprehendit, quod judicia exerceant, & in foro contendant, sed quod alter alteri injuriam inferat, & damno adficiat, unde postmodum ad judicia pertrahantur; reprehendit igitur *antecedens*, non autem *consequens*, perinde ut intemperantia, morborum mater, merito reprehenditur, non autem morborum remedia: quo referri etiam potest, quod v. 7. præcedit, *omnino defectus est, quod inter vos judicia habetis*, ubi per κρίματα non intelliguntur judicia civilia, quæ sunt malorum remedia, & quæ in præcedentibus apostolus probaverat, sed *contentiones & lites*, quas judiciis dirimi oportebat per metalepsin effectus pro causa, addit enim ἔχετε κρίματα μεθ' ἑαυτῶν, *contra vos mutuo habetis judicia*, hoc est, sunt inter vos lites, rixæ, contentiones, injuriæ, propter quas deinde judiciis opus. Sic ergo non damnat medicinam litium, ipsa scilicet judicia, sed morbum. 2.) *Quod ob res compositu faciles & injurias leviores*, itemque *ob negotia exigua victum concernentia statim ad tribunal decurrant.* v. 7. *Jam quidem omnino in vobis est* ἥττημα, *quod judicia habetis inter vos.* Vulgata versio reddidit *delictum*, sed in Græco non est παράπτωμα, sed ἥττημα, quod, monente Theodoreto, *mitius est*, significat enim *defectum* ac *imbecillitatem* quamdam, ab ἡττᾶσθαι, quod est in pugna succumbere ac vinci, respicit ergo ad luctam spiritus & carnis in renatis, Gal. V. 17. qui enim ob pecuniolam & leviores injurias litem statim movet fratri, ab avaritia ac iracundia victus videtur, ac dolori ob illatum damnum leviusculum exorto succumbit, ideoque addit apostolus: *Cur non potius injuriam patimini? cur non potius damnum accipitis?* id quod de levioribus injuriis ac damnis accipiendum esse, ex contextu manifestum. Improbat enim in Corinthiis, quod ex animi impatientia injuria, vel

damno

damno aliquali a fratre adfecti protinus ad tribunal judicis currant, ad odiosam litigandi rationem statim descendant, & sine ulla moderatione & condonatione fraterna judiciarios strepitus frequentiores & nimias forenses contentiones excitent. Eodem pertinet, quod v. 3. & 4. fit mentio βιωτικῶν, de quibus in judicio contendebant Corinthii. Smalcius d. l. accipit *generaliter*, ut omnia, quæcunque in hoc seculum cadere possunt, voce illa Paulina comprehendantur, quam explicationem videtur confirmare oppositio: *An nescitis, quoniam sancti hunc mundum judicabunt, & si per vos mundus judicabitur, indigni estis minimis judiciis?* an ignoratis fore, ut angelos judicemus, nedum ut βιωτικὰ, quæ ad hanc vitam pertinent, scilicet non judicemus. Sed βιωτικὸν proprie est, quod ad victum & sustentationem hujus vitæ pertinet, unde μερίμναι βιωτικαὶ Luc. XXI. 34. sunt curæ de victu, & in versu proxime præcedente τὰ βιωτικὰ illa vocantur ἐλάχιστα. Syrus reddidit דַּקְרְקֵיא, *minutula*, a radice דקק, *minuit, adtenuavit.* Quod si vel maxime generaliter accipiatur de omnibus negotiis, quæ ad hanc vitam pertinent; tamen id duntaxat ex hoc loco colligitur, omnia prius tentanda esse etiam in maximis injuriis, quam ad lites & forum eatur, ne homines sæpe contendendo discant aliis injurias inferre, quod ipsum & nihil aliud ex hoc loco Smalcius colligit, & nos facile concedimus, non autem quod absolute & simpliciter prohibitum sit ad forum & tribunal judicis ire, ac judicia sub magistratu politico agere. 3.) Cumprimis vero apostolus in Corinthiis hoc reprehendit, *quod injuria & damno etiam leviori a fratre adfecti ad judices infideles, sive ethnicos protinus litem illi intendant.* v. 1. *Audet aliquis vestrum negotium habens adversus fratrem judicio experiri ἐπὶ τῶν ἀδίκων, apud injustos & non apud sanctos?* Ethnicos judices vocat *injustos*, tum quia carent vera justitia, quæ coram Deo valet & consistit, tum quia justitiam civilem non referunt ad verum finem, Dei scilicet gloriam, tum quia iniquis judiciis christianos plerumque gravabant. v. 2. *an ignoratis, quod sancti hunc mundum judicabunt? si ergo per vos mundus judicatur, indigni estis judiciis minimis?* Ambrosius exponit de vita præsente: *Tunc judicatur mundus in vobis, si opus perfidorum hominum non inveniatur in vobis. Sancti mundum judicant, quia ex vita sanctorum adparet, homines mundanos errare ac desipere.* Augustinus vero refert ad extremum judicium, in quo sancti *sedebunt in thronis*, Matth. XIX. 28. atque hæc explicatio magis convenit cum seqq. vers. *An ignoratis, quod angelos judicabimus, quanto magis τὰ βιωτικὰ*; in quæ verba sic commentatur Remigius pag. 38. *Sancti amatores hujus mundi & malignos spiritus judicabunt exemplo fidei suæ & comparatione melioris facti.* Sensus argumenti apostolici a minori procedentis hic est: Sancti, hoc est, christiani a Deo digni censentur, qui mundum, hoc est, impios & angelos, scilicet malos judicent in die extremi judicii. Ergo multo magis digni a vobis censendi sunt, ut judicent de rebus minimis, βιωτικαῖς scilicet, quæ ad vitæ hujus usum & sustentationem pertinent. v. 4. infert conclusionem, ut colligitur ex particula οὖν. *Si ergo habetis judicia βιωτικὰ, eos, qui nullo loco habentur in ecclesia, eos inquam in subselliis collocate.* Quidam τὸ καθίζετε accipiunt in *indicativo*, ut sit repetitio reprehensionis; illos, qui sunt in ecclesia contemtibiles, hoc est, qui ab ecclesia tanquam profani & ethnici contemnuntur, illis judicium defertis, unde additur v. 5. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, *ut vos pudeat, vobis hoc dico.* Paræus itidem in indicativo accipit, sed per *contemtibiles* non intelligit ethnicos, verum christianos, hoc sensu: præpostere agitis deligendo arbitros ex vobis minus idoneos, a quibus deinde ad infideles provocandum. Sed ex particula συλλογιστικῇ οὖν, & ex serie verborum τοὺς ἐξουθενημένους τούτους colligitur, quod καθίζετε sit *modi imperativi*, hoc sensu: Lites ejusmodi judicandas permittite fratribus, & quidem iis, qui minimi fiunt in ecclesia, quod tamen non accipiendum est *absolute*, quia v. 5. immediate

diate additur: *ad pudorem vobis incutiendum hoc dico, ficine non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit judicare inter fratres*? ubi ostendit ad litium dijudicationem deligendos esse ex fratribus viros sapientes & judicandi peritos: sed *comparate*, videlicet potius contemtissimis ac rudissimis in ecclesia litium dijudicationem committendam, quam ethnicis judicibus deferendam, unde etiam v. 6. denuo repetit scopum primarium suæ reprehensionis, quod *frater cum fratre* judicio experiatur apud infideles. Id ipsum enim maximo cum incommodo ac scandalo erat conjunctum. Producebantur ἥττημα τα, infirmitates & defectus fratrum, sive christianorum, in lucem publicam, quæ caritate tegi & abscondi æquius erat: doctrina evangelii exponebatur hostium ludibrio, utpote cujus confessores in perpetuis litibus ac contentionibus viverent: exhibebatur ethnicis magistratibus occasio christianos adfligendi, divexandi ac opprimendi; quod ipsum contingeret, si christiani sub Turca degentes ad præsides Turcicos lites suas deferrent. *At*, inquis, *quo jure apostolus Corinthios reprehendit, quod coram ethnicis judiciis causas agebant, cum ipse ad cæsarem ethnicum provocet, & coram impiis judicibus ad beneficium legis Romanæ confugiat*? Act. XVI. 37. XXV. 11. Resp. Corinthii poterant habere christianos, qui de causis ipsorum in ecclesia cognoscerent, ideo non congruebat, sed cum scandalo conjunctum erat, quod christiani cum christianis ad tribunalia ethnicorum litigabant; sed Paulo, cum provocaret ad cæsarem, negotium erat non cum christianis, sed cum Judæis & cum præside Romano, ideoque cum fidelem magistratum non haberet, nec aliter posset agi, & vita ipsius periclitaretur, necessario imploravit fidem & auxilium magistratus etiam ethnici, ex quo ipso evidenter colligitur, ne hoc quidem absolute & simpliciter prohibitum censendum, experiri judicio coram ethnico magistratu, & innocentiam suam provocando adversus injurias apud ipsum tueri. Bellarminus lib. III. de laicis cap. 12. respondet: 1.) ἥττημα non significare peccatum, sed imperfectionem: 2.) Si delictum significat, sic vocari, non quod in se peccatum sit, sed quia utplurimum non caret peccato, vel ratione finis, ut quando litigatur ex avaritia, vel ratione medii, ut quando litigatur odio, rancore, jurgiis, vel ratione justitiæ, ut quando miscentur doli & fraudes, vel ratione scandali, ut Corinthii cum offendiculo gentilium litigabant: 3.) *Non reprehendi judicia ex parte judicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset judicare, quia judicia finem imponunt litibus, quod est bonum.*

§. CCLXXXIII. Reliqua, quæ ab Anabaptistis adferuntur, & judiciis civilibus opponuntur, levioris sunt momenti: 1.) Prov. X. 12. *Vniversa delicta operit caritas. Ergo christianis non licet querelas de illis, a quibus læsi sunt, ad magistratum deferre.* Resp. distinguendum inter *privatas offensiones*, quæ in humana vita incidunt quotidie inter pios, quæ ex christiana & fraterna dilectione sunt condonandæ, tegendæ & oblivioni tradendæ, juxta dicta: *Remittite & remittetur vobis*; Matth. VI. 14. Luc. VI. 47. *caritas omnia tolerat*; 1. Cor. XIII. 7. *supportate vos invicem & donate vobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut & Christus donavit vobis, ita & vos*; Col. III. 13. ac inter *enormes injurias ac damna gravissima*, quæ salva disciplina & tranquillitate publica tolerari, vel mitigari nequeunt, proinde per magistratum sunt corrigenda. 2.) Matth. V. 44. *Inimici sunt diligendi. Ergo cum illis in judicio non est contendendum.* Resp. causas in foro agere, & judicium magistratus contra proximi injurias implorare in se ac per se non pugnat cum dilectione proximi, quia & judicia sunt Dei, & dilectionem inimici Deus præcepit. Ex accidenti autem contingit, ut cum dilectione proximi pugnet experiri judicio contra fratrem, nimirum si adsit cupiditas privatæ vindictæ, si verborum atque animorum acerbitate contendatur, si præstigiis sycophanticis

agatur &c. 3.) Matth. VII. 1. *Nolite judicare, ne judicemini.* Rom. XIV. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum?* 1. Cor. IV. 5. *Nolite judicare ante tempus. Ergo in nov. test. sublata sunt judicia civilia.* Resp. distinguendum inter *judicia privata, temeraria, calumniosa, iniqua, maligna, levia, ex meris suspicionibus nata*, quando scilicet privatæ personæ de fratrum dictis vel factis per se bonis, aut mediis, temerarium ferunt judicium, de quo agitur Matth. VII. 1. vel quando aliqui cognitione christianæ libertatis tumidi fratrum infirmiorum facta damnant, de quo agitur Rom. XIV. 4. vel quando ex levibus suspicionibus & indiciis judicium de fratre fertur, de quo agitur 1. Cor. IV. 5. & inter *judicia publica, necessaria, legitima, a Deo ipso instituta*, & ad ecclesiæ & reipublicæ tranquillitatem spectantia. Illa duntaxat, non autem hæc in scripturæ dictis improbantur. 4.) Luc. XII. 13. *Christus de hæreditatis divisione inter fratres promovendæ compellatus operam suam denegat, dicens: Quis me constituit judicem aut divisorem inter vos?* Resp. distinguendæ sunt vocationes, quas Deus ipse distinctas esse voluit. Christus non venit in hunc mundum, ut regnum aliquod terrenum inchoaret, aut partibus politici muneris fungeretur, sed ut docendi munus administraret, & redemtionis opus perageret; noluit igitur quidquam suscipere a vocatione sua & fine missionis suæ alienum, sed exemplo suo unumquemque docuit, manere intra limites vocationis, nequaquam vero civilia judicia simpliciter sustulit. Emphasis est in pronomine *me*, q. d. non sum missus ad civilia judicia exercenda, sed ad prædicandum verbum & ecclesiam colligendam. 5.) Hebr. XIII. 4. *Scortatores & adulteros judicabit Deus. Ergo hominibus non competit in eos judicium.* Resp. judicium magistratus non est hominis, *sed Dei judicium*; 2. Paral. XIX. 6. Deus enim quandoque *mediate & ordinarie* judicat per magistratum, quandoque vero *immediate & extraordinarie* per se ipsum, quando scilicet delicta ea, quæ magistratus notitiam ac pœnam subterfugiunt, extraordinariis pœnis vindicat. In utroque justitia Dei elucet.

Quomodo judicia sint exercenda?

§. CCLXXXIV. Constat ex hisce, quod judicia civilia sint sancta & salutaris Dei ordinatio, qua christianus salva & illæsa pietate in bonum, ut loquitur apostolus Rom. XIII. 4. uti omnino potest. Sed ut in reliquis Dei ordinationibus, ita quoque in hac ipsa varios & multiplices abusus sæpius animadvertimus, tum ex parte *eorum*, qui judicium experiuntur, actoris scilicet & rei, tum ex parte *ipsius judicis*. Quid cavendum & fugiendum sit illis, qui in foro causas agunt, superius expositum fuit, restat igitur explicandum, quomodo ex parte judicis civilia judicia rite ac legitime exerceri debeant, ubi proponimus hunc generalem canonem: *Judex sit justus, & juste judicet*; proinde exsulet a judice ἀδικία. Exstat hic canon disertis verbis in lege divina: Levit. XIX. 15. *Non facietis iniquitatem in judicio, in justitia judicabis proximum tuum.* Deut. I. 16. dicit Moses ad judices: *Judicate justitiam, sive juste, inter virum & inter fratrem ejus, & inter peregrinum ejus.* c. XVI. 18. *Judices pones in omnibus portis tuis, qui judicent populum judicio justitiæ, sive justo.* v. 19. *Non facies declinare judicium.* v. 20. צֶדֶק צֶדֶק, *Justitiam justitiam sequeris.* Vulgata reddit, *juste, quod justum est, persequeris*, ut prius nomen accipiatur adverbialiter. Eodem modo etiam LXX. interpretes δικαίως τὸ δίκαιον διώξῃ Ps. LXXXII. 1. *Deus stetit in congregatione Dei, in medio deos dijudicat.* v. 2. *Vsque quo judicatis iniquitatem.* Prov. XXIV. 23. *Qui dicunt impio, justus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos plebes.* Jer. XXI. 12. *Judicate mane judicium.* c. XXII. 3. *Facite judicium & justitiam.* Zach. VII. 9. VIII. 16. *Judicium verum judicate.* Sap. I. 1. *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Joh. VII. 24. dicit Christus ad Judæos: *Nolite judicare secundum faciem, judicium justum judicate*; quamvis id dicatur ibidem ad privatos, tamen potissimum pertinet ad publicas personas,

nas, quæ judiciis præsident. Justitia est quasi anima & spiritus judiciorum, ea igitur in illis vigere unice debet. Judex nomen suum *a jure dicendo* accepit, juxta Varronem lib. V. de ling. lat. ut hac ratione judex adpellatus sit *quasi jus dicens populo*, sive quod *jure disceptet*. Isidorus lib. XVIII. etymol. cap. 15. quem locum Gratianus retulit in decretum cap. *foris* 10. vers. *in omni negotio.* X *de U. S.* impleat ergo mensuram hujus nominis, & jure dicendo justitiam administret. Apud Cassiodorum lib. I. epist. XII. Theodoricus Veronensis, Italiæ rex, judicem suum sic instruit: *Esto innocentiæ templum, temperantiæ sacrarium, ara justitiæ, absit a judiciariis mentibus aliquid profanum.* Philo in lib. de judicibus: *Sicut ignem oportet esse calidum, ut urat: ita judicem justitia oportet esse indutum, ut eam aliis reddere queat. Ad judicem ire*, inquit philosophus, *est ad legem ire, quia judex est animata quædam lex*, ἐπὶ τὸν δικαστὴν ἰέναι ἐστὶ ἐπὶ τὸ δίκαιον, ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον δίκαιον ἔμψυχον. lib. V. polit. cap. 7. Animus ergo judicis sit justitiæ amore & studio totus occupatus, & vox judicis animetur voce legis. Tamdiu judex dicitur, quamdiu justus putatur, quia nomen, quod ab æquitate sumitur, per injustitiam non tenetur. Leges dicunt, quod judex debeat esse vir bonus l. 4. §. 1. ff. *famil. herciſc.* Ægyptiorum reges jurejurando adstringebant judices, *se injuste non judicaturos, quamvis rex ipse requirat & præcipiat.* Plutarchus in Caton. min. De Tiberio refert Nicephorus lib. I. hist. eccles. cap. 17. eum ad urbium rectores ac magistratus scripsisse, *si quid forte contra leges a se mandari contingeret, id eos adprobare & exsequi, utpote per insciitiam commissum, non debere.*

A judice exsulare debet: 1.) Ἀσέβειαν.

§. CCLXXXV. *Canones* judiciorum rite exercendorum *speciales*, qui omnibus judicibus ob oculos perpetuo versari debent, potiores hi sunt: I.) *In judiciis corde regnet Dei timor, proinde exsulet a judice* ἀσέβειαν. Exod. XVIII. 21. Jethro Musi, genero suo, hoc consilii dat, ut tales constituat judices, *qui Deum timeant.* 2. Paral. XIX. 16. Josaphatus, pius rex, judices a se constitutos sic adfatur: *Videte, quid faciatis, non enim hominis judicium exercetis, sed Dei, & vobiscum est Dominus in negotio judicii.* v. 7. *Sit timor Domini vobiscum.* Nisi sanctus Dei timor in corde judicis altas & fixas radices egerit, a justitiæ tramite facile abduci poterit. Cogitet judex, quicunque tandem sit, superiorem se habere judicem, proinde actiones suas velut in tabellas referat, rationem earum summo illi judici intrepida conscientia redditurus. Cicero lib. III. offic. *Cum judici dicenda sententia, meminerit se Deum habere testem, hoc est, mentem suam, qua nihil homini dedit Deus ipse divinius.* Hebræi veteres adfirmant, *angelos interesse judiciis*; & Franciscus Alvarezius scribit, *judices in Æthiopia infidentes subsellis relinquere vacuas in editiore loco cathedras duodecim, ac dicere, has esse angelorum sedes.* Gödelmannus lib. III. de magis cap. 1. num. 7. Apud veteres forum judicii *templo* fuit vicinum, teste Platone lib. VI. de legibus, ut reverentia numinis ad justitiam animos judicum inflecteret.

2.) Προσωποληψία.

§. CCLXXXVI. II.) *Judex æqualitatem omnibus præstet, & æqua lance jus suum unicuique tribuat, exsulet igitur a judice προσωποληψία.* Cautum hoc est expresse lege divina: Exod. XXIII. 3. *Pauperem non honorabis*, תְּהַדַּר, ornabis, sive decorabis, *in sua causa*, hoc est, non excusabis eum in mala causa, sed æquale jus diviti & pauperi absque personarum respectu administrabis. Levit. XIX. 15. *Non facietis iniquitatem in judicio. Non feres faciestenuis*, לֹא תִשָּׂא, non suscipies, vel elevabis faciem pauperis: *neque decorabis faciem magni*; ubi est idem verbum in Hebræo, quod ponitur Exod. XXIII. 3. ut significetur, nec divitis, nec pauperis faciem in judicio honorandam, sive respiciendam. Deut. I. 17. *Non agnoscetis* פָּנִים, *faciem*, sive personam,

in judicio; ἔξήγησις statim additur, *sicut parvum, sic magnum audietis, non timebitis a facie viri, quia judicium Dei est.* Significat autem faciem alicujus in judicio respicere alterutrius litigantis dignitatem ac conditionem intueri, neglecta causæ & rationum vel bonitate, vel pravitate; justus judex faciem causæ respicit, non personæ, hoc est, utriusque partis causam & rationum momenta expendit, sed injustus judex faciem personæ respicit, non causæ. Deut. XVI. 19. *Non declinare facies judicium, non agnosces facies.* Prov. XVIII. 5. *Accipere faciem impii non bonum ad pervertendum justum in judicio.* Eccles. IV. 26. *Ne accipias faciem adversus animam tuam*, hoc est, in damnum tuum. (*) Veteres pingebant justitiam *cum peplo oculis obducto*, ut notat Drusius in comm. ad diffic. loca Deuter. III. p. 509. significantes, eam nullius personæ respectum habere. Proponat sibi judex exemplum *Dei*, cujus judicium exercet, de quo Job. XXXIV. 19. dicitur, quod *non accipiat faciem principum, nec agnitus sit illi dives coram paupere, quia opus manuum ejus omnes ipsi.* Expendat gravissimam increpationem ad προσωποληπτας directam Psal. LXXXII. 2. *Vsque quo judicabitis iniquitatem, & facies impiorum respicietis?* Vt lex omnibus æqualem sese præstat, ita quoque judex, qui est animata lex, omnibus sit æquus & æqualis. Architas dixit, *judicem & aram idem esse, ad utrumque enim confugiunt, qui injuria adficiuntur.* Quemadmodum sol non alius est diviti, sed omnibus communis: sic judex sol justitiæ erit, si rem & causam, non vero personam respiciet. Areopagitæ litium controversias non interdiu, sed noctu & obscura luce judicabant, ut absque ullo personarum respectu sententiam ferre possent, nec adspectu partium moti a justitiæ & æquitatis tramite deflecterent; Alexander ab Alex. lib. III. genial. dier. cap. 5. *Errant enim judices a veritate sententiæ, dum intendunt qualitatem personæ.* Isidorus lib. III. de summ. bono cap. 58. Exstat juramentum magistratuum ac judicum in Justiniani imperatoris constitutione, novell 9. *Æquum me utrique parti tam in disceptandis controversiis, quam tuenda disciplina publica præbebo, neutri addictus ero. Quod si hæc non observavero, omnibus incommodis expositus ero, tam hic, quam in futuro seculo, in horrendo judicio magni Dei & salvatoris nostri Jesu Christi, habeboque partem cum Juda & lepram Giezi & tremorem Cain, insuperque pœnis, quæ lege continentur, ero subjectus.* (**)

§. CCLXXXVII. III.) *Judex recto judicio ductus non adfectuum turbine impulsus sententiam ferat, proinde a judicis animo exsulet adfectuum ἀταξία.* Tales adfectus sunt ira, odium, simultas, vindictæ cupiditas ex parte una; præposterus favor & gratia ex parte altera. *Adfectus ubi judicat, ibi ratio claudicat, & ubi est fervida vindicta, ibi non est temperata justitia.* Sallustius in bell. Jugurth. inquit, quod *consultores pessimi sint cupiditas & ira.* Hieronymus in Amos VI. *Quicunque aut consanguinitate, aut amicitia, & contra hostili odio, vel inimicitia in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia,* 3.) Τῶν παθῶν ἀταξία.

(*) Cæterum τὸ πρόσωπον, sive persona significat: 1.) *Conditiones certas*, vel promissiones boni, vel comminationes mali, hoc est, tales conditiones, quibus vel Deus, vel magistratus civilis, bonum pollicetur, si ordo præscriptus servetur, & malum comminatur, si ordo præscriptus violetur, ut sunt fides, pœnitentia, probitas, obedientia. 2.) *Conditiones personæ*, quæ cum causa ita sunt connexæ, ut eam vel adgravent, vel elevent. Sic qui occidit magistratum, gravius peccat, quam qui occidit subditum. 3.) *Externas personæ qualitates*, causam ipsam plane non adtingentes, ut sunt nobilitas, divitiæ, consanguinitas. Et hæc προσωποληψία est illicita. GERHARDVS.

(**) Cum anno 1055. archiepiscopus Colonensis comperisset, judices fœminæ pauperi causam abjudicasse, & diviti adjudicasse, illis omnibus oculos erui jussit, excepto unico, qui compater illius erat; hunc enim uno duntaxat oculo privavit, ut altero adjutus excæcatos domum deducere posset, utque hujus rei memoria esset diuturnior, super excæcatorum domos capita figulina cum effossis oculis collocanda curavit, ut terrori essent prætereuntibus. Dresserus in miscell. VI. p. 2. p. 708. 709. GERHARD.

tia, & fructum illius in amaritudinem. Vt caliginosæ nubes solis lucem intercipiunt: sic adfectuum nubes recti judicii radios abscondunt; proinde judex tribunal conscensurus adfectus omnes prius exuat, & mentem ab eorum caligine serenet. Quæ cum aliqua perturbatione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec ab iis, qui adsunt, probari. Cicero lib. I. offic.

— — — *Male verum examinat omnis*
Corruptus judex? — — —

Horatius lib. I. serm. sat. 4. Ad vitiosos illos adfectus a judice deponendos referendus etiam *metus præpositerus*, quo vel vulgi, vel superiorum ac potentiorum iras judex pertimescens a justitiæ tramite sæpius deflectit. Exod. XVIII. 21. Jethro suadet eligi judices *viros* אַנְשֵׁי־חַיִל, *fortes* ac strenuos, qui non sint nimis meticulosi. Deut. I. 17. dicit Moses ad judices: *Non timebitis a facie viri, quia judicium Dei est*, hoc est, quia Dei judicium exercetis, qui est omnibus superior ac potentior, ideo recte faciendo neminem timeatis. Eccles. IV. 26. *μὴ ἐντραπῇς εἰς πτῶσίν σε, ne confundaris in casum tuum*, hoc est, ne te quisquam terreat in perditionem tuam. v. 32. *Ne accipias personam potentis*, ut ipsius odium subveritus a recta via declines. Eccles. XXII. 21. 22. *Sustentacula in alto posita contra ventum non permanebunt; sic cor timidum contra terrorem firmum non subsistit. Opprimit leges timor*, inquit Seneca in Herc. furente,

4.) Προπέτεια.

§. CCLXXXVIII. IV.) *Judex utramque partem prius audiat, antequam sententiam ferat, proinde exsulet a judice nimia celeritas ac προπέτεια.* Deut. I. 16. præcipit Moses judicibus: *Audite inter fratres vestros, & judicate justitiam.* v. 17. *Sicut parvum, sic magnum audietis.* c. XVII. 4. *Quod renunciatum tibi fuerit atque audiveris, diligenter inquires, an res illa vera & certa sit.* Job. XXIX. 16. *Causam quam non noveram, diligentissime investigabam.* Eccles. XI. 7. *Priusquam exquiras, ne accusis: intellige primum, & tunc reprehende, νόει καὶ τότε κρίνε.* v. 8. *Priusquam audias, ne respondeas, & in medio sermonum, ne interjicias verbum.* Joh. VII. 51. Nicodemus ad pharisæos inquit: *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit, quid faciat?* Act. XXV. 16. cum Judæi coram Festo præside postularent adversus Paulum damnationem, respondebat Festus: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur.* Quare judex audita actoris adcusatione alteram aurem reo debet reservare. Sic principes audierunt apologiam Jeremiæ; Jer. XXVI. 7. Thessalonicenses judices Jasonem; Act. XVII. 9. Festus præses Paulum. Act. XXV. 6 *Qui enim statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus fuit.* Seneca in Medea. *Quo pacto*, inquit Plato, *jus quisquam recte dicere, aut homines decenter judicare poterit, qui non utrumque litigatorem audierit?* sermones enim ut purpura & aurum melius dijudicantur, si invicem conferas. Lex Attica erat: *δεῖ ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι.* Et *μήτε δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Alexander magnus alteram aurem aperiebat actori, alteram reo clausam habebat; Plutarchus in Alex. Judices Heliastæ apud Athenienses jurabant: *Audiam adcusatorem & reum æquo animo, sine adfectibus*; Demosthenes contra Timocr. Vt autem sufficienter pars utraque audiri, & causæ momentum recte expendi possit, abesse debet nimia celeritas, quæ ut bonis consiliis, ita quoque rectis judiciis est inimica, inde antiquitus judices *sedendo* pronunciabant, ex quo illud Propertii lib. IV.

— — — *Posita judex sedet Æacus urna.*

& Ciceronis pro Rabirio: *Modo vos iidem in Gabinium judices sedistis*, quo significatum fuit, judicem animo constante & sedato & bene composito esse debere, ac exclusa omni celeritate causam recte examinare. Taubmannus in Must. Plaut. fol. 586.

5.) Ψευδολογία.

§. CCLXXXIX. V.) *Judex veritatem unice quærat ac respiciat, proinde exsulet ab ipso omnis ψευδολογία.* Exod. XVIII. 21. Jethro jubet eligere tales judices, qui sint אַנְשֵׁי אֱמֶת, *viri veritatis*, qui omne mendacium odio prosequantur, quique calumniis & adsentationibus, quæ sunt veritatis pestes, aures occlusas habeant. Zach. VIII. 16. *Veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris.* Pulcre Alexander Alensis part. III. q. 40. membr. 4. *Judicium est Dei, ideo judex in tribus debet Deo conformari, in potestate, in bonitate & in veritate.* Apud Areopagitas lege cautum fuit, ut ἄνευ πάθων καὶ προοιμίων diceret, qui causam agebat. Aristoteles lib. I. rhet. cap. 1. ne ad miserationem, vel invidiam abducti judices a veritatis tramite deflecterent. Apud Ægyptios ex ejus collo, qui inter judices primarium obtinebat locum, numinis imago pendebat e gemmis & auro confecta, quod numen ipsi *veritatem* vocabant, innuentes, quod judicis sit semper in causis verum sequi, & quod cordi atque ori ejus veritas insidere debeat. Diod. Siculus libr. I. hist. cap. 6. Idem libr. I. cap. 4. memorat, in Simandii, Ægypti regis, sepulchro ab una muri parte judicum stetisse signa triginta numero absque manibus, eorumque principem ita constitutum, ab ejus collo ut suspensa pateret veritas, ipse autem esset oculis subclausis librorum cumulo circumjecto, ceu veritas modo sit inspectanda.

6.) Δωροφαγία.

§. CCXC. VI.) *Judex avaritiam & munerum captationem detestetur, proinde ab ipso exsulet δωροφορία ac δωροφαγία.* Exod. XVIII. 21. inter proprietates boni judicis refertur, *quod odio habeat avaritiam.* c. XXIII. 8. *Non accipies munus, quia munus excæcat videntes, & pervertit verba justorum*, quod repetitur Deut. XVI. 19. XXVII. 25. *Maledictus, qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis.* (*) 2. Paral. XIX. 7. dicit Josaphatus ad judices: *Videte, quid faciatis, quia non homini, sed Deo judicatis, cum quo non est iniquitas, nec acceptio personarum, nec acceptio munerum*; quod postremum desumtum ex Deut. X. 17. Psal. XV. 5. *Qui non accipit munus super innocentem, is habitabit in tabernaculo Domini*; hoc est, erit verum membrum ecclesiæ in hac & futura vita. Prov. XV. 27. *Qui odit munera, vivet.* Contra vero Job. XV. 34. *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter accipiunt munera.* Esa. V. 23. *Væ illis, qui justificant impium pro muneribus, & justitiam justi auferunt ab eo.* Prov. XVII. 23. *Impius accipit munus e sinu ad pervertendum semitas justitiæ.* Eccl. XL. 12. *Omne munus & injustitia delebitur*, hoc est, opes male partæ & muneribus injuste acceptis corrasæ dissipantur. Caveat igitur judex a muneribus accipiendis secutus exemplum Mosis, qui Num. XVI. 15. ad Deum dicit: *Tu scis, quod nec asellum quidem unquam acceperim ab eis*, & Samuelis, qui 1. Sam. XII. 3. a populo testimonium refert, *quod non tulerit de manu alicujus quidquam. Munerum acceptio est veritatis prævaricatio*, dicitur in cap. *Qui recte &c.* caus. 11. q. 3. cap. *Non licet &c.* ibidem cap. *Non sane &c.* caus. 14. q. 5. quia *justitia & avaritia in uno homine nunquam habent concordiam.* Antonius de Guevara in horol. princ. lib. III. cap. 6. num. 475. *Crescit peccantium libido, ubi redimendi spes datur, & facile ad culpam itur, ubi venalis est innocentium gratia*, ut ait Arnobius lib. III. adv. gentes. Inde apud Thebanos imagines quædam positæ erant, quæ manibus carebant, eæ judices repræsentabant, quos ab omni munerum corruptela quam maxime sejunctos esse oportet. Plutarchus in libr. de Iside & Osiride. Judicium simile esse debet *castæ virgini*, ideoque removendæ ab eo corruptelæ & largitiones. Plato lib. XII. de legibus. Athenienses judices ex instituto Solonis jurabant se munera non accepturos. Revardus lib. V. varior. cap. 8.

§. CCXCI.

(*) Prov. XVII. 23. *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.* Gerhardvs.

7.) Ἀσωτία. §. CCXCI. VII.) *Judex sobrietati studeat, proinde exsulet ab ipso omnis ἀσωτία.* Requiritur enim in judice singularis prudentia omnes causæ circumstantias expendens, ea vero in ebrietate locum habere nequit, *cum vinum & ebrietas cor auferant.* Oseæ IV. 11. Inde Esaiæ XXVIII. 7. de ebriis judicibus dicitur, *quod absorpti a vino errent, & impingant in sententiis,* quod Lutherus reddidit: *Sie köken die Vrtheil heraus,* & in margine adnotavit: *Ein trunken Richter speyet ein Vrtheil heraus, wie es ihm ins Maul fället.* Prov. XXXI. 5. prohibet rex sapiens, *ne judices & gubernatores vinum bibant,* puta ad ebrietatem usque, *ne obliviscantur præcepti, & mutent judicium filiorum pauperis.* Jer. XXI. 12. dicit Dominus ad judices: *Judicate* לַבֹּקֶר, *in mane judicium,* quod accipi potest tum *proprie,* ut horis matutinis judicia instituantur, antequam scilicet ad convivia & comessationes deveniatur, secus quam faciebant Persæ, qui consilia de rebus gravissimis non nisi saturi & ebrii capiebant, tum *metaphorice,* ut mature, tempestive & celeriter judicia administrentur, ne extrahatur negotium, quo modo adverbialiter בקר usurpatur 1. Sam. XIX. 11. Psal. XLIV. 6.

1.) *An judex semper secundum leges debeat judicare?*

§. CCXCII. Quæritur hoc loco: 1.) *An judex semper debeat judicare secundum leges?* Est omnino judicis, præsertim *inferioris,* præscriptum legum velut quamdam cynosuram ac normam sequi in ferendis sententiis, Deut. XVII. 11. hoc enim fine leges sunt promulgatæ, ut judiciorum regulam constituant. *Judicare debet judex, ut legibus, constitutionibus ac moribus provisum,* inquit Justinianus in pr. inst. *de offic. jud.* unde judicialem calculum non aliter, nec prius judices olim acceperunt, quam juramentum præstitissent, omni modo *se cum veritate & legum observatione* judicium esse disposituros l. 14. in pr. C. *de jud.* judices Atheniensium jurabant, *sententiam secundum leges feram.* Muretus libr. II. variar. lect. cap. 16. unde præclare scribit Ambrosius serm. XX. & habetur in cap. *Judices &c.* caus. 3. q. 7. *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ voluntatis proposito, sed juxta leges & jura pronunciat, statutis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert, sed sicut audit, ita & judicat, & sicut se habet negotii natura, decernitur, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non audit.* Interim tamen prudentis judicis est, 1.) Circumstantias omnes diligenter expendere, & commodam legis interpretationem ex illis capere, nec tam verba legis, quam mentem legislatoris adtendere. *Leges,* inquit Menander, *perquam egregia res sunt, sed is, qui legibus nimium exacte utitur, sycophanta esse videtur,* cum quo congruit illud Ciceronis pro Cæcinn. *Scriptum sequi calumniatoris est, boni vero judicis voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.* 2.) Defectum legis in quibusdam supplere: Cum enim omnia legibus comprehendi nequeant, monente Aristotele lib. V. ethic. cap. 10. ideo a judice requiritur, ut in particularibus, quæ non sunt expresse lege definita, mentem legislatoris ex similitudine conjectet, ac jurisdictione sua legis defectum suppleat. l. *non possunt* ff. *de legibus.* 3.) In partem benigniorem legis verba accipere; neque enim ἀκριβοδίκαιον & strictum jus semper urgendum, cum summum jus per anagrammatismum sit summa vis & summa injuria; sed æquitas, quantum quidem fieri potest, adhibenda. Eccl. VII 17. *Ne sis nimium justus, nec sapias nimium, ne perdaris.* l. *placuit* C. *de judic.* jubet *æquitatis magis, quam juris rationem haberi.* Judices olim jurabant, se non tantum ex legum præscripto judicaturos, sed etiam addebant, τῇ γνώμῃ δικαιοτάτῃ καὶ ἀρίστῃ, *sententia justissima & optima.* Aristoteles lib. I. rhetor. cap. 15. Quando igitur lex est generalis, tunc recipit quamdam restrictionem, vel ratione utilitatis, vel necessitatis, vel congruentiæ, vel verisimilitudinis, vel honestatis, vel aliis etiam de causis. 4.) In dubiis superioris judicis sententiam

tiam & interpretationem exquirere. Exod. XVIII. 22. Deut. I. 17. dicit Moſes ad judices inferiores a ſe conſtitutos: *Si difficile vobis aliquid viſum fuerit, ad me referte.* Cujus enim eſt legem conſtituere & promulgare, ejusdem etiam eſt legem explicare. l. ult. C. *de legib. Si in præſenti leges condere ſoli imperatori conceſſum, & leges interpretari ſolo dignum imperio eſſe oportet.*

II.) *An ſecundum acta & probata, an vero ſecundum conſcientiam judicare debeat?*

§. CCXCIII. II.) *An judex ſecundum acta & probata, an vero ſecundum conſcientiam judicare debeat?* Movet hanc quæſtionem Gellius lib. XIV. noct. attic. cap. 2. de qua *Martinus* & *Johannes*, veteres gloſſatores jam olim diſceptarunt, & adhuc hodie juris interpretes adverſis ſententiis de ea pugnant. Secundum acta & probata judex pronunciare debet, inquit *Henricus junior, dux Brunſuic.* apud Hortlederum lib. IV. de cauſis belli Germ. cap. 11. num. 7. ſecundum conſcientiam, inquit *Landgravius* lib. IV. cap. 7. num. 6. Qui pro *actis & probatis* faciunt, hæc fundamenta proferunt: 1.) Tutior eſt ratio finiendarum litium, ſi judex potius probationes, quam conſcientiam ſequatur. 2.) Nemo poteſt ſimul judicis & teſtis partibus fungi. Sed ſi licebit judici ſecundum ea, quæ ſcit, judicare, probationibus deficientibus; aut his, quæ in judicio productæ ſunt, plane contemtis, ſimul teſtis & judicis partibus fungetur. 3.) Si neglectis probationibus judici fas eſſet ſecundum propriam ſcientiam judicare & reum abſolvere, liceret quoque ei, adcuſatore non probante, ex privata ſcientia adcuſatum damnare, quod eſt abſurdum & legibus contrarium. 4.) Si permitteretur judici, ſepoſitis actis & probatis ſecundum propriam ſcientiam judicare, occaſio præberetur indulgendi adfectibus, ac jura & juſtitiam calumniandi: quod reipublicæ pernicioſum. 5.) Judex debet judicare ſecundum leges, mores ac conſuetudines. Atqui conſcientia eſt ſingulorum, & non facit jus. Ergo non ſecundum conſcientiam, ſive propriam ſcientiam, ſed ſecundum acta debet judicare. 6.) Judex publica auctoritate fungitur, & ex ea judicat. Ergo etiam in definiendis controverſiis ſcientia publica uti, & fidem exhibere his, quæ ſibi ut judici & perſonæ publicæ ſunt nota, non autem ut privato. 7.) Certa eſt juris regula, quod *deficiente probatione ſuccumbat is, cui probandi onus incubuit, & adverſarius obtineat*, tradita in l. 4. C. *de edend.* l. 2. C. *de probationibus*; ejus vero exceptio, *niſi judex rem ita ſe habere ſciverit*, nulla lege fundatur. Standum igitur eſt regulæ, donec exceptio probetur. 8.) Huc adferunt l. *illicitas.* 6. §. *Veritas.* ff. *de offic. præſid.* ubi Vlpianus dicit, *præſidem provinciæ id ſequi, quod convenit ex fide eorum, quæ probabuntur.* l. pen. ff. *de probat.* c. 1. juncto cap. *laudabilem de frigidis*, ubi veritas dicitur id, *quod probatum eſt, aut per legem præſumtum*; cap. *cum dilectus de fide inſtrumentorum*, ubi ſtatuitur, *judicem non poſſe ſententiam dicere ex inſtrumento ſcripturaque non producta in judicio, licet ea fuerit privatim ſibi exhibita, ut plane cognoverit ex ea jus actoris.* Vnde pro actis faciunt Dominicus a Soto lib. V. de juſt. & jur. Covarruvias libr. I. reſolut. Petrus Auguſt. Morla & alii complures. Quinimo Coſtalius ad d. §. *Veritas*, & Bronchorſtus cent. I. enantioph. aſſ. 14. dicunt, *eſſe hanc omnium fere doctorum ſententiam tam a canoniſtis, quam legiſtis adprobatam.* Contra qui *pro conſcientia* faciunt, hæc urgent: 1.) Probationes ut media a jure exiguntur in litium definitionibus, ut pateat veritas. At media non debent eſſe fini propoſito contraria. Spretis ergo actis tanquam mediis pro veritate, quam judex cognitam habet, pronunciare debet. 2.) Inducta ad unum aliquem effectum non debent operari contrarium. Quod favore C. *de legib.* Actorum obſervatio inducta eſt, ut de veritate conſtet l. 3. ff. *de teſtib.* l. *Judices* cont. C. *de judic.* Ergo non debet veritati opponi. At ſi contra conſcientiam admitterentur acta, opprimeretur veritas. 3.) Quærere, an judex ſecundum acta & probata, an vero ſecundum con-

conscientiam pronunciare debeat, nihil aliud est, quam quærere, an potius mendacium, quam veritatem in judicando sequi debeat? Judex enim sententiam dicens contra veritatem sibi etiam privatim compertam atque cognitam, omnino mentitur in læsionem alterius, *aliud enim dicere, quam scias, est mendacium.* Aristoteles lib. IV. ethic. Nicom. cap. 7. 4.) Judici probandum est, non adversario, cui nunquam satisfieret. l. *Quinquaginta in fine.* ff. *de probat.* unde & probationes dicuntur *arbitrariæ* & *pendere ab officio judicis.* l. 3. §. *Tu magis scire.* ff. *de testibus.* Jam vero nihil certius potest judex cognoscere, vel disceptando intelligere, quam quod scit verum esse, quippe quod omnem probandi modum superat. l. *Minor* 32. ff. *de minoribus.* Ergo judex pronunciare debet secundum id, quod verum esse novit, hoc est, secundum conscientiam. 5.) In re dubia ea opinio amplectenda est, quæ animarum saluti tutior; l. *Sunt personæ.* ff. *de relig.* Atqui sententia illa, quod judex secundum conscientiam pronunciare debet, est saluti animarum tutior. 6.) *Justum naturale* prævalet *justo legali* l. 8. §. *Si quis.* ff. *de bonor. possess.* l. 8. C. *de judic.* Sed justum naturale est, ut secundum ipsius rei veritatem judicetur; justum legale, ut secundum acta. 7.) Adferunt huc multos juris textus, in quibus statuitur, *quod judex debeat judicare secundum id, quod sibi visum fuerit.* l. Eum quem 79. ff. de judic. *ex animi sui sententia*, l. 3. ff. de testibus, *secundum arbitrium.* l. 1. ff. ad SCtum Turpil. *quod judex non debeat aliis credere, sed ipsum contemplari, agrum & fines cognoscere.* l. 8. §. Ad officium. ff. fin. regund. *quod debeat secundum leges & veritatem judicare.* l. Rem non novam C. de jud. *in judicando ante oculos æquitatem habere.* l. 4. ff. de eo, quod cert. loc. l. 9. de R. J. *judicare secundum id, quod sibi visum fuerit justius & melius* auth. hodie C. d. jud. *juxta propriam scientiam* c. 1. de re judic. in 6. quæ omnia eo referenda esse statuunt, quod judex secundum conscientiam judicare debeat. 8.) Si judex non secundum conscientiam, sed secundum acta & probata tantum judicare deberet, excusari posset Pilatus, qui secundum falsa testium deposita contra conscientiam Christum innocentem condemnavit, sed absurdum est consequens. Addunt exemplum *Salomonis* inter duas mulieres de infante contendentes judicantis 1. Reg. 3. ubi κρινόμενον & status causæ in eo consistebat, utrum infans vivus ad actricem, an ad ream mulierem pertineret? haud dubie probatio actrici incubuit, quippe infantem vivum vindicanti & suum adferenti. At licet nihil probarit, nec probare potuerit, nihilo tamen minus rex infantem ei adjudicavit, excogitato consilio, quo veritatem deprehenderet, & quod deerat actrici, suppleret, multo magis ita judicaturus de veritate ex propria scientia si certius constitisset.

§. CCXCIV. Quidam posterioris hujus sententiæ argumentis convicti statuunt, *judicem non debere contra conscientiam judicare, sed potius officium judicantis deponere, & testis vices subire.* Corasius lib. IV. miscell. cap. 20. Cujac. lib. XII. observ. cap. 19. Sed Vasquius lib. I. illust. controv. 14. eleganter respondet, *esse hoc lugubre remedium*, quia si alius judex substituatur, cui non constet de adcusati innocentia, male cum adcusato agetur, quid enim judex, utpote unus testis, contra tam multos efficiet? Præterea judex officii ratione tenetur, ut judicet: at cum officium judicis deponit, non judicat. Jurejurando se adstrinxit, quod secundum veritatem judicare velit l. *Rem non novam.* C. *de judic.* Atqui si eo casu, quo ipsi de veritate constat, non judicaret secundum veritatem, sed officium judicis deponeret, ac testis partes subiret, perjurus existeret. Alii distinguunt inter *causas criminales & civiles*; in criminalibus concedunt judicem secundum conscientiam debere pronunciare, cum satius sit nocentem dimittere, quam innocentem condemnare. l. 5. ff. *de pœnis*, in civilibus vero negant. Sed illis respondet Arumæus, jurisconsultus eximius, compater & collega noster honorandus, exerc. VI. in

parerg. *nullam hic adsignari evidentem diversitatis rationem*; utrobique enim veritas & innocentia opprimeretur, si judex contra suam conscientiam actorum fidem secutus judicare vellet. Quidam distinguunt *inter judicem inferiorem*, a quo datur adpellatio, *& superiorem*, a cujus sententia adpellari nequit: Hotomannus q. 27. illustr. Treutlerus vol. I. disp. 14. th. 14. si judex sit inferior, tum non debere secundum conscientiam contra acta sententiam ferre, cum judici superiori ex actis prioris instantiæ constare non possit, an recte sit judicatum? Sed argumenta posterioris sententiæ plerumque omnia sunt generalia, & probant judicem indistincte secundum conscientiam debere pronunciare. Stante ea hypothesi, judex superior, ad quem provocatum fuerit, sententiam inferioris confirmabit, & conscientiæ ejus relinquet, an recte judicarit, an minus? Hunnius in resolut. Treutlerus l. d. Huic ergo sententiæ etiam nostrum addimus calculum, hisce duntaxat subjectis monitionibus: 1.) Per conscientiam hic accipiendam esse *certam & exploratam rei scientiam*, qua per *αὐτοψίαν*, vel alia certa & irrefragabilia media, judici de veritate constat, nequaquam vero *fucatam & fictam illam conscientiam*, qua judex ex arbitrio & adfectu in favorem partis aliquid decernit, vel ex præconcepta opinione aliquid statuit, vel incerto rumori fidem habet. 2.) Quando vera illa & certa conscientia judicis & acta in foro invicem pugnant, tunc *acta & probata ὁμωνύμως tantum sic dici*, non enim sunt veræ & certæ probationes, sed duntaxat adparentes & falsæ, cum probatio revera nihil aliud sit, quam veritatis adsertio. Pulcre Vlpianus l. *Illicitas. §. Veritas* ff. *de offic. præs. Veritas rerum gestarum erroribus non vitiatur.* 3.) Falsam esse distinctionem duplicis *scientiæ & conscientiæ*, qua quis sit instructus vel ut publica, vel ut privata persona, ut enim veritas est una & simplex, ita quoque unica est veritatis scientia, sive ea sumatur ex publicis, sive ex privatis documentis, quo pertinet elegans locus Callistrati l. *Testium* 3. §. *Ejusd.* ff. *de testib. Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei sufficiunt, nullo certo modo satis definiri potest, sicut non semper, ita sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur, alias numerus testium, alias dignitas & auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem; hoc ergo solum tibi referibere possum summatim, non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim adligari debere, sed ex sententia animi tui te æstimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris*; ex quo manifeste adparet, si judici etiam privatim constet, testes falsum deponere, quod illorum adtestationem in judicando contemnere debeat. Ex hisce facili negotio colligitur, quid ad contraria argumenta respondendum sit, *quia cognitio veritatis est objectorum solutio*, inquit Savanarola libr. I. de veritat. fide cap. 14.

ARTICVLVS III.

DE SVPPLICIIS.

Ratio ordinis.

§. CCXCV. Exsecutio illa, in qua vim & pondus legum consistere diximus, versatur non solum *in judiciis*, sed etiam *in præmiis ac pœnis*, nimirum ut legibus honestis obtemperantes debitis præmiis, earum vero transgressores pœnis adficiantur. Nisi enim per justitiam distributivam præmia bonis, pœnæ malis ac facinorosis irrogentur, leges in extremum deducuntur contemtum, & respublica pessum ire cogitur, quippe cujus duo quasi fulcra, *præmia & pœnæ*. Solon, unus ex septem Græciæ sapientibus, & solus ex illis septem legumscriptor, *rempublicam duabus rebus contineri* dixit, *præmio ac pœna*. Cicero epist. XV. ad Brutum, non longe a princ. Vlpianus l. *Juri* 1. ff. *de justit. & jure*

jure deſcribens officium jurisconſultorum & magiſtratuum dicit: *Juſtitiam colimus, boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum quoque exhortatione facere cupientes.* Probat hoc ipſum exemplum ſummi legislatoris, qui in promulgatione legis promiſſionem præmiorum & comminationem pœnarum diſertis verbis ſubjungit, ut boni per benigna promiſſa ad obedientiam invitentur, mali per ſeveras minas ab inobedientia deterreantur. Exod. XX. 5. *Ego Dominus Deus tuus, Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* v. 6. *& faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.* Apoſtolus etiam in deſcribendo magiſtratus officio utrumque conjungit φόβον καὶ ἔπαινον. Rom. XIII. 3. Magiſtratus *non ſunt terrori bonis operibus, ſed malis. Vis autem non terreri poteſtate? quod bonum eſt, facito, & laudem habebis ab ea.*

Præmia bonorum.

§. CCXCVI. *Præmia*, quæ magiſtratus bonis & obedientibus civibus confert, ſunt maxima, utpote laus, honor, tutela & defenſio adverſus improbos, qua ipſorum fama, fortunæ & corpora ab improborum inſidiis atque inſultibus adſeruntur, ac tuta præſtantur. Quemadmodum enim pii veteres de beneficiis Dei dixerunt, *plures eſſe gratias privativas, quam poſitivas*, hoc eſt, plura & majora divinæ gratiæ munera conſpici in ἀφαιρέσει κακῶν, *in averſione malorum*, quam in θέσει καλῶν, *in collatione bonorum*; ita quoque de præmiis magiſtratus idem dicere poſſumus, ea ſcilicet potius in privatione noxiorum, quam in poſitione certorum beneficiorum conſpici. Et quemadmodum gratiæ Dei privativæ minus curantur, quam poſitivæ, quia ſcilicet minus in oculos incurrunt: ita quoque præmia magiſtratus, quæ ſunt in averſione malorum, minus curantur, quia conſpectui externo minus ſunt obvia.

Pœnæ malorum.

Pœnæ, quas magiſtratus irrogat, variæ ſunt ac diverſi generis; poſſunt tamen ad tres claſſes revocari: quædam enim concernunt *famam*, utpote infamia, ignominia, capitis diminutio &c. quædam concernunt *bona*, ut mulctæ pecuniariæ, proſcriptio bonorum &c. quædam vero *corpus*, eæque ſunt vel *capitales*, ultimum capitis ſupplicium complectentes, vel *non capitales*, quibus corpus quidem adfligitur, non tamen vita hominis eripitur, ut fuſtigatio, membri mutilatio &c. Iſidorus lib. V. etymol. cap. 27. pœnarum civilium *octo genera* ſtatuit, *damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exſilium, ſervitutem & mortem.* Alii quatuor genera pœnarum numerant, utpote 1.) *bonorum*, quæ dicitur mulcta; 2.) *relegationis*, quæ exſilium, deportationem ad inſulas, ad metalla, complectitur; 3.) *membrorum*, ut mutilatio membri, amputatio digitorum, auris, linguæ &c. 4.) *mortis*, quo pertinent diverſa mortis ſupplicia. Pœnarum capitalium iterum varia ſunt genera, ut pœna gladii, ignis, rotæ, laquei &c. de quibus jurisconſulti, criminalium interpretes, latius agunt. Apud Judæos *quatuor* ſupplicíorum genera duntaxat erant uſitata: ſic enim targum in cap. I. Ruth. & rabbi Salomon in lib. Sanhedrin Babyl. cap. Arba middoth: (*) *Quatuor ſupplicia tradita ſunt domui judicii, lapidatio, combuſtio, occiſio gladii,*

(*) De quatuor iſtis ſuppliciis apud Judæos olim uſitatis, præter codicem talmudicum *Sanhedrin cap. VII. tom. IV. miſchnæ Surenhuſii, p. 237. ſeqq.* ex ſcriptoribus chriſtianis conferri merentur Jo. Seldenvs *de jure nat. & gent. p. 857. & libr. II. de ſynedriis cap. XIII. operum* ejus junctim editorum, *tom. I. & II.* Melch. Leydekkervs *de republ. ebræor. libr. VII. cap. XII.* Jo. Hoornbeckivs, in *miſcell. ſacris, cap. XV. p. 384.* Jo. Bened. Carpzovivs, in *animadverſ. ad* Schickardi *jus regium ebræor. p. 219.* Avgvst. Calmevs *tom. I. diſſertat. biblicar. p. 122.* verſionis latinæ, Christ. Bened. Michaelis in *diſſert. de pœnis capitalibus, in ſacra ſcriptura commemoratis, ac ebræorum inprimis*, quæ Halæ *MDCCXXX.* primum prodiit, atque ibidem *MDCCXLVIII.* auctior facta recuſa, aliique, quos Pfeiffervs *tom. II. oper. philolog. p. 993.* Fabricivs in *bibliograph. antiquar. p. 747.* edit. recentiſſ. atque Jo. Christoph. Wolfivs in *adnotationibus ad* Lvndii *jüdiſche Heiligthümer p. 535.* adlegarunt.

dii, sive decollatio, & suffocatio, seu strangulatio. Ponunt etiam Hebræi regulam, quando genus supplicii in lege non exprimitur, quod intelligenda sit strangulatio, quæ fiebat per mappam aliquoties circa collum replicatam, quam lictores utrinque omni, qua poterant, vi trahebant, donec pœnæ obnoxius moreretur. Et quia in talibus pœnis capitalibus exsecutio legum & potestas magistratus cumprimis elucet, ideo ἐπιγραφὴ hujus articuli specialiter *suppliciorum* tacit mentionem, quippe quæ ultimum exsecutionis gradum constituunt; interim non negamus, etiam in minoribus, quam capitalibus pœnis, quin & in ipsis præmiis distributivæ justitiæ administrationem versari.

1.) *An magistratui liceat pœnas irrogare?*

§. CCXCVII. Antequam vero in specie ad pœnas capitales progrediamur, in genere *primum* demonstrandum, *quod magistratui non solum liceat, sed etiam incumbat, legum transgressoribus pœnas irrogare.* Colligitur id 1.) Ex *Dei mandato.* Deut. XVII. 7. XIX. 20. *Auferes malum e medio tui, & non parcet oculus tuus, animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo &c.* 2.) Ex *magistratus officio.* Prov. XX. 8. *Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Rom. XIII. 4. *Magistratus Dei minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* 1. Pet. II. 14. Duces mittuntur *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* c. *Non est &c.* caus. 23. q. 5. ex Augustino: *Non est innocentiæ parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur, pertinet ergo ad innocentiæ officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut aut ipse, qui prius odio habetur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo.* 3.) Ex *Dei ipsius exemplo.* Is legis suæ transgressoribus minatur pœnas, neque hæ minæ sunt fulgura ex pelvi, sed divino judicio infallibiliter constitutum, *ut culpam pœna premat comes.* Μένει τὸ κακὸν δίκη, *omne malum vindicta manet, Impune mali immune boni nihil videtur,* inquit Scaliger lib. I. Epidorp. Agnoverunt hoc ipsimet ethnici ex naturæ luce & quotidiana rerum experientia. Ἀκόλουθος τῆς ἀδικίας ἡ τιμωρία, inquit Plato, vel ut verius & pressius Hesiodus ἡλικῶτις, *cognatum, imo innatum sceleri sceleris supplicium. Deorum immortalium in impios & conscelerates pœnæ certissimæ sunt constitutæ*; ait Cicero orat. in Pison. Et quamvis illæ pœnæ quandoque differantur, non tamen auferuntur. Τὸ θεῖον χολῇ καὶ taxei βαδίζει, dicebat Synesius. *Divina natura lente & ordine progreditur*, nec male prisci, qui hoc sensu deos fingebant *laneos habere pedes.* Lipsius lib. II. de const. cap. 13. *Lento quidem gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.* Valerius libr. I. memorab. cap. 2. Quod si ergo magistratus Dei audire cupit vicarius, pœnas delinquentibus irroget. Lactantius lib. de ira Dei cap. 17. circa finem: *Sicut in homine necessaria est ira justa ad pravitatis correctionem, sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. Nam sicut nos potestati nostræ subjectos coërcere debemus, ita etiam peccata universorum Deus coërcere debet, quod ut faciat, irascatur necesse est.* 4.) Ex *pœnarum commodo. Pœnæ & illis, qui eas perferunt, utiles sunt, & spectatoribus, utrique enim redduntur meliores, illi dolore, hi exemplo.* Plato in Gorgia, cum quo convenit illud Ciceronis lib. I. offic. *Pœnis utimur, contra delinquentes, ne quid posthac committant ipsi, cæteri vero sint ad delinquendum tardiores.* Tres enim sunt pœnarum fines, *primo* νουθεσία, ut rei cautius mercari discant, *secundo* τιμωρία, ut læsæ parti satisfiat, *tertio* παράδειγμα, ut reliqui exemplo terreantur. *Auferes malum de medio tui,* inquit Dominus Deut. XIII. 5. addita ratione v. 11. *& omnis Israël audient & timebunt, & non addent ad faciendum secundum rem malam istam in medio tui*, quod repetitur Deut. XVII. 13. XIX. 19. &c. Prov. XIX. 25. *Si derisorem*

risorem percusseris, stultus erit sapientior, hoc est, aliorum plagis emendabitur, & cautius agere discet. Ezech. XXIII. 48. *Erudientur omnes mulieres pœnas adulterarum videntes, & non facient secundum fœditatem earum.* Per vindictam magistratus *disciplina servatur, mores corriguntur, licentia comprimitur*, ait Lactantius d. l. Pœnarum irrogatione peccata coërcentur, tollitur improbitas, innocentia conservatur, consolationem hauriunt illi, qui injuriam passi sunt, Oldradius cons. I. ac reliqui deterrentur, ne simili audacia legum repagula perfringant, & delictis suis rempublicam turbent. *Quoniam tuum ingenium insanabile est, tuo supplicio doce genus humanum ea sancta credere, quæ abs te violata sunt*, dicebat Tullius Hostilius ad Metium Suffetium lib. I. decad. 1. p. 14. 5.) Ex *præposteræ indulgentiæ detrimento*, quippe quæ & magistratui & subditis est noxia. Sicut æqui ac justi cura facile in animis exstinguitur, nisi debitus virtuti honos rependatur: sic sceleratorum flagitia coërceri nequeunt, nisi pœnarum severitate in illos animadvertatur. Quod si enim magistratus in pœnis irrogandis negligens est, Deus ipse ad vindictam exsurgit. Num. XV. 4. Judic. XX. 46. 1. Reg. XIV. 16. XX. 42. *Indulgentia magistratus nimia flagitiorum est illecebra, & qui parcit malis, nocet bonis.* Quando facinorosi impuniti dimittuntur *lætitiæ & gaudia hominum contaminantur.* l. 3. C. de epist. audient. *Qui vitiis nutriendis parcit & favet, ne contristet peccantium voluntatem, non tam est misericors, quam qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem, & non timet, ne vulneratum doleat, vel exstinctum.* cap. *Qui vitiis &c.* caus. 23. q. 5. M. Cato dicebat, magistratus illos, qui maleficos pœnis non coërcent, non tantum non ferendos, sed lapidibus obruendos esse, ne ex pœnarum intermissione reipublicæ salus labefieret, Plutarchus in apopht. Sub Nervæ imperio quidam Fronto publice exclamabat: *Malum esse eum imperare, sub quo nemini quidquam liceat, sed longe pejus esse sub illo vivere, sub quo omnia liceant.* Dio in Nerva. 6.) Declarationis gratia possunt addi similia, quæ non quidem probant, rem tamen illustrant. Magistratus dicuntur *patres*, ut ostendimus superius. Jam vero ad officium parentum pertinet *educare liberos in disciplina & correptione*, Ephes. VI. 4. eosque delinquentes castigare; Prov. XIII. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium.* Hebr. XII. 7. *Quis est filius, quem pater non corripit?* Magistratus dicuntur *domini*; jam vero ad officium dominorum pertinet servos delinquentes castigare. Prov. XXIX. 19. *Servus verbis non potest erudiri.* Eccles. XXXIII. 25. *Cibaria, & virga, & onus asino, panis, & disciplina, & opus servo.* Ergo etiam ad magistratum pertinet, inobedientes & delinquentes subditos pœnis coërcere.

§. CCXCVIII. Descendimus jam ad *pœnas capitales* in specie, de quibus *primo* omnium quæritur: *An liceat magistratui, præsertim in nov. test. illas irrogare?* Lactantius lib. VI. div. instit. cap. 20. circa med. videtur negare, sic enim scribit: *Non licet justo accusare quemquam crimine capitali, quia nihil distat, utrumne ferro, an verbo potius occidas, quoniam ipsa occisio prohibetur.* Itaque *in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.* (*) Anabaptistæ & Photiniani, uti etiam Weigelius Swenkfeldianus,

2.) *An capitales pœnas irrogare licitum sit magistratui?*

(*) Augustinus reos ad supplicium damnatos a præfidibus Africæ sibi tradi ac donari volebat, si promissionem emendationis ac pœnitentiæ interponerent, ac sui id dicebat esse officii, & nisi id, quod petebat, obtineret, offendebatur, conquerens, quod auferre non posset a publicis potestatibus, quod ad suum officium adtineret. Sed Macedonius, qui

reum illi donaverat, scribebat ad Augustinum, *mirari se, quomodo hoc ad officium suum pertineret*, & multas adducit rationes, ob quas sibi non videatur. Exstant hac de re epistolæ Augustini ad Macedonium & Macedonii ad Augustinum tom. II. operum Augustini. Tertullianus in lib. de idololatria p. 624. *Jam vero quæ suus potestatis, neque*

dianus, diserte negant, ut ex ipsorum verbis superius adductis patet. Contrarium ostendimus: I.) Ex *lege divina scripta, eaque tum in vet. tum in nov. testam.* In vet. test. statim post diluvium etiam ante legem Mosaicam opposuit Deus sceleribus in genere humano invalescentibus magistratus constitutionem, eique gladium adversus delinquentes tradidit. Gen. IX. 6. *Qui effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem*, ubi disertum exstat διάταγμα ipsius Dei ore prolatum, quod sanguis homicidæ voluntarii, qui humanum sanguinem ausu nefario effudit, *per hominem*, hoc est, per magistratum, iterum sit effundendus. Jam vero quod de homicidis statutum, idem etiam de aliis facinorosis, reipublicæ tranquillitatem horribiliter turbantibus, accipiendum. Hebræis enim in more positum, *ex specie genus intelligere, & speciali exemplo generalem regulam constituere.* Excipiunt I.) Photiniani, *hoc non esse mandatum magistratui datum, sed prædictionem tantum pœnæ divinæ*, idque patere dicunt ex præcedentibus, v. 5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram, de manu cunctarum bestiarum requiram eum, & de manu viri fratris ejus requiram animam hominis.* Ostorodus in inst. c. 28. num. 5. p. 190. *Wir sagen, dass dis kein Gebott sey, der Obrigkeit gegeben, sondern eine Dräuung göttlicher Strafe, wie aus vorgehenden Worten wol zu ersehen ist, und ist eben eine solche Rede, wie Christus sagt: Wer das Schwerdt nimmt, der wird durchs Schwerdt umkommen,* Matth. XXVI. 52. *Resp.* 1.) Notanter additur, quod *per hominem* sanguis homicidæ sit effundendus; (ostendimus enim superius §. XL. membr. 4. illum προσδιορισμὸν *per hominem* non ad subjectum, sed ad prædicatum pertinere) id vero non potest intelligi de quovis homine privato, alias omnia cædibus & homicidiis replerentur, sed necessario intelligendum *de magistratu*, cui Deus tradidit jus gladii, quo modo interpretatur ipse apostolus Rom. XIII. 4. 2.) Vnde chaldaica paraphrasis Onkelosii sic reddidit: *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, juxta sententiam judicum sanguis ejus fundetur.* Vbi admodum luculenter exponit paraphrastes hujus loci sensum, nempe non licere cuique privato impetum facere in homicidam, & ipsum occidere; sed pertinere hoc ad magistratum, qui & ipse in condemnando ac puniendo homicida non debeat esse præceps, sed adhibitis testibus causam diligenter discutere ac cognoscere. Quod si testes homicidii non possunt haberi, vindictam Deo committendam, sic enim addit paraphrasis Jonathan: *Qui effuderit sanguinem hominis per testes, condemnabunt eum judices ad necem; & qui effuderit absque testibus, Dominus mundi olim vindictam ab eo sumet in die judicii magni.* 3.) Nec repugnant huic interpretationi antecedentia, quia judicium Dei adversus homicidas & alios facinorosos est duplex, *mediatum & ordinarium*, quod exercet per magistratum; *immediatum & extraordinarium*, quod exercet per se ipsum. 4.) Si quis textum adcuratius consideret, animadvertet, quinque rationes prohibitæ cædis humanæ a Deo ipso adsignari. Primo, *requiram*, inquit, *sanguinem vestrum*, hæc est commination vindictæ generalis. Vindicabo cædes humanas quacunque ratione & infallibiliter, ut homicida ultionem non effugiat. Secundo, *requiram de manu cunctorum animalium.* Si nec bruta impune interficiunt hominem, quanto minus homicidæ. Conjunge Exod. XXI.

Affirmativa probatur
1.) *Ex lege divina scripta.*
a.) *Ex vet. test. Gen. IX. Qui effuderit humanum sanguinem &c.*

que judicet (christianus) *de capite alicujus, vel pudore, feras enim* (id est, fontes) *de pecunia neque damnet, neque prædamnet, neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat.* Inde Tertullianistæ negarunt *judicia capitalia a christiano exerceri posse.* Pauperes de Lugduno, a Waldo etiam Waldenses nuncupati, docuerunt, *nullum judicem damnare posse aliquem hominem ad ullum supplicium, vel pœnam*, notante Prateolo ex Ænea Sylvio. Nicolaus quidam Galecus, Bohemus, circa annum Christi 1434. inter reliquos errores docuisse fertur, *nullum hominem juste occidi posse novæ legis tempore, etiamsi id fiat ex judicis præcepto, quod id nov. test. non dicitur.* Gerhardvs.

XXI. 29. ubi *bos occidens hominem lapidibus obrui jubetur*; ergo non de immediato Dei judicio, sed de mediato, quod fit per homines, lapidibus bovem cornupetam obruentes, accipiendum. Idem judicium de membro sequente. Tertio, *de manu viri fratris ejus requiram animam hominis*; nimirum per magistratum ordinarie, ut sequitur explicatio, vel si magistratus fuerit negligens, item, si quædam homicidia notitiam ejus effugiant, extraordinarie per me ipsum. Ac latet hic nova ratio, quare homines a cædibus sibi mutuo inferendis abstinere debeant, quia sunt fratres, ac proinde ad vitam mutuo tuendam, non lædendam, obligati. Quarto, *qui effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem*, hæc est comminatio & simul præceptum de vindicta ordinaria per magistratum adversus homicidas exercenda. Quinto, *ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Imago Dei non potest impune destrui, ac læsa Dei imagine Deus ipse læditur; cavendum igitur a læsione & destructione imaginis divinæ per homicidium. Quamvis enim in spiritualibus amissa sit Dei imago, tamen in Adamo omnes ad imaginem Dei primitus sunt conditi, atque ad eamdem per Christum reparari possunt, & supersunt adhuc quædam vestigia divinæ imaginis ac generalis quædam convenientiæ & conformitatis ratio in mente, voluntate & memoria. Nec incommode ad ipsum homicidam etiam hoc referri potest; is enim si in se descendat, inveniet quasdam divinæ imaginis reliquias, naturales scilicet notitias, κριτήρια illa, quibus honestum a turpi discernitur, quæ ipsi dictitant, a cæde humana esse abstinendum. 5.) Deus ipse in lege Mosaica clarissimam explicationem addidit, quod scilicet non sit nuda prædictio, sed mandatum, quod homicida publica magistratus auctoritate iterum sit interficiendus: Exod. XXI. 12. 6.) Si verba hæc: *fundetur sanguis homicidæ per hominem*, nudam prædictionem continerent, falsum aliquid continerent, quia sæpius non sequitur id, quod prædictum, hoc est, homicidarum sanguis sæpius non effunditur per hominem, sed aliis modis ipsi trahuntur ad pœnam vel in hac vita, vel, nisi pœnitentiam egerint, in futuro judicio. Ergo de mandato magistratui dato, non autem de nuda prædictione sunt accipienda. Si dicas, *idem absurdum ex eo colligi posse, si præceptive hæc verba exponantur*; nego, quia mandatum esse immotum ac perpetuum, homicidam, de quo manifeste & per testes constat, a magistratu esse puniendum, ex negligentia magistratus ipsi mandato ejusque veritati & perpetuitati nihil quidquam decedit, ut colligitur ex aliis præceptis. II.) Anabaptistæ excipiunt, *vi hujus divinæ comminationis magistratum fundendo sanguinem ipsummet etiam sui sanguinis effusionem mereri.* Resp. imo vero Deus ipse accurate distinguit inter *homicidas voluntarios ac malitiosos*, ex privatæ vindictæ cupiditate gladium sibi sumentes, & inter *magistratum* ejusmodi malitiosos homicidas gladio sibi dato *punientem*, hæc igitur confundi neutiquam debent. Quando ipse magistratus homines innocentes ex privata vindictæ cupiditate contra leges occidi curat, sicut Achab Nabothum, gravissime peccat; alia vero & plane diversa est ratio, quando magistratus *Dei judicium* adversus facinerosos exercet, & gladium adversus fontes stringit. Nec est, quod obvertatur, *etiam homicidam esse ad imaginem Dei factum, proinde vigore hujus rationis non esse ipsum a magistratu occidendum*; diversitas enim longe maxima elucet ex ipso textu. Non licet destruere imaginem Dei non præcipiente, licet autem ipso mandante ac præcipiente. Non præcipit, nec permittit Deus imaginem suam in homine innocente a privato destrui, quod si vero aliquis privatus hominem occidit, & in eo Dei imaginem destruxit, jam præcipit, a magistratu, qui est publica persona, eum iterum interfici, nulla imaginis ratione habita, quia scilicet in proximo imaginem Dei prius destruxit. (*) 3.) Si

(*) Gen. XXVII. 45. *Cur utroque orbabor filio in uno die*, inquit Rebecca, cum audiret, Esavum vitæ fratris Jacobi insidiari. Ergo homicidia eo tempore fuere capitalia. GERHARDVS.

3.) Si quis excipere velit, *hanc divinam constitutionem ad vet. duntaxat test. pertinere*, illi quid respondendum sit, ex sequentibus patebit.

§. CCXCIX. In lege Mosaica *de pœnis capitalibus* irrogandis constitutiones exstant complures. Exod. XXI. 12. *Qui percusserit hominem, & mortuus fuerit, morte moriatur*, quod repetitur Lev. XXIV. 17. quam non esse nudam comminationem, vel prædictionem, sed severum mandatum magistratui datum, conflat ex v. 14. in Exod. statim sequente; *Si quis superbe* (data opera) *occiderit proximum suum*, & בְּעָרְמָה *in dolo, per insidias, ab altari meo avelles eum, ut moriatur.* v. 15. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur.* v. 16. *Qui maledixerit patri suo, vel matri suæ, morte moriatur.* (quod repetitur Lev. XX. 9.) *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, & inventus fuerit homo in manu ejus, morte moriatur.* v. 20. *Qui percusserit servum suum, vel ancillam, baculo, & mortui fuerint in manibus ejus, vindicando vindicabitur*, hoc est, ut homicida punietur. Tales pœnæ capitales irrogantur etiam *blasphemis*, Levit. XXIV. 16. *idololatris*, Deut. XIII. 8. *veneficis*, Exod. XXII. 18. *cum jumento coëuntibus*, v. 19. *adulteris*, Lev. XX. 10. Deut. XXII. 22. *sponsæ fornicanti*, v. 24. *sabbatum profanantibus*, Exod XXXI. 14. *incestuosis*, Lev. XVIII. 29. XX. 11. & seqq. *coëuntibus tempore menstrui*, v. 18. &c. Quo etiam pertinent *exempla* eorum, qui publica magistratus auctoritate & potestate divinitus instructi facinorosos ultimo supplicio adfecerunt. (*) Sic *Moses* idololatras, Exod. XXXII. 28. *Josua* Achanem, sacrilegii reum: Jos. VII. 25. *David* Psal. 101. 8. dicit: *In matutino extermino omnes peccatores terræ, ut disperdam de civitate Dei omnes operantes iniquitatem.* Idem inter ultimos spiritus supplicium de Joabo & Simei sumendum constituit, 1. Reg. II. 6. *Salomon* Adoniam, Joabum & Simei interfici mandat, 1. Reg. II. 25. 31. & 46. &c. *Simon*, Judæ Maccabæi frater, commendatur, quod *omnem iniquum & malum abstulerit.* 1. Macc. XIV. 14. Et probe notandum, quod Deus graviter irascitur *Sauli* parcenti Agago, Amalekitarum regi, quem ore gladii percutere debebat, 1. Sam. XV. 23. quodque *Achabus* parcens Benhadad audire cogitur 1. Reg. XX. 42. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* Expende etiam severitatem legis divinæ Levit. XX. 2. *Homo de filiis Israël & de advenis, qui habitant in Israël, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur, populus terræ lapidabit eum.* v. 4. *Quod si absconendo absconderit populus terræ oculos suos a viro illo, qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere*; v. 5. *Ego ponam faciem meam super hominem illum & cognationem ejus, succidamque & ipsum & omnes, qui fornicati sunt post ipsum.* Excipiunt Anabaptistæ & Photiniani, *hæc omnia pertinere ad legem Mosaicam forensem, quæ in nov. test. sit abrogata.* Ostorodus in instit. cap. 28. p. 187. *Quod theologi ex vet. test. demonstrare conantur, facinorosos ultimo supplicio adfici posse, ad rem non facit, quia ex nov. test. adduximus rationes, quæ id non permittunt, jam vero vet. test. utpote imperfectum cedere debet novo, utpote perfecto. Præterea illi ipsi theologi viam ex vet. test. id probandi sibi ipsis præstruxerunt, docent enim politicas leges vet. test. ad nos non pertinere.* Smalcius contra disp. VI. Frantz. poster. p. 390. *Negatur, id ad nos christianos pertinere, quod in lege licebat, nempe de capitalibus suppliciis.* Resp. 1.) Ante institutam politiam Mosaicam statim post diluvium magistratus instituitur, ac datur illi gladius, quo utatur contra homicidas & alios facinorosos. Ergo leges de pœnis capitalibus *simpliciter & absolute* non pertinent ad forenses & judiciales leges, sed tantum *secundum quid*, ratione scilicet determinationis *personarum, graduum* ac *circumstantiarum*, quibus & quando pœnæ capitales sint irrogandæ? interim genus

(*) Prov. XX. 26. legitur: *Dissipat impios rex sapiens, & inducit super eos rotam.* GERHARDVS.

genus ipsum, quod scilicet magistratui competat jus gladii in facinorosos, est morale & perpetuum. 2.) Id ipsum patet ex lege naturæ omnium hominum mentibus inscripta, quæ apud gentes etiam ante promulgatam legem Mosaicam supplicia capitalia in usu fuisse ostendit. 3.) In nov. test. generalis illa constitutio de pœnis capitalibus a magistratu sontibus irrogandis non est sublata, cum evangelium non tollat politias & necessaria earum requisita, sed potius confirmet, ut paulo post docebitur.

b.) *Ex dictis nov. test. Matth. XXVI, 52. Qui acceperit gladium, gladio peribit.*

§. CCC. Transitum igitur facimus ad *nov. test.* ex quo 1.) adducimus dictum Christi Matth. XXVI. 52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Jubet Christus Petro, ut gladium convertat in vaginam, addita ratione, quia, qui gladium accipit privata temeritate, is peribit gladio magistratui divinitus dato, sic ergo confirmat Christus magistratui jus gladii, tantum abest, ut illud ipsi ereptum voluerit. Excipiunt Photiniani, *esse duntaxat prædictionem.* Smalcius contra VII. disp. Frantz. de bonis operibus p. 142. *Nulla hic fit mentio ejus, cujus opera futurum sit, ut quis gladio pereat, vel occidatur, nempe magistratus; sed simpliciter tantum adfirmatur, fore ut is, qui gladium accipit, gladio pereat, potest autem aliquis gladio perire, etiamsi magistratus eum non necet. Itaque verba Christi pro comminatione generali potius habenda sunt, qua homines a recursione ad media violenta in injuriis repellendis deterrere voluit.* Idem repetit contra disp. VI. de rebus civilibus p. 390. *Christus tantum prædicit, quid ordinarie fiat, si quis gladium accipiat, non vero docet, quid fieri jure possit, vel debeat. Quemadmodum etiam hodie is, qui plane negat, licere aliquem interficere, posset eum, qui contentiosus est, & ad arma statim provolat, dehortari ab ista levitate hujusmodi argumento. Vide, ne des pœnas tuæ levitatis. Nam ita comparatum est, ut qui arma sumunt, per arma etiam pereant. Deinde non exprimitur is, per quem perire debeat, qui gladium accipit, nempe magistratus, quod adfirmat Franzius, potest autem gladio perire aliquis absque ulla pœna magistratus, ut experientia quotidiana testatur.* Resp. 1.) Christus desumit hanc rationem ex antiquissimo illo decreto divino: Gen. IX. 6. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis effundetur per hominem*; & ostendit Petro, utpote non constituto in magistratus officio, non esse datum gladium, sed temerario ausu ipsum sibi jus gladii arrogare, metuendum igitur esse, ne in pœnam magistratus incurrat, quippe cui divinitus datus sit gladius, quo in justam sanguinis effusionem vindicet. Vide harm. evang. de pass. cap. 4. pag. 170. 2.) Hanc interpretationem probant circumstantiæ textus. Juris naturalis quidem est, injustam vim vi repellere, & adversus irruentium latronum insultus gladio sese defendere; sed alia ac diversa est ratio, quando magistratus ipse, cui gladius ad bonorum defensionem datus est, eodem abutitur, & innocentes opprimit, sicut hoc loco fieri videmus, qui enim ad comprehendendum Christum venerant, auctoritate magistratus erant instructi. *Sacerdotes summi* partem aliquam politicæ gubernationis sustinebant, Deut. XVII. 9. Chiliarchum & cohortem militarem miserat *præses* nomine imperatoris Romani, tunc enim non licet subditis & privatis magistratui resistere, sed cogitandum ipsis est, magistratui divinitus datum esse gladium, quo si minus recte utatur, Deum ultorem & vindicem habebit, sed privatis non licet contra ordinarium magistratum consurgere, unde Christus gladio Petri defendi hoc loco noluit, sed ad considerationem potestatis magistratui datæ eum remisit. 3.) Vrgemus eam particulam universalem *omnes*, & ex ea colligimus, generalem & ordinariam hic tradi regulam, quod homicidæ voluntarii per magistratum gladio puniantur, cui nihil decedit ex eo, quod quidam vel conniventia magistratus, vel criminis occultatione, impunes abeant, cum illud sit *de facto, non de jure.* Atqui si

si verba Christi duntaxat prædictionem continerent, non posset in genere adfirmari, omnes perituros gladio, qui gladium accipiunt. Quamvis enim homicidæ divino judicio ad pœnas trahantur, non tamen omnes gladio pereunt. 4.) Neve ulla restet dubitatio, conjungimus locum apostolicum Rom. XIII. 4. in quo satis clare & perspicue exponitur, cui datus sit *gladius*, quo homicidæ pereunt, videlicet *magistratui*, perinde ut in vet. test. sanguis homicidæ dicitur effundendus *per hominem* Gen. IX. 6. & exsecutio supplicii homicidæ irrogandi demandatur *judici & senioribus* Exod. XXII. 2. Deut. XIX. 12. 17. 18.

Rom. XIII. 4. Non frustra gerit gladium.

§. CCCI. Producimus ergo II.) classicum locum apostoli Rom. XIII. 4. in quo sequentes emphases sunt notandæ: 1.) Magistratus *gerit gladium* ἐκ εἰκῆ, *non frustra*, nec temere nec sine causa. Εἰκῆ illud fieri dicitur, quod fit absque divina ordinatione, vocatione & beneplacito, sic fratri εἰκῆ, *temere irasci* dicitur Matth. V. 22. qui ex privata vindictæ cupiditate fratri irascitur, cujus ira non est justa nec divina (quamvis hæc vocula non addatur in omnibus exemplaribus). Col. II. 18. εἰκῆ φυσιόμενος dicitur, qui *contra Dei verbum & voluntatem* ἐθελοθρησκείας introducit. Magistratus ergo ἐκ εἰκῆ, non temere gerit gladium, hoc est, gestatione & usu gladii nihil agit contra Dei voluntatem & suam vocationem, nimirum quia divinitus ipsi est datus. Exod. XX. 7. prohibemur *nomen Dei adsumere in vanum*, ubi Aquila reddidit εἰς εἰκῆ, præter verbum & ordinationem divinam. Vsurpatur etiam particula εἰκῆ pro eo, quod sit *frustra, & sine fructu & effectu*, 1. Cor. XV. 2. Gal. III. 4. IV. 11. quo sensu itidem magistratus gladium non gerit frustra; qui enim magistratus potestati resistunt, experientur ipsius vindictam, imo Dei ultionem, sicut apostolus dicit: *Qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt, qui autem resistunt, ipsi sibi judicium adquirunt.* Syrus habet vocem ריקאית, *inaniter*, frustra, in vanum a radice ריק, *evacuavit*, inanis factus est. Flacius in clav. script. in voce *frustra*: *Hoc adverbium alias removet jus, aut causam efficientem, ut* Prov. I. 11. *abscondamus innocenti laqueum frustra, hoc est, injuste; alias removet salutarem effectum, ut frustra aliquid agere, hoc est, irrito conatu.* Quod si ergo magistratus non inaniter nec frustra portat gladium, utique etiam adversus facinorosos & fontes eum debet stringere; utramque enim significationem particulæ εἰκῆ hic habere locum, patebit ex sequentibus. 2.) Apostolus ipse exponit causam, quare magistratus non gerat gladium εἰκῆ in significatione priore, *quia non est potestas nisi a Deo, quæ autem potestates sunt, a Deo ordinatæ sunt*, v. 1. hoc est, Deus ipse magistratui dedit potestatem & jus gladii, proinde quando magistratus gladium portat & stringit, nihil quidquam agit contra Dei ordinationem & voluntatem, modo juxta leges & debita ratione illud fiat. 3.) Vnde notanter subjicit apostolus v. 4. *Magistratus ideo non gerit gladium* εἰκῆ, *est enim Dei minister*, ἔκδικος εἰς ὀργήν, *vindex ad iram*, (sive pœnam μετωνυμικῶς iræ nomine accepto) *illi qui malum agit.* Ergo quando magistratus gladio divinitus sibi dato legitime utitur, Deo exhibet ministerium, exercet vindictam Deo gratam, & iram, sive pœnam flagitiis debitam divino judicio irrogat. 4.) Ideo etiam magistratus *terrori est, & esse debet malum operantibus*, v. 3. nimirum quia gladium vindicem gerit, quo malefacta coërcet ac punit, v. 4. & quia non solum *propter iram, sed etiam propter conscientiam* obtemperandum, v. 5. ne scilicet pœnas nobis adcersamus, & conscientiam violemus. 5.) *Qui potestati magistratus* gladium gerentis *resistit, Dei ordinationi resistit*, v. 2. ergo hæc potestas, qua magistratus gladium gerit, & in facinorosos stringit, non ex quadam permissione, tolerantia & conniventia, sed ex sapientissima Dei ordinatione originem ducit. Conjunge, quæ de hoc loco diximus superius cap. 3. sect. 1. §. 34.

§. 34. Quæ omnia si probe observentur, in fumum abeunt Photinianæ elusiones, quibus tenebras huic clarissimo loco inferre moliuntur. 1.) Dicunt, *apostolum hic non tradidisse præceptum, quid magistratus facere debeat, sed exposuisse duntaxat, quid magistratus facere soleat.* Ostorodus in inst. cap. 18. pag. 186. *Paulus hat daselbst kein Gebott gegeben, sondern nur allein etwas von der Obrigkeit ins gemein affirmiret.* Sed ex illis, quæ in præcedentibus adduximus, adeurate observatis liquido adparet, describi ab apostolo *officium magistratus* divinitus ipsi concessum ac demandatum, quod scilicet potestas gladii a Deo ipso sit magistratui data, quo ex divina ordinatione vindictam adversus facinorosos exerceat. 2.) *Apostolum non de fideli & christiano magistratu, sed indefinite de magistratu aliquid commemorare; id vero de magistratu, qualis tunc erat, videlicet infideli & ethnico esse accipiendum.* Ostorodus d. l. *Paulus hat daselbst nicht etwas commemoriret, gedacht oder erzehlet, welches die Christen angieng &c.* Smalcius contra disp. VI. poster. Frantz. p. 388. *Certum est, Paulum loqui de magistratu infideli, cui leges præscribere non erat muneris apostolici, sed quia jam magistratus iste suas leges politicas habebat, secundum quas subditis imperabat, monet fideles, ne illis, quatenus erant politicæ, repugnent, rationem inter alias adferens, quod possit magistratus punire immorigeros.* Et postea: *Paulus non præscribit leges magistratui, sed tantum de magistratu, qui tunc exstabat, infideli prædicat, quales leges ille habeat; & quomodo sint vitandæ ab eo destinatæ immorigeris pœnæ docet.* Resp. imo vero apostolus in genere *de omni magistratu* loquitur, sive is fidelis sit & christianus, sive infidelis & ethnicus. *Non est potestas*, inquit, *nisi a Deo, & quæcunque potestates sunt, a Deo ordinatæ sunt.* At huic potestati a Deo ordinatæ *gladium* esse datum inquit, quem non *gerat frustra, sed in vindictam malorum*, & quando magistratus vindictam illam per gladium exercet, *Dei ministrum* esse, & Deo ministerium exhibere adserit, quæ omnia non possent locum habere, si de *facto* tantum, quid scilicet ethnicus magistratus faciat? non *de jure*, quid cuivis magistratui, sive ethnicus sit, sive christianus faciendum incumbat? apostolus loqui statueretur. Adde, quod christianos, quibus scribit, ad obedientiam magistratui exhibendam hortatur: *Omnis anima*, inquit, *superioribus potestatibus subdita sit*, at si magistratus gladium stringendo in facinorosos peccaret, apostolus hoc taxasset, non autem ad obedientiam subditos cohortatus fuisset. Regerit Smalcius d. l. *Quomodo ex obedientia, quæ debetur magistratui, jure colligi potest, magistratum posse, quas velit pœnas irrogare? Si magistratus infidelis, vel injustus, pœnas, quas velit, irroget contrarias Christi evangelio, certe patientia ista omnia superanda sunt, sed an id jure liceat magistratui? quæritur. Obedientia tantum in justis & licitis rebus locum habet, plus enim est Deus colendus, quam quivis magistratus; at patientia etiam in injustissimis. Pœnas meritas tolerandas, obedientiam decretis magistratuum adhibendam, nemo negat. Sed nunc de eo, quid liceat magistratui christiano sub evangelio? sermo est. Potest autem homo christianus ferre pœnas, & obedire decreto magistratus, licet magna sit in eo injuria & injustitia.* Resp. Concedimus, magistratui non licere, quas velit, pœnas irrogare, sed rationem habendam legum Christi; sed Smalcius nondum demonstravit, pugnare cum Christi legibus pœnarum capitalium irrogationem a magistratu facinorosis illatam. Si enim magistratus gladio vindictam exercens contra leges Christi peccaret; nunquam apostolus diceret, magistratum in eo ipso esse *Dei ministrum.* Vt enim Deus & Christus non pugnant, sic Dei & Christi leges non pugnant; pugnarent autem, si magistratus gladium stringens contra leges Christi peccaret, & Deo ministerium nihilominus exhiberet. Repetimus ergo apostoli verba, quæ Smalcii subterfugium penitus excludunt: *Non sine causa magistratus gladium portat, Dei enim minister est ἔκδικος,*

vindex in iram illi, qui malum agit. Si magistratus inde atque ideo non gerit gladium frustra, quia est Dei minister vindex in iram illi, qui malum agit; falsum est, christiano magistratui sub evangelio non licere gladium stringere, & hac ratione vindictam adversus facinorosos exercere. Evangelium enim, ut non abolet politias, ita multo minus abolet divinum ministerium, quod per usum gladii & in vindicta maleficorum Deo præstari apostolus diserte adserit. Sic etiam concedimus Smalcio, *ex patientia subditorum non posse colligi, quid magistratui facere liceat, cum in injustissimis etiam necessaria sit patientia*; sed hic non est quæstio de patientia, sed de obedientia, & quidem de tali obedientia, qua non solum *propter iram*, (hoc est, ne in pœnam magistratus incidamus) sed etiam *propter conscientiam*, (hoc est, ne resistendo ordinationi divinæ conscientiam violemus) necessario magistratui sumus subjecti, ut notanter subjicit apostolus v. 5. ubi diligenter notanda est textus apostolici συναφεια: *Magistratus*, inquit, *non gerit gladium frustra*; rationem subjicit, *est enim Dei minister, vindex in iram illi, qui male agit*; inde refert, διὸ, *propterea necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, hoc est, quia magistratus gladium portando, eodem vindictam adversus facinorosos exercendo Dei minister est, ideo necessarium est ipsi subjici non solum *propter iram, sed etiam propter conscientiam*, nimirum ne divinæ ordinationi resistamus. Finge magistratui non licere gladium stringere, sed ipsum potius peccare, quando gladium stringit, & plane absurdus erit apostolus, conscientiæ ratione habita magistratui gladium stringenti & vindictam exercenti obediendum esse inferens. Præterea illis, qui gladium magistratus effugere cupiunt, apostolus nequaquam hoc præscribit, ut abrogatione gladii illud tentent, neque eos ad patientiam ea ratione hortatur, quod magistratus gladium exserens peccet contra Christi leges, sed longe aliud consilium ipsis suggerit: *Vis non timere potestatem?* (inquit) *bonum fac, & habebis laudem ex ea, Dei enim minister est tibi in bonum*, q. d. quia potestas gladii divinitus magistratui data, ideo fac bonum, & ab enormibus flagitiis cave, ne adversus te justam & promeritam vindictam exerceat, & sic potestatem timere cogaris. Horum omnium robur ac firmitatem sentire videntur ipsi Photiniani, ideo in hac exceptione non consistunt, sed addunt, 3.) *gladium in verbis Pauli figurate accipi pro severa pœna & castigatione.* Ostorodus d. l. *Es ist offenbar, wenn Paulus sagt, die Obrigkeit trägt das Schwerdt nicht umsonst, dass solches eine figürliche Art zu reden sey, und nicht mehr heisse denn eine Straffe und scharffe Zucht, sintemal die Obrigkeit mit dem Schwerdt die Uebelthäter zu straffen pfleget. Denn wem ist unbewust, dass auch figürlicher Weise das Wort Schwerdt in H. Schrift gebraucht wird, als unter andern Matth. X. 34. da der HErr spricht: Ich bin nicht kommen, Friede zu senden, sondern das Schwerdt. An welchem Ort durchs Schwerdt gewisslich eine jegliche Zwitracht und Streit, und nicht allein die, da das Schwerdt zukömmt, muss verstanden werden, ja dass Christus von solch einer kaum geredt habe, kan man aus den Worten, so bald hernach folgen, klärlich verstehen.* Smalcius d. l. *Non docet hic locus, quomodo puniri possint, & debeant sontes. Potest enim gladium gerere magistratus, etiamsi pœnas non irroget omnium severissimas. Gladii enim gestatio tantum significat, magistratum posse punire, non vero, quo velit, modo punire.* Resp. hæc exceptio a.) contraria est priori. Si enim gladii nomen *metaphorice* hoc loco accipitur, non potest de ethnico magistratu dictum apostoli intelligi, quia ethnicus magistratus pœnas gladii proprie sic dictas exercet. b.) Discedit a litera absque ulla necessitate. Repetimus igitur regulam theologicam, quam in tractatu de interpretatione scripturæ proposuimus, & comprobatam dedimus: *In quocunque scripturæ loco articulus aliquis fidei, tanquam in propria sede describitur, in eo retinenda est literalis verborum proprietas, nisi ipsa*

ipsa scriptura monstret & explicet improprietatem. Atqui hoc loco doctrina de magistratu tanquam in propria sua sede proponitur. c.) Nullo nititur fundamento. Quando enim Photiniani sic inferunt: In quibusdam scripturæ locis *gladii* nomen figurate accipitur, ergo etiam hoc loco; tunc procedunt *a particulari*, & tacite *petunt principium.* d.) Adducit locum plane dissimilem. Quod enim nomen *gladii* tropice accipiendum sit Matth. X. 34. pro signo scilicet dissidii & inimicitiarum, ejus interpretationis auctorem & magistrum habemus ipsum Christum Luc. XII. 51. *Putatis, quia pacem veni mittere in terram? dico vobis, non*, sed διαμερισμόν, *separationem*, ubi μαχαίρας nomen ad proprietatem reducitur. Sed quod in loco apostolico vocabulum *gladii* figurate sit accipiendum, ejus rei nullum ex scripturis adfertur, vel adferri potest, documentum. Præterea aliud est *dissidium*, aliud *pœna*; Matth. X. 34. gladius accipitur non pro pœna, sed pro dissidio sive separatione. Proinde non potest locus apostolicus cum illo dicto Christi conferri. e.) Absurdam apostolo tribuit sententiam. Si vox *gladii* figurate accipitur in hoc loco apostolico, absurda & inepta illa paraphrasis sequetur: *Magistratus non frustra gerit pœnam*; vel si nomen *gladii* ex Matth. X. 34. explicari velint, magistratus non frustra gerit *dissidium*, quæ absurde & inepte dici quivis intelligit. Quod si omnino in voce *gladii* tropum constituere velimus, erit non metaphora, sed *metalepsis* causæ pro effectu, sicque nihilominus ejusmodi pœna erit intelligenda, quæ gladio facinorosis irrogatur. f.) Conjungenda separat, & subordinata sibi invicem opponit. *Gestatio gladii*, inquit Smalcius, *tantum significat, magistratum posse punire, non autem, quo velit, modo punire, potest enim gladium gerere magistratus, etiamsi non irroget pœnas omnium gravissimas.* At inquam ego, si pœna, quam magistratus irrogat, *gladii* nomine intelligenda venit, utique etiam illa pœna, quæ gladio irrogatur, in hoc nomine simul intelligenda. Neque enim ullus ex tota scriptura adferri potest locus, in quo *gladii* nomen de pœna corporali usurpatur, in quo non includatur pœna capitalis. Sic *vivere in gladio* Gen. XXVII. 40. est in bellis gerendis occupatum esse, & militia victitare: *adquirere gladio*, Gen. XLVIII. 22. *inducere gladium*, Jer. XXIV. 10. *percutere in ore gladii*, Num. XXI. 24. &c. sunt phrases bellicæ, in quibus occisio & interfectio includitur. Ergo quando etiam hoc loco magistratus gerere dicitur non frustra, sed Dei ordinatione & fine eo, ut obedientes puniat, utique etiam pœna capitalis non excluditur, sed includitur. Sed occurrunt Photiniani 4.) *stante hac nostra interpretatione sequi, omnia delicta sine discrimine gladio esse punienda, quod absurdum.* Ostorodus d. l. *Wo man das Schwerdt in den Worten Pauli nicht figürlich, das ist, für eine jegliche Straffe, sondern nur eigentlich für die, welche durchs Schwerdt gesichert, verstehen will, so wird man sagen müssen, dass die Obrigkeit zwischen den Uebelthätern gar kein Unterscheid machen solle, und so wol eine kleine als eine grosse Uebelthat mit dem Schwerdt zu straffen schuldig sey, welches denn, dass es unbillich sey, eben dieselbe bekennen, welche wollen, dass etliche Uebelthaten durchs Schwerdt müssen gestrafft werden.* Smalcius l. d. *Gladii gestatio tantum significat, magistratum posse punire, non autem, quo velit, modo punire, alioquin sequeretur in omnibus delictis severissimam adhibendam esse pœnam, cum hoc, quod gladium gestet, ab apostolo pro ratione adferatur, quare ei sit obedientia præstanda in omnibus.* Resp. negamus connexionem: apostolus summum pœnæ gradum, quem magistratus irrogare potest, & qui maxime terrorem incutit, exprimit; non quod omnibus maleficis is gradus pœnæ conveniat, sed ut potestatem magistratus exprimat, quæ reipublicæ necessitate & delictorum atrocitate ita exigente etiam ad capitales pœnas irrogandas se extendit, & ut facinorosis terrorem incutiat. *Vis non timere potestatem*, inquit, *bonum fac, & laudem ab eo habebis. Si autem male feceris, time, non enim gerit gladium*

frustra. Recte igitur ex textu apostolico sic colligo: Magistratus potest in quibusdam delictis gladii pœnam irrogare, ergo multo magis minores pœnas, quam capitales irrogare potest. Non autem recte colligo: Magistratus potest in quibusdam delictis gladii pœnam irrogare, ergo in omnibus delictis debet capitales pœnas facinorosis infligere. Si enim hæc posterior collectio valeret, possem ex hypothesi Photiniana eadem ratione colligere, quod omnia delicta severissimis pœnis sint coërcenda, cum ipsi statuant, gladii nomine *pœnam severissimam* hoc loco accipiendam. *Ne quis statuat*, (inquit Smalcius) *hac ratione aliquid magistratui detrahi, quando adserimus ipsum non posse capitalia supplicia irrogare, sciendum est, nos, qui credimus non licere magistratui christiano sanguinem humanum fundere, ut hodie fit, credere, quod aliis modis, qui fortassis sunt severiores, quam sanguinis fusio, in officio continere liceat magistratui homines facinorosos, modo ne vita priventur.* Ex quibus sic colligo: Illi severiores coërcendi modi si magistratui jure competunt, utique vi pronunciati apostolici: *magistratus non gerit gladium frustra*, ipsi competent; utique ergo nomine gladii continentur, nec tamen omnes facinorosos severiori illo modo licet coërcere, ut ipsi Photiniani concedunt, ergo non poterunt ex nostra interpretatione colligere, quod magistratus omnibus facinorosis capitale supplicium debeat irrogare. Quod si retineamus collationem hujus loci apostolici cum dicto Christi Matth. X. 34. quam adversarii perpetuo urgent, possum ex eadem contra ipsos sic inferre: Quemadmodum *gladii* nomine Matth. X. *metaphorice* & *synecdochice* omne dissidium intelligitur, sive gladius ad illud accedat, sive non: sic etiam hoc loco *gladii* nomine *metaphorice* ac *synecdochice* accipienda erit quævis pœna corporalis, sive ea sit capitalis, quæ gladio infligitur, & sanguinis effusionem conjunctam habet, sive sit capitali minor. Quod enim Osiorodus dicit, *verba Christi apud Matthæum non posse intelligi de dissidio etiam illo, quod gladio peragitur*, id nondum est probatum, vel evictum, Quamvis enim in sequentibus versiculis domesticorum dissidia, quæ absque cæde & sanguine fieri consuevere, exempli loco subjiciantur, tamen ex eo nihil derogatur generali adsertioni ac regulæ, quinimo testatur hist. eccles. adversus christianos etiam bella ob religionem esse gesta, & multos sanguinis profusione veritatem hujus dicti a Christo prolati: *non veni mittere pacem, sed gladium*, confirmatam dedisse.

Apoc. XIII. 10. Qui in gladio occidit, oportet eum gladio occidi.

§. CCCII. III.) Adjungimus huic loco apostolico dictum Johannis Apoc. XIII. 10. *Qui in gladio occidit, oportet eum gladio occidi*; sed fatemur illum non esse ejusdem omnino roboris ac ponderis cum prioribus, nec posse ex eo argumentum firmum deduci, si accipiatur solus, sed si conjungatur cum prioribus Matth. XXVI. 52. Rom. XIII. 4. Continetur enim in hoc loco apocalyptico proprie vaticinium & prædictio de pœna talionis, siquidem præcedit: *Qui in captivitatem ducit, in captivitatem vadit*, & additur, *qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Quia vero Deus hanc talionis pœnam ordinarie per magistratum exercet, ideo secundario hic locus apocalypticus huc adcommodari & cæteris conjungi potest. Excipit Smalcius contra disp. VI. prior. Frantz. de bonis operibus p. 443. *Verba apocalypseos sunt minæ, quibus denunciatur divina vindicta illis, qui injurias inferunt, vel etiam morte adficiunt Christi fideles; hanc autem vindictam non per magistratum irrogari a Deo, vel hinc patet, quod plerumque magistratus ii sunt, quorum potentia opprimuntur fideles: illi vero, per quos gladio sint occidendi, qui gladio occiderunt, censendi sunt, quos Deus excitare solet ad ulciscendum sanguinem suorum, qui sæpenumero non magistratus, sed fex militum & colluvies mancipiorum esse solent.* Et in resp. ad disp. VI. poster. de reb. civilib. p. 390. *Locus hic quid ad confirmandam legem de capitali supplicio per*

per magistratum inferendo facere potest, cum ibi nemo etiam nominetur, per quem oporteat gladio occidi illum, qui gladio occiderit? Et de magistratu id intelligendum esse nimis incertum est. Multi enim sunt, qui gladio occidunt, nec tamen necessario puniuntur, aut puniri etiam possunt per magistratum, his autem sermo est de eo, quod aliter fieri nequeat, dum dicit: Oportet eum gladio occidi. Præterea ipse magistratus plerumque est, qui occidit christianos, de quo hic sermo est, quomodo igitur a magistratu occidi potest? ita ut res ipsa loquatur, alia prorsus de re ibi sermonem esse. Resp. 1.) Concedimus, ex hoc loco non posse magistratus potestatem in pœnis capitalibus irrogandis probari, sed conjungendum esse locum Gen. IX. 6. ex veteri, & locum apostolicum Rom. XIII. 4. ex nov. test. ubi exprimitur persona, per quam ordinarie gladio occiduntur, qui gladio occiderunt. 2.) Proponi in hoc loco comminationem, qua vindicta denunciatur illis, qui injurias inferunt, vel etiam morte adficiunt Christi fideles, & stabiliri in eo jus gladii magistratui datum, non sunt opposita, sed subordinata, quia vindictam illam, quam Deus minatur gladio occidentibus, duplici ratione solet exercere, immediate & extraordinarie per se ipsum, ordinarie & mediate per magistratum. 3.) Magistratus non omnes nec semper sunt illi, quorum potentia fideles opprimuntur, sed ut ipse Smalcius agnoscit, tantum *plerumque*, ergo non potest ex eo, utpote particulari, concludi, quod Deus per magistratum vindictam illam non inferat. Invertimus proinde argumentum: Si magistratus plerumque duntaxat sunt illi, quorum potentia fideles opprimuntur, ergo aliquando magistratus sunt pii & christiani, qui potentia sua fideles defendunt, & a persecutoribus vindicant. Sic Constantinus, imperator laudatissimus, persecutorem Licinium ab effusione christiani sanguinis bello coërcuit. 4.) Ex quo ipso adparet, non esse absurdum, occidi magistratum a magistratu, ut Smalcius arbitratur; quando enim magistratus christianus bellum gerit adversus magistratum ethnicum ecclesiæ persecutorem, tunc magistratus ethnicus gladio petitur, & vindicta adversus eum exercetur a magistratu christiano. 5.) Distinguendum est *jus gladii* ab *ejusdem abusu*. Jus gladii divinitus datum est cuivis legitimo magistratui, sive is sit ethnicus, sive christianus; sed potest magistratus hoc gladii jure abuti, & eodem oppugnare alium magistratum & populum ipsi subjectum, at tunc licite illi resistitur, non quidem a privatis, sed a magistratu, cui gladius ad defensionem subditorum datus. Nec per abusum ipsa potestas & jus gladii desinit esse magistratus proprium. Sic in politia Judaica reges occidebant prophetas & veros veri Dei cultores, qui erat turpissimus gladii abusus; nihilominus manebat penes ipsos ordinarie potestas & jus gladii adversus homicidas, contra quos, si quando gladium stringebant, erat is gladii usus legitimus, Deoque gratus. Sic tempore eo, quo apostolus suam ad Romanos epistolam scripsit, Nero, imperator, jure gladii ad persecutionem christianorum turpissime abutebatur; nihilo tamen minus apostolus adserit, ipsum habere jus *gladii*, & quidem divinitus datum. 6.) Deum extraordinarie justo ac mirabili judicio fecem militum & colluviem mancipiorum ad ulciscendum suorum sanguinem quandoque excitare non negamus; interim ordinarius modus, quo Deus homicidas & alios facinorosos punit, est & manet is, quem per magistratum divinitus ad vindictam constitutum Rom. XIII. 4. exserit. 7.) Quod multi, qui gladio occidunt, non puniuntur a magistratu, non tollit ordinariam regulam, quod a magistratu puniri debeant; vel enim homicidæ illi sunt occulti, & in hoc casu magistratus coram Deo est excusatus, si diligenter & sufficienter de auctore cædis inquisivit, Deut. XXI. 7. vel sunt notorii, & magistratus ad ipsorum scelera connivet, & in hoc casu gravissimam neglecti officii rationem Deus a magistratu exiget, interim mandati obligationi ex omissa ejusdem impletione nihil quidquam decedit.

§. CCCIII.

II.) *Ex lege non scripta, sed mentibus impressa.*

§. CCCIII. Atque hæc est prima classis argumentorum nostrorum deducta *ex lege divina scripta.* Alteram petimus *ex lege non scripta, sed mentibus hominum naturaliter insita.* Irrogatio capitalium suppliciorum non demum sub Mose per legem scriptam fuit introducta, sed longe ante Mosen usitata, ex lege scilicet naturæ, quæ omnibus gentibus fuit nota, unde *Judas* nurum suam Thamarem adulterii ream pœnæ ignis adjudicat: Gen. XXXVIII. 24. *producite eam*, inquit, *ut comburatur.* Rabbini existimant, *Thamarem fuisse filiam sacerdotis Melchisedeci, ac proinde juxta legem* Lev. XXI. 9. *ignis pœnam propter scortationem ipsi fuisse adjudicatam.* Sed Melchisedecus jamdudum in vivis esse desierat, ut Thamar illius filia haberi non potuerit. Alii existimant, *Judam inter Cananæos sacerdotali munere functum, ac quia nurus pro filia habetur, ideo ipsam tanquam filiam sacerdotis ob scortationem flammis devotam fuisse.* Sed hoc ipsum etiam incertum est, proinde simplicissime dicitur, quod Judas Thamarem utpote filio suo Selæ desponsatam adulterii ream peregerit, & more illius temporis pœna ignis dignam judicarit; usu igitur tunc temporis receptum fuit, adulteras comburi. Rabbini volunt, *Judam egisse principem in illa terra, ideo jus gladii penes ipsum fuisse*; sed quia Jacob & ipsius filii, utpote peregrini, nondum aliquid potestatis ac dominationis eo tempore in illa regione habuisse videntur, ideo verba Judæ commodius hoc sensu accipiuntur, quod ad magistratum adulteram produci jubeat, ut secundum jura illius temporis & regionis puniatur, cum res sit aperta, & nullis insuper testibus egeat. Gen. XL. 22. *Pharao, Ægypti rex, principem pistorum suspendit in patibulum.* Quidam rabbini fabulantur, *peccatum hujus pistoris fuisse leviusculum, utpote quod in pane calculus justus non fuerit inventus.* Sed nullo modo verisimile est, regem illum, qui in sequentibus ut bonus, prudens ac moderatus princeps describitur, tam sævum ac stolidum fuisse, ut ob casum fortuitum tam graviter in ipsum animadverteret. Cogitandum igitur, quod grave aliquod delictum commiserit, insidias scilicet vitæ regis struendo, vel adversus ipsum conjurando. Quidam ex rabbinis statuunt, *ipsum solicitasse pudicitiam filiarum regis*, idque colligunt ex verbo תשר, sed significatio illius verbi est generalis. Adparet igitur, etiam in Ægypto capitalium suppliciorum morem ante scriptam legem Mosaicam fuisse usitatum, ac possent hujus generis exempla ex omnibus gentibus & populis adferri, quæ evidenter testantur, legi naturæ consentaneum esse, delicta graviora capitali supplicio a magistratu puniri. Excipit Smalcius contra disp. VI. poster. Frantz. p. 390. *Evangelium tam temporibus, quæ ante legem, quam iis, quæ sub lege fuerunt, opponi, & nihil nunc licere, quod Christi evangelio adversetur, etiamsi ab initio mundi licuerit, idque Deo auctore.* Resp. Christus diserte negat, se venisse sine eo, ut legem moralem tolleret, Matth. V. 17. ergo etiam non sustulit legem naturæ, quippe quæ cum lege morali est eadem. Diserte etiam negat, se venisse ut cæsari, hoc est, magistratui eriperet, quod ipsi jure divino ac naturali debetur, Matth. XXII. 21. ergo non sustulit jus gladii magistratui divinitus datum. Frustra excipit Smalcius p. 393. *legem divinam moralem & legem naturæ ad legem Christi reformandam, limitandam ac temperandam, quippe quæ sit omnium perfectissima & legum divinarum coronis*; ostendimus enim superius, Christum non ipsi divinæ legi, sed corruptelis divinæ legis suam interpretationem opposuisse, ac longe aliud est temperatio legis, quæ opponitur ejusdem rigori ex lege regia caritatis, aliud vero totalis abolitio legis, quæ eam penitus abolet. Photiniani non tantum rigorem legis de suppliciis capitalibus inferendis temperandis docent, sed penitus eam abolent, ut nullo unquam tempore ac nullis facinorosis liceat capitalia supplicia irrogare.

§. CCCIV.

III.) *Ex rationibus variis.*

§. CCCIV. III.) Ex *rationibus variis*: 1.) a magistratus *officio*; magistratui cura boni publici est commendata, ut illud tueatur ac promoveat. Jam vero ad curam boni publici pertinet, impedire ne partes, quæ sunt propter totum, illud corrumpant, proinde si non potest omnes partes integras servare, potius debet unam partem amputare, quam permittere, ut bonum commune pereat. Sic vinitor amputat ramenta, hortulanus stolones, ne arbori ac viti noceant. Medicus amputat membra putida, ne totum corpus inficiant. Namque

— — — — *Immedicabile vulnus*
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Quinimo si magistratus sit in hoc officio negligens, Deus ipse facinorosos extraordinario judicio punire solet. Levit. XX. 2. *Qui dederit de semine suo Moloch, moriendo morietur*, v. 3. *& ego ponam faciem meam adversus virum illum*, hoc est, si magistratus officium suum negligat, & scelus illud impunitum dimittat, ego tamen non relinquam impunitum. 2.) *A necessario*: nisi capitalia supplicia homicidis, veneficis & aliis rempublicam turbantibus irrogentur, non poterit tranquillitas publica consistere, quia impunitas malorum cedit in oppressionem bonorum, & malos reddit audaciores. Prov. XX. 26. *Dissipat impios rex sapiens, & convertit eos super rotam.* c. XXV. 4. 5. *Aufer scoriam ab argento, & egredietur vas conflatori; aufer impium a conspectu regis, & stabietur in justitia solium ejus.* Si dicas, *alia ratione improbitatem malorum coërceri posse, quam capitalibus supplitiis*; adducimus experientiam, quæ testatur, quosdam tam desperate improbos esse, ut nullis carceribus vel plagis emendentur. Videmus, quid contingat severitate suppliciorum ob oculos omnium posita; quid futurum censemus, si pœnæ capitales a republica christiana exsulare jubeantur? 3.) Ab *absurdo*: si jus gladii in nov. test. magistratui politico non est concessum, omnia omnino bella, etiam ea, quæ a magistratu pro defensione subditorum geruntur, erunt simpliciter prohibita. Sed consequens est absurdum. Ergo & antecedens. Photiniani negant, *hoc esse absurdum*, unde bella simpliciter improbant, sed contrarium suo loco demonstrabitur. (*) 4.) A *minori ad majus*: si jus gladii magistratui in nov. test. non est concessum, multo minus privatis hominibus concedi poterit, ut adversus latrones subito irruentes gladio vitam suam defendant. Sed consequens est absurdum, quia defensio necessaria est juris naturæ & gentium, jam vero evangelium non tollit jus naturæ. Ergo & antecedens. Excipit Osiorodus cap. 26. p. 166. & cap. 27. p. 176. *longe satius & tutius esse ad retinendam coram Deo bonam conscientiam ab altero occidi, quam alterum occidere: defensionem esse quidem licitam in nov. test. hac tamen conditione, ne adversarium interficiamus.* Atqui sæpe incidit casus ejusmodi, ut non possimus contra impetum latronis aut homicidæ nos alia ratione defendere, quam ut ipsum interficiamus. Aut ergo defensio in hoc casu erit damnanda, quod pugnat cum jure naturali, aut licitum erit latronem vitæ suæ defendendæ causa occidere. Absurdum plane est, quod satius & tutius dicitur, ut in necessario illo defensionis casu patiamur nos a latrone occidi, quam ut ipsum occidamus, quia hac ratione vitam nostram prodimus latroni, bonum civem subtrahimus reipublicæ, ut latrones in ea grassentur, homines pessimos ad latrocinia animamus, & multos bonos eidem periculo objicimus, a quo per nos liberari poterant. Videt hoc Osiorodus, ideo dicit, *se nolle eum vel damnare, vel justificare, qui non data opera, sed sui defendendi causa adversarium occidit.* At conscientiæ omnino erudiendæ & informandæ sunt, quid in tali casu licitum sit & concessum.

(*) Ex *justa talionis lege*. Jos. VII. 25. dicit Josua ad Achan: *Quoniam nos conturbasti, conturbet te Dominus hac die*. Hebræum עכר. GERHARDVS.

cessum. Addit deinde Osiorodus: *Si quis Deum vere timeat, & juxta doctrinam Christi ipsi serviat, eum a tali casu præservatum iri, quod si omnino in latrones ipsum incidere contingat, Deum in eo ipso momento per Spiritum suum manifestaturum, quid agere vel omittere debeat.* Sed prius repugnat experientiæ, posterius a Dei verbo ad occultas inspirationes abducit. Frustra urget Osiorodus *legem caritatis de diligendis inimicis*; Nam ita diligendi sunt inimici, ut non simus crudeles in nos ipsos, quod fieret, si in subita oppressione non defenderemus vitam nostram adversus latronem. Jubemur proximum diligere *sicut nos ipsos*, non autem plus quam nos ipsos, & Paulus 1. Cor. VIII. 13. tradit hanc regulam, *ita benefaciendum esse, ne aliis fit relaxatio, nobis vero adflictio.* Pari ratione dicimus, ita diligendos esse inimicos, ne ipsis sit relaxatio, nobis vero adflictio. Atqui si in necessaria defensione latronem nos opprimentem non liceret occidere, esset latroni relaxatio, nobis vero adflictio, sicque latronem plus diligeremus, quam nos ipsos.

Patrum dicta. §. CCCV. Huc referimus etiam patrum dicta, quæ licet a Photinianis susque deque habeantur, tamen propter consensum a nostris merito observantur. Hilarius can. XXXII. in Matth. explicans illud Christi: *Omnes, qui gladio utuntur, gladio peribunt. Ergo hic ipse jam judicatus est, quia gladio utens, gladio interibit? Sed non omnibus gladio utentibus mors solet esse per gladium. Nam plures aut febris, aut alius accidens casus absumit, qui gladio aut officii judicio, aut resistendi latronibus necessitate sunt usi.* Hieronymus in Esa. XIII. *Non est crudelis, qui crudeles jugulat, sed quod crudelis patientibus esse videatur. Nam & latro suspensus patibulo crudelem judicem putat.* Idem in Jerem. XXII. *Homicidas, & sacrilegos, & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.* Lib. IV. in Ezech. *Qui malos percutit in eo, quod mali sunt, & habet vasa interfectionis, ut occidat pessimos, minister est Dei.* Augustinus epist. L. ad Bonif. repetit illud Hieronymi: *Homicidas & venenarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium.* Lib. I. de civ. Dei cap. 17. *Non occides nec te, nec alterum. Quasdam vero exceptiones eadem ipsa divina fecit auctoritas, ut non liceat hominem occidi, sed his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione: Nam qui occidit, ipse ministerium præbet jubenti, sicut adminiculum gladius est utenti, & ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum jus legis, hoc est, justissimæ rationis imperium sceleratos morte punierunt.* Hæc Hieronymi & Augustini dicta adlegantur cap. *Homicidas &c.* cap. *Qui malos &c.* cap. *Quis enim &c.* cap. *Si non licet &c.* caus. 23. q. 5. quibus caus. & quæst. iisdem etiam hæc adjunguntur cap. *Si homicidium &c.* ex lib. I. Augustini de lib. arbitr. *Si homicidium est hominem occidere, potest aliquando occidere sine peccato, nam & miles hostem & judex vel minister ejus nocentem, & cui forte invito atque imprudenti telum de manu fugerit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidunt, sed nec etiam homicidæ isti adpellari solent.* cap. *Reos &c.* ex Gregorio: *Nonnulli in vet. test. inveniuntur malos trucidasse, nec tamen transgressores legis, sed defensores adpellantur. Prohibetur ergo illo præcepto quisque sua auctoritate in necem alicujus armari, non legis imperio reos morti tradere, qui enim publica potestate functus ipsius legis imperio malos perimit, nec illius præcepti transgressor, nec a cœlesti patria alienus habetur.* Quod vero Augustinus epist. CLIX. Marcellianum tribunum pro Donatistis circumcellionibus rogat, *ut verberibus eos coërceat, non autem morte perdat*, id Gratianus d. l. sic explicat, *quod supplicando spatium vitæ eis reservari popposcerit, non tamen legum severitatem, qua tales morte plectuntur, non observandam docuerit.* Rectius dicitur, quod ob solam hæresin gladium adver-

adversus ipsos stringi noluerit, qua de re postea.

Antithesis & argumenta Anabaptistarum.

§. CCCVI. *Anabaptistæ* magistratui christiano jus gladii adversus facinorosos non competere, hisce probare cupiunt argumentis: I.) *Lex Dei, non occides, generalis est. Ergo obligat etiam magistratum, & per consequens non debet facinorosos gladio punire.* Resp. contrarium ostendimus in tract. de lege §. 156. Sane præceptum de non occidendo obligat magistratum, ut hominem privatum, ne scilicet temerario ausu innocentes occidat, non autem ut personam publicam, Dei judicia adversus maleficos exercentem. Genes. IX. 6. Rom. XIII. 4. Quos enim magistratus juxta leges propter enormia facinora occidi jubet, illos ratione officii & ut *Dei minister* occidit, ac proinde non humana temeritate, sed divina auctoritate capitales pœnas illis irrogat. Si propter legem illam moralem: *Non occides*, absolute & simpliciter in nov. test. prohibitum esset, hominem occidere, peccasset etiam *Petrus* Ananiam & Saphiram divino judicio morti adjudicans Act. V. 9. quod quia absurdum esse, ipsimet Anabaptistæ agnoscunt, fateantur legem Dei admittere aliquam limitationem. Vrgemus autem merito contra Anabaptistas, quod lex Dei: *Non occides*, non in nov. demum test. promulgata sit, sed in vet. etiam test. exstiterit, nihilo tamen minus magistratus vet. test. occidit facinorosos Deo præcipiente & adprobante. Ergo ex hac lege probari nequit, magistratui non competere jus gladii. II.) Esa. XI. 9. *Non malefacient nec corrumpent in universo monte sanctitatis meæ, quia repleta est terra scientia Domini;* quod repetitur c. LXV. 25. *Ergo in nov. test. magistratui non licet occidere facinorosos.* Resp. non agitur ibi de officio magistratus, sed de conversatione piorum in regno Christi. Prædicit propheta futurum, ut in nov. test. per doctrinam evangelii, quæ Dei misericordiam in Filii missione exhibitam celebrat, animi hominum sincera & ardenti dilectione impleti miteſcant, ut, qui antea fuerant crudeles & immisericordes, ex agnitione Dei & salvatoris Jesu Christi spiritum dilectionis concipiant, per quem non solum inter se cum aliis pacem colant, sed etiam caritatis officia invicem præstent. Hieronymus in comment. h. l. refert ad defensionem ecclesiæ contra hostes: *Nocere & occidere nequaquam poterunt venenata prius animalia eos, qui habitaverint in monte sancto Dei, quod interpretatur ecclesia.* Plura de hoc loco dicentur inferius in quæstione de bello. III.) Matth. VI. 12. *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Ergo magistratus debet remittere, non autem capitales pœnas irrogare, cum ex præscripto Christi eamdem orationem recitare cogatur.* Resp. hac ratione nullas omnino pœnas irrogare posset magistratus, nec parentes delicta liberorum virgis coërcere deberent, quod absurdum. Loquitur autem Christus de offensis privatis, quæ in vita communi incidunt, quas fraterna condonatione ac reconciliatione abolendas esse, facile concedimus; sed alia ratio est enormium delictorum tranquillitatem publicam turbantium, contra quæ magistratui gladius est datus. IV.) Matth. XIII. 30. *Sinite crescere zizania. Ergo magistratus ea non debet eradicare.* Resp. explicatio parabolarum juxta fidei analogiam instituenda. Ergo non debet hæc parabola ita explicari, ut tollat officium magistratus disertis verbis traditum Rom. XIII. 4. De vero hujus parabolæ sensu inferius late disputabitur. V.) *Christus increpat discipulos* Luc. IX. 55. *quod ignem cœlitus in Samaritanos delabi expetiverint, & opponit illis naturam novi testam. quod est tempus gratiæ. Nescitis, cujus spiritus filii estis?* Resp. improbat Christus privatam vindictæ cupiditatem, a qua officium magistratus vindictam divina auctoritate exercentis longissime est distinctum. Nec licebat apostolis, utpote ecclesiasticis personis, pœnas politicas irrogare, quam ad rem præpostere adlegabant extraordinarium Eliæ factum. VI.) Rom. XII. 17. *Nolite malum reddere pro malo.* Resp. loquitur apostolus de personis privatis & privata vindicta, non autem de personis publicis & potestate gladii

magistratui divinitus data. VII) 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ nostræ non sunt corporalia; quæ verba apostoli sunt generalia, ad omnes christianos, & sic etiam ad magistratus pertinentia.* Resp. distinguendum inter *forum politicum & ecclesiasticum.* Apostolus hic loquitur de foro ecclesiastico, in quo non corporalibus, sed spiritualibus armis adversus satanam & ipsius organa pugnandum. Sed quia forum ecclesiasticum non tollit forum politicum, ita quoque arma spiritualia in foro ecclesiastico non tollunt arma corporalia in foro politico.

Photinianorum argumenta. 1.) Matth. V. 44. Diligite inimicos &c.

§. CCCVII. *Photiniani* aliis utuntur fundamentis. I.) *Pugnat cum lege Christi, videlicet cum præcepto de dilectione inimicorum, eripere homini vitam:* Matth. V. 44. Ostorodus in instit. cap. 26. p. 165. *Wir halten dafür, wo man gewiss wüste, dass durch diss Mittel, nemlich, so wir die Obrigkeit wider Gewalt und Unrecht um Hülf anriefen, unser Widersacher solt in Todesgefahr oder sonst in einen grossen merklichen Schaden gerathen, dass man allen Gewalt und Schaden, so uns von ihm zugefügt worden, leiden müsse.* Cap. 27. p. 173. *Weil Christus nicht allein nicht zuläst, zu verschaffen, dass deme, so dir ein Auge ausreisset, wieder ein Auge ausgerissen werde, sondern auch heisset unsern Feinden gutes thun, so wird je offenbar, dass er viel an dem Gesez Mosis, was diss Gebot betrifft, gebessert, und zu demselben gethan habe.* Cap. 28. p. 185. *Christi Gebot lassen nicht zu, dass die Obrigkeit jemand das Leben nehme.* Smalcius cont. Frantz. in refut. disp. VI. poster. de reb. civil. p. 389. *Magistratus christianus non potest pro libitu suo, quas velit, pœnas jontibus irrogare, sed semper illi ratio habenda legum Christi, regis nostri omnium.* p. 391. *Non sine causa factum esse credo, quod non aperte & diserte capitalia supplicia sint abrogata in evangelio, sufficere autem totam analogiam evangelii ad tollenda ista. Tempus nunc est gratiæ. Charitas proximi præcipitur perfectissima, & alia his sunt similia. Ex his qui non videt, manifeste sequi, non licere in vitam hominum nocentium sævire, is a carne sua vel a spiritu antichristi & longa male agendi consuetudine excæcatus est.* Resp. num vero Smalcius in fraternitatem illos cooptare satagit, qui spiritu antichristi excœcati sunt? de re ipsa respondemus, ex lege caritatis non posse inferri, quod magistratui capitalia supplicia irrogare sit prohibitum. *Primo* enim Christus non tulit *novam caritatis legem*, nec præceptis moralibus perfectiora quædam mandata addidit; sed veterem legem de caritate proximo, adeoque etiam inimicis exhibenda repetivit, ut suo loco fuit demonstratum. Quod si ergo in vet. test. licuit magistratui, capitales pœnas irrogare salva caritatis lege, utique etiam magistratui christiano in nov. test. idem licebit. *Deinde* magistratus duplicem sustinet personam, *privatam & publicam*; quatenus est persona publica, & divinum gerit officium, & Dei minister est in exercenda adversus facinorosos vindicta. Vt ergo Deus ipse facinorosos extraordinarie igne, aqua & aliis modis punit, ac nihilominus manet *ipsa caritas:* sic quando Dei nomine & divini officii ratione magistratus facinorosos punit, nihil quidquam contra legem caritatis agit. *Denique* si pugnaret contra legem caritatis facinorosis capitales pœnas irrogare, pugnaret contra eamdem legem, gravioribus pœnis in facinorosos animadvertere, quam sunt capitales. Jam vero concedunt Photiniani, ut magistratus ejusmodi pœnarum generibus utatur, sic enim habet Smalcius d. l. p. 389. *Ne quis statuat, hac ratione aliquid detrahi magistratui; sciendum est, nos, qui credimus, non licere magistratui christiano humanum sanguinem fundere, ut hodie fit, crederr, quod aliis modis, qui fortassis sunt severiores, quam sanguinis fusio, in officio continere liceat magistratui homines facinorosos, modo ne vita priventur.* At si non pugnat cum lege caritatis, continere homines facinorosos in officio modis aliis, qui sunt fortassis severiores, quam sanguinis fusio; multo minus pugnabit cum caritatis lege, facinorosorum sanguinem juxta

leges

leges fundere. Excipit Smalcius, *esse disparem rationem, quia sanguinis fusione simul etiam vita æterna privari facinorosos esse plusquam verisimile, quo nihil magis caritati, quam proximo sub fœdere novo debemus, contrarium esse queat.* Resp. repetimus ἔνστασιν illam validissimam, quod etiam in vet. test. proximo debita fuerit caritas; quod si ergo cum sanguinis fusione amissio vitæ æternæ fuisset simpliciter, immediate & perpetuo conjuncta, utique nec in vet. test. licuisset facinorosorum sanguinem fundere. Christianos magistratus in nov. test. quod adtinet, illi satis mature significare solent maleficis capitali supplicio additis, quod capitis pœna ipsis sit subeunda, adjungunt etiam illis ecclesiæ ministros, qui illos instruant, consolentur, & cœnam dominicam ipsis administrent, unde experientia teste complures malefici in vera pœnitentia moriuntur, ac sæpius publice Deo gratias agunt, quod ex medio scelerum cursu abrepti & ad supplicium perducti beate mori didicerint. Quod si qui in impœnitentia moriuntur; suæ improbitati & pertinaciæ illud acceptum ferant. Magistratus exsequitur Dei judicium, quemadmodum ergo extraordinario Dei judicio multi in impœnitentia moriuntur; ita quoque ordinarium illud Dei judicium, quod magistratus administrat, impœnitentes quandoque abripit. Quid quod idem contingere possit in pœnis, quas Photiniani concessas statuunt. Ostorodus p. 185. *carcerem* concedit, at fieri potest, ut in squalore carceris constituti violentas manus sibi inferant, vel ex ægritudine mortem obeant.

§. CCCVIII. II.) Joh. VIII. 11. *Christus noluit damnare adulteram, quam tamen lex damnabat. Ergo non vult usum gladii concedere magistratui.* Smalcius cont. disp. VI. poster. Frantz. de reb. civilib. p. 391. *Si Christus legem istam de puniendis adulteriis adprobasset, quid opus fuisset modum, eumque tam argutum excogitare, quo adultera illa liberaretur? licetne aliquo modo, quantumvis arguto efficere, ut Dei præceptum non observetur? nihil autem intererat, a quo tandem adultera puniretur, si punienda fuisset, nam ab hominibus piis vel impiis.* Resp. 1.) Quidam existimant, historiam illam de muliere adultera non esse genuinam, nec certæ fidei, (*) cum non exstet in syriaca (**) paraphrasi, cum Eusebius lib. III. hist. eccles. cap. 39. aperte indicet, *se non vidisse eam in evangelio Johannis, sed adjectam esse eam a Papia ex evangelio secundum Hebræos vel Nazarænorum*, cumque in quibusdam græcis exemplaribus in calce olim adjecta fuerit, denique cum Chrysostomus, (***) Theophylactus (****) & Nonnus (*****) in ordinaria textus paraphrasi eam præterierint.

Joh. VIII. 11. Christus noluit adulteram damnare.

(*) Hanc sententiam multi, interque eos nonnulli magni nominis viri, veluti Theod. Beza, Hvgo Grotivs, Jo. Clericvs, Sam. Clarkivs, scriptor Anglus, itemque Jo. Millivs in *prolegom. ad nov. testam. num. 1200. p. 122.* Sam. Basnage in *annal. polit. eccles. ad an. Christi XXXII. §. 56.* aliique adoptarunt, quos magno agmine recensuit Jo. Adamvs Osiander, linguæ Græcæ quondam professor in academia Tubingensi, in peculiari dissertatione critica *de historia mulieris adulteræ non adulterinæ, ad Joann. VIII. 1—11.* Tubingæ MDCCLI. luci publicæ exposita §. *XXXVII. p. 28. seqq.*

(**) Non tantum in paraphrasi Syriaca hæc historia deest, prout supra observavit Gerhardvs, sed & in quibusdam aliis *versionibus*, veluti *Gothica, Coptica, Arabica* &c. Abest quoque a *codicibus* Græcis manuscriptis, iisque haud paucis, prout testantur Millivs, supra jam nobis laudatus, in vaSed

riis lectionib. nov. test. p. 221. b. Bengelivs in *apparatu crit. p. 388.* & Wetstenivs in *variis lectionib. p. 893.* Hisce adnumerant nonnulli versiones *Persicam* & *Gallicam Trevoltiensem*, itemque *editiones nov. test.* Erasmi, Bebelii, Brylingeri, aliorumque, prout observat Jo. Christoph. Koechervs in *analectis philolog. & exegeticis in IV. evang. p. 1136.*

(***) *Commentariorum in nov. test. tom. II.* edit. Antwerp *f. 388.*

(****) *Comment. in IV. evangel. f. CXXVIII.* edit. de A. *MDXXVIII.* Ibi enim deficit hujus historiæ explicatio, & *v. 12. Joann.* incipit ejus expositio. Addimus & hoc, pericopam hanc defuisse ab iis Theophylacti *commentariis in IV. evang.* quorum exemplar manuscriptum pervetustum fuit penes Seldenvm.

(*****) Vid. ejus *metaphrasin evang. S. Joann.* ad *h. l.* cujus

Sed cum antiquissimi scriptores Ammonius in monotessaro, Athanasius in synopsi, Chrysostomus (*) homil. LX. in Jo. Ambrosius lib. VII. epist. 58. Hieronymus lib. II. adv. Pelag. Augustinus tract. XXXIII. in Joh. Euthymius in collectan. ex patribus &c. hujus historiæ mentionem faciant, neque quidquam analogiæ fidei contrarium contineat, ideo hanc scripturæ partem libenter recipimus. (**) Augustinus lib. II. de adult. conjug. ad Pollent. c. 7. arbitratur, *historiam revera fuisse a Johanne scriptam, sed curatum a crudelibus maritis, ut expungeretur, quo uxores adulteræ occiderentur.* 2.) Nihil vero patrocinii in hac historia invenire poterunt Photiniani. Christus enim cum docendi causa in hunc mundum venisset, noluit civilis magistratus partes ad se pertrahere, contentus ad pœnitentiam ac fidem per verbi prædicationem homines adducere. Joh. VI. 25. Luc. XII. 14. Exemplum ergo Christi nequaquam probat, jus gladii magistratui non competere, sed hoc duntaxat probat, personis ecclesiasticis illud non competere. 3.) Johannes expresse dicit v. 6. quod *animo tentandi* Christum pharisæi hanc adulteram adduxerint. Lex Dei jubebat facinorosos punire, Christus peccatores ad se vocabat, quin & expresse dixerat, quod *publicani & meretrices præcedant pharisæos in regnum Dei*; Matth. XXI. 31. adducunt igitur adulteram, & quærunt, quid de ea statuat, ut calumniam ipsi struant. Volunt eum illustri aliquo exemplo in alterutrum incurrere, ut vel legem Dei absolvendo damnaret, vel propriam suam doctrinam peccatricem condemnando revocaret. Christus igitur hypocritis illis non discendi, sed tentandi animo quærentibus indirecte respondet; qui enim *fallaciter interrogat, directum responsum audire non meretur*, ac primum quidem *digito scribit in terram*, vel ut ostendat se non adtendere, quid illi enarrent, neque ad se illa pertinere, unde in quibusdam exemplaribus additur μὴ προσποιούμενος, vel ut symbolice demonstret, eam esse dignam pœna, nec se velle eam absolvere a pœna legibus definita, quia *scribi alicujus nomen in terra* est ad exitium destinari. Jer. XVII. 13. Quidam statuunt, Christum eadem verba in terra scripsisse, quæ postea prolocutus est: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* (***) Alii existimant, Christum tacite significare voluisse,

cujus editiones Græcas & Latinas, & Græco-latinas dedit Fabricius *biblioth. Græc. libr. V. cap. XVI. p. 687. seqq.*

(*) Nolim heic provocare ad Chrysostomvm, cumque Gerhardo ejus adlegare *homil. LX. in Joann.* siquidem *loc. cit.* plus non dicit de adversariis servatoris, quam hoc: και οτε περι αφεσεως γυναικος διελεγοντο. Jam vero incerta est γυνη, de cujus absolutione heic agitur, nec interpres latinus, qui forte in animo habuit mulierem adulteram, aliis imponere potest. Verba in textu græco exstantia respicere potius mulierem, de qua *Luc. VII. 47.* sermo est, non sine ratione conjicit Fabricius in *codice apocryph. nov. testam. part. I. p. 357.*

(**) Loci hujus Joannæi γνησιοτητα copiosius comprobarunt complures scriptores, maxime recentiores, ex quibus Jo. Rheinh. Rvsivm, *harmon. evangelistarum tom. II. p. 411. seqq.* Stockivm in *observ. ad hunc loc.* C. G. Hoffmannvm in *adnotat. ad* Pritii *introduct. in lectionem novi testam. p. 212. seqq.* J. A. Osiandrvm in *diss.* supra laudata *de hist. mulieris adulteræ*, atque Hevmannvm in der *Erklärung des neuen Testaments, part. III. p. 394.* commemorasse sufficiat.

(***) Fuit hæc sententia Theod. Bezæ, quam, præter alios, Fabricius ac Wolfius quoque adoptarunt. Quum vero pavimentum templi lapidibus fuerit stratum, adeoque formationis litterarum haud fuerit capax, maluerunt alii cum Evtymio, Gomaro, Lampio, Hevmanno, Rvsio, Marckio, aliisque adfirmare, Christum haud quidquam scripsisse, quod legi a pharisæis potuerit, sed gestum scribentis duntaxat simulasse, siquidem ad ea, quæ dixerant pharisæi, attendere necessarium haud duxerit, præsertim cum tentandi duntaxat animo ad eundem accesserint. Jo. Wolffg. Wolzogenivs hancce sententiam, præ allis, verbis admodum perspicuis expressit, quæ heic, bona cum lectoris venia, recitabimus. „Verbum γράφειν, inquit, quo heic utitur „Joannes, non solum significat *scribere*, sed etiam „*pingere*: quamquam & latinis, qui pingit figuras „aliquas & delineat, generali vocabulo *scribere* di„citur. Et hoc sane est maxime verisimile, quod „Christus nihil scripserit, quod legi posset, nullos„que certos formarit characteres, nullas litterarum „notas

luisse, legem Mosaicam, ad quam toties provocabant esse ipsis instar litterarum in pulvere scriptarum, quæ cito delentur. Cum vero Judæi interrogando perseverarent, respondit: *Qui vestrum immunis est a peccato, primus in illam lapidem jaciat*, non tradens generalem aliquam regulam, quod non liceat puniri sontes, nisi ab illis, qui a peccato penitus immunes, quia in pœnis non ad personæ vitium, sed ad publicum officium & legum ordinem respiciendum est: verum ad hypocritas & insidiatores, a quibus interrogatus erat, responsum suum adcommodans. Deut. XVII. 7. ordinaverat Deus, *ut testes primi lapides in reos conjicerent*, hanc legem Christus ita adcommodat, quod pharisæi peccatis in utramvis aurem immersi de se primo omnium soliciti esse debeant, neque exteriora duntaxat peccata in aliis observare, sed interiorem naturæ corruptionem & interiora peccata sibi ipsis adhærentia agnoscere. Existimabant illi, se *non esse peccatores ut cæteri*, Luc. XVIII. 11. blandiebantur sibi de puritate & innocentia; Christus igitur ad conscientiæ scrutinium ipsos remittit, & ostendit judicium & condemnationem legis ferri non solum adversus eos, qui in notoriis & externis delictis hærent, sed adversus omnes homines, quippe quorum nullus est ἀναμάρτητος, cum tamen lex *maledictos* pronunciet *omnes, qui non permanent in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis.* Deut. XXIX. 29. 4.) Potest & hoc observari, quod pharisæi dicunt, *in lege præceptum esse, ut adulteræ lapidentur*; cum tamen simpliciter & in genere tantum capitalis supplicii fiat mentio, non autem lapidationis in specie, Levit. XX. 10. Deut. XXII. 22. ex quo intelligitur, pharisæos modum supplicii in lege definitum exasperasse, cum propriis peccatis admoniti commiseratione potius erga peccatores pœnitentes duci debuissent. 5.) Quod Christus v. 11. digressis adcusatoribus subjicit: *Nec ego te condemno*; id de absolutione a spirituali reatu non a politica pœna accipiendum esse, res ipsa testatur. Si enim a legitimo magistratu secundum legem ad pœnam mortis condemnata fuisset, Christus nunquam eam pœnæ eripuisset, nam in passione latroni pœnitentiam agenti remittit culpam, interim magistratus pœnæ eum non subtrahit. Luc. XXIII. 43. Sed quia nulli hic aderant, qui publica auctoritate instructi mulierem condemnarent, ideo etiam Christus eam condemnare noluit, unde in hoc ipso loco diserte addidit, v. 10. οὐδείς σε κατέκρινεν, quasi diceret, cum politicus magistratus pœnæ te subtraxerit, nec ego ad eam te retraham. Sic minister ecclesiæ non interpellet magistratum, si maleficos trahat ad supplicium; sed si maleficus evadat manus magistratus, ac pœnitentia ductus in sinum ministri peccata sua per confessionem deponat, is a ministro ecclesiæ non retrahendus est ad supplicium. 6.) Ex quibus facile adparet, quid ad Smalcii objecta respondendum, qui discursus sui infirmitatem animadvertens subjicit: *Quod si concedam, Christum tunc non curasse, ut lex illa aboleretur, sed permissurum fuisse, ut lapidaretur secundum legem Mosis; num hinc concludi jure potest, eum legem istam adprobasse, & postea non abrogasse? nihil minus, nondum enim tunc tempus erat abrogandi istas leges. Ferenda fuerunt multa, & multa facta sunt Domino Jesu in terris degente, quæ nunc nullo modo fieri possunt salva conscientia. Quantum tamen ejus fieri potuit, procuravit Dominus Jesus, ne ista fierent, id quod sabbati exemplo declarat.* Resp. Christus jam tum proposuerat legem caritatis de dilectione inimicorum; Matth. V. 44. quod si ergo capitalium suppliciorum irrogatio pugnaret cum illa lege, Christus utique jam tum abrogasset capitalia

„notas expresserit, sed incertas, nihilque significantes pinxerit. Nam & evangelista id non præteriisset, si quid significans scripsisset; nec opus fuisset, ut verbis responderet Christus, si jam scripto respondisset. Consentaneum enim erat, ut si „quid significans scribere voluisset, scriberet id, quod „ad causam propositam pertineret, atque ita scriberet, ut a pharisæis legi posset. Hoc autem eum „non fecisse, exinde patet, quod pharisæi scribentem ursérint, ut responderet ad quæstionem.„ Hactenus Wolzogenius in *oper.* junctim editis *fol. 847.*

talia supplicia. Exemplum *de abrogatione sabbati* est plane dissimile. Quamvis enim Christus in diebus carnis suæ ipso facto nondum abrogaverit sabbatum, tamen in nov. test. ceremonialem legis septimæ determinationem sublatam esse subinde & verbis & exemplis docuit; nondum vero probatum dedit Smalcius, Christum docuisse, quod supplicia capitalia in nov. test. sint abroganda.

3.) *Ex mandati defectu.*

§. CCCIX. III.) *Nullum exstat mandatum in nov. test. de suppliciis capitalibus adversus facinorosos exercendis, leges autem vet. test. in quibus tale quid præcipitur, sunt forenses, ac in nov. test. abrogatæ.* Ostorodus in instit. cap. 28. p. 187. Smalcius cont. disp. VI. poster. Frantz. p. 390. Resp. Ostendimus superius legem illam divinam Genes. IX. 6. esse in nov. test. repetitam, ac usum gladii magistratui confirmatam Rom. XIII. 4. Nec est, quod excipiant, *meliorem fontes puniendi rationem inveniri, quam gladio, videlicet mulcta pecuniaria, carcere, fustigationibus, durissimis laboribus, exsilio, publica ignominia &c. modo pœna illa non noceat vitæ, vel hominem ad labores ineptum reddat.* Ostorodus d. l. p. 185. Smalcius d. l. p. 389. Quemadmodum enim jurisconsulti dicunt de legibus humanis, *scripta lege nemo debet esse sapientior lege*, ita multo justius de lege divina hoc dici potest. Deus ipse, qui est summa sapientia, non concessit magistratui usum gladii, si in hac naturæ corruptione non fuisset necessarium ipsi visum, quosdam delinquentes capitali supplicio adficere, & tranquillitatem publicam hac ratione adserere. Concedunt adversarii, magistratui in vet. test. fuisse non solum concessum, sed etiam mandatum gladii adversus facinorosos usum; atqui si melior puniendi ratio esset, coërcere facinorosos mulcta, carcere, laboribus &c. Deus non præscripsisset modum puniendi optimum. Concedunt iidem, *legitimam defensionem, modo vindictæ cupiditas abest, a magistratu contra adversarium implorari posse.* Atqui si magistratui usus gladii est ademtus, non poterit officio suo satisfacere, & legitimam ac sufficientem defensionem parti innocenti præstare; sæpe enim adversarius est effrenate ac desperate improbus, qui nec carcere, nec exsilio, nec fustigatione sese emendari patitur. Vrgemus igitur dictum apostolicum: *Magistratus non gerit gladium frustra.* Nequaquam dicimus, quod omnes delinquentes gladio puniendi sunt, cum sint certa delictorum & pœnarum genera, sed hoc duntaxat urgemus, quod pro ratione circumstantiarum magistratus pœnas usque ad capitis supplicium extendere possit ob usum gladii divinitus sibi concessum.

Porismata: 1.) *Carnifices & lictores ab usu sacrorum non esse arcendos.*

§. CCCX. Ex illis, quæ de capitalibus suppliciis dicta sunt, colligimus hæc πορίσματα: I.) *illos, per quos magistratus supplicia irrogat, nec infamia juris laborare, nec e cœtu christianorum excludendos esse.* Quod si enim magistratus Dei minister est, & Deo ministerium exhibet vindictam adversus facinorosos exercens; utique etiam illi, quorum opera magistratus hac in re utitur, nec infames nec impii hoc nomine sunt censendi. Si honestum est, principem in facinorosos capitalem sententiam ferre, cur non erit justum ac honestum eamdem sententiam exsequi? Deus ipse in pœnis inferendis non tantum malis, sed etiam bonis spiritibus, utitur. In vet. test. quandoque ipsi magistratus, quandoque illorum ministri honoratiores, quandoque populus suppliciorum capitalium exsecutor erat. Deut. XVII. 7. *Manus testium erit adversus eum in principio ad interimendum eum, & manus universi populi in novissimo.* Jos. VII. 25. Achanum sacrilegum *lapidibus obruit omnis Israël.* Jud. VIII. 20. *Gideon* interficit Zebach & Zalmunah, cum filius ipsius primogenitus Jether hoc facere recusasset. 1. Sam. XV. 33. *Samuel* judicis officio adhuc fungens Agagem, Amalekitarum regem, in frusta coram Domino dissecat. 1. Sam. XXII. 17. *Dixit Saul rex cursoribus, qui stabant juxta eum, interficite*

ficite sacerdotes Domini. 1. Reg. II. 34. *Joabus* cum altaris cornua adprehendisset, *a Banaja, summo exercitus duce*, est occisus. Progressu tamen temporis certis quibusdam personis hoc officium executionis fuit demandatum, quæ propter levitatem & immanitatem, cumprimis ob invidiam supplicíorum vulgo contemtui esse cœperunt, unde Aristoteles lib. VI. polit. c. ult. dicit, *probos viros hoc genus functionis aversari*; sed ecclesiæ minister eas a sacrorum usu hoc nomine haudquaquam excludat. II.) *Magistratus non posse nec debere quibusvis facinorosis supplicia capitalia penitus remittere*; id enim pugnaret cum magistratus officio, cum regula justitiæ, cum incolumitate reipublicæ, & cum manifesta ratione. Magistratus divina auctoritate gladium gerunt, ac vindictam exercendo Dei sunt ministri; ideo etiam de alieno non sint nimis liberales, nec nimia vel connivéntia, vel lenitate, scelerum incremento ansam præbeant. Deut. XIX. 19. *Auferes malum de medio tui, non parcet oculus tuus.* 1. Reg. XX. 42. *Quia dimisisti virum, quem ego occidere jusseram, erit anima tua loco animæ illius.* Lactantius lib. de ira: *Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ*; *Deus autem potest, quia suæ dispensator atque judex.* Magistratus est minister & executor divinæ legis, ergo non *debet esse lege ac jure clementior.* Nov. 82. de judicib. §. *Oportet* 10. quem textum in hanc rem admirabilem dicit Prosper Farinacius in praxi criminali lib. I. tit. 3. de delict. q. 17. (*) *Ludovicus*, cognomento Divus, Galliæ rex, cum aliquando ex psalmis Davidicis preces ad Deum conciperet, & aliquis pro quodam capitalis criminis reo gratiam petens interveniisset, rex quasi aliud agens adnuit, sed cum in lectione statim pergens incideret in v. 3. Ps. CVI. *Beati, qui faciunt justitiam omni tempore*; protinus revocari eum jussit, cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit memorabili sententia edita, *principem, qui punire potest crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse, quam si id ipse perpetrasset.* Anti Machiavellus lib. III. theorem. 7. Camerarius part. I. succis. medit. cap. 100. p. 467. Cum alii Galliæ regi conquerenti, quod jam tertio a malefico commissum sit homicidium, morio adsisteret, respondit regi: *Primum duntaxat homicidium ipse perpetravit, tu vero secundum & tertium. Nam si primi veniam non dedisses, unicum illud commisisset.* Auctor librorum de rebus gestis Ludovici XI. & Caroli Burgundiæ ducis lib. II.

2.) *Magistratus non posse capitalia supplicia semper & ubique remittere.*

§. CCCXI. Interim non negamus, magistratum facinorosorum misericordia tangi, & pro circumstantiarum ratione pœnas quandoque mitigare posse (**) ac debere. 1.) Distinguendum enim inter *scelera*, quorum quædam sunt *per se ac sua natura capitalia*, utpote quæ directe in ipsum Deum committuntur, ut magia, blasphemia, vel quæ contra humanam reipublicæ: quæ si veniam dandam requirat, quod sæpius fieri solet, imperans jus adgratiandi exsequi poterit. Cæterum de veniæ dandæ licentia, contra Stoicos, ejusque cautis vid. GROTIVM *de jure belli ac pacis libr. II. cap. XX. §. 21. seqq.* PVFENDORFIVM *de jure naturæ & gentium libr. VIII. cap. III. §. 15.* ZIEGLERVM *de juribus majestatis libr. I. cap. VIII. p. 198.* HOCHSTETTERVM in libro singulari *de jure pœnarum, sect. IX. §. 2. 3. & 4 p. 89. seqq.* TREVERVM in *notis* ad PVFENDORFIVM *de officio hominis & civis, p. 575. seqq.* itemque DAN. CLASENIVM *de jure adgratiandi*, & OTT. PHIL. ZEPPERVM de eodem argumento. Vt complores alios auctores in *bibliorh. juris imperant. quadrip. p. 201.* adlegatos haud memoremus.

In quibus casibus pœnæ mitigandæ.

(*) Bellarminus lib. de laicis cap. 14. §. *Respondeo, videtur Erasmus &c.* adlerit, *pro vita captivorum sceleratorum & crimen capitale fassorum intercedere justum esse*, quod ipsum ante eum Augustinus epist. LVIII. statuit. Sed negativa potius probanda, Augustinus d. l. statuit, *licere magistratui reos impune dimittere ad aliorum intercessionem.* Macedonius illud negavit. epist. LVII. Bucanus in institt. loc. XLIX. q. 42. distinctione utitur. GERHARDVS.

(**) Posse magistratum pœnam, delicto licet determinatam, poscentibus ita cautis sufficientibus, laxare, nemo facile dubitaverit. Imperans enim naturaliter non absolute obligatus est, ut puniat promiscue, sed ut pœnis utatur in salutem & tranquillitatem

humanam naturam directe pugnant, ut sodomia, bestialitas, vel quæ civilem societatem penitus destruunt, ut latrocinium, homicidium voluntarium (*) &c. In hisce coërcendis ratio habenda honoris divini & humanæ societatis ac civium incolumitatis; quædam *vero ex magistratus constitutione duntaxat sunt capitalia*, in quibus pœnas legibus sancitas magistratus ex justa causa mitigare potest. 2.) Distinguendum inter *pœnas legibus expressis definitas*, & inter *pœnas judicis arbitrio relictas*. Illas non potest magistratus præsertim inferior tollere, quinimo judex infamia notatur, qui minorem pœnam, quam leges statuunt, delictis imponit l. *servos* 8. C. *ad l. Jul. de vi publ.* vel pari pœna, quam leges crimini irrogant, punitur. l. 3. *in fin.* C. *ne sacr. bapt. iter.* sed in hisce ad clementiam pronior esse debet. 3.) Respiciendæ sunt *circumstantiæ personarum & delictorum*. Quandoque enim persona vitam prius egit honestiam, & ex consortio pravorum uni delicto involuta est, quandoque vero ad imam usque scelerum nequitiam pervenit. Sexus, ætas, genus &c. ad ἐπιείκειαν quandoque magistratum permovere possunt. In delicto spectandum cumprimis *propositum* & *consilium*, deinde *iteratio*, denique *objectum*, contra quod com-

(*) Homicidium dolosum semper inter sic dicta atrocia delicta & atrocissima crimina fuit relatum, unde & ejusdem reis nullam veniam indulserunt leges civiles. Vid. *cod. Theodos. libr. IX. tit. XXXVIII.* de indulgentiis criminum, *leg. I. III. IV.* Quin ipsa lex divina modum puniendi homicidam præscripsit principi *Genes. IX. 6.* ubi diversis verbis dicitur: *quisquis effuderit sanguinem hominis, per hominem sanguis ejus effundatur.* Fuerunt equidem, qui hisce verbis non præceptum de homicidio capitaliter puniendo, sed eventus futuri significationem contineri existimarunt. Sed solide eos dudum refutarunt disciplinæ sanctioris doctores, ex quibus vel solum b. Byddevm heic adlegasse sufficiat. Vid. ejus *theolog. moral. part. II. cap. IV. §. XVIII. p. m. 720.* Aliam tamen de hoc argumento sententiam amplexus est Phil. Lvdov. Hannekenivs, theologus quondam Vitembergensis, in peculiari tract. *de jure gratiæ principis christiani in reos noxæ capitalis*, in quo adstruere conatus est, principem christianum veniam reo pœnitenti dare posse. Verum ejus rationes solide confutavit Ad. Rechenbergivs, Lipsiensis academiæ quondam theologus, post fata quoque celeberrimus, in peculiari dissertatione *de jure principis christiani aggratiandi circa homicidium negato*, quæ A. *MDCCII.* prodiit, atque *MDCCXXV.* fuit recusa. Successit Christianvs Thomasivs, JCtus Halensis, qui *jus principis christiani evangelici in causis homicidii* in peculiari dissertatione an. *MDCCVII.* de hoc argumento edita propugnare adnisus est. Conferri quoque heic merentur ejusdem *notæ* ad Hvbervm *de jure civitatis, libr. III. sect. II. cap. V. p. 643.* atque *fundamenta juris nat. & gentium libr. III. cap. VII. §. 21.* Ast mox calamum contra Thomasium strinxit Henr. Bodinvs, pariter JCtus Halensis, qui dissertationem inauguralem luci publicæ exposuit, hac insignitam inscriptione: *selectæ conclusiones juris controversi*, in qua *conclus. III.* disputationem Thomasianam confutavit, ratus, ipso jure naturæ principem ad homicidam e medio tollendum obligari ex indole societatis, & vindictam hanc illi debere; locum vero *Genes. IX. 5, 6.* omnino legem esse, non prædictionem, & quidem magistratui datam, cum ultionis fiat mentio, quæ illi sit concredita, *Rom. XIII.* Historiam hujus controversiæ enarrarunt auctores *der unschuldigen Nachrichten ann. MDCCVII. p. 778. seqq.* atque b. Jo. Ge. Walchivs in *der Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der evangelisch-lutherischen Kirche, part. III. cap. V. §. XV. p. 69. seqq.* Ex reliquis scriptis, quæ de hocce argumento in Germania nostra prodierunt, commemorandæ cumprimis heic veniunt Justiniani Clementis, *Leucopolitani, gewissenhafte Anmerkungen von dem Amt einer christlichen Obrigkeit, sonderlich die Strafen der Uebelthäter betreffend*: Dilceptatum quoque fuit hocce argumentum apud Anglos, ediditque Thomas Barlovivs, episcopus quondam Lincolniensis, librum, quem *several miscellaneous and weighty Cases of conscience* inscripsit. Vrget in hocce libro vir ingeniosus, legem Noachicam de homicida interficiendo ideo non esse universalem, quia principem non obliget, quippe qui, tametsi quem occidat, capite plecti non possit, observante Hochstettero *loc. cit. p. 200.* qui tamen recte subjicit, nihil hac ratione evinci a Barlovio. „Ipsum enim præceptum: „*non occides*, principem regemque stringere, & „coram superiore, quem solum Deum habet, reum „sistere. Quamquam *executio pœnæ* in foro humano fieri haud possit; salva interim manente vindicta tribunalis divini „ Addimus hoc unicum, recentissime hoc argumentum sub accuratius examen fuisse revocatum, a cel. Sim. Lvd. Eberh. de Marees, consistorii adsessore & Superintendente Anhaltino, in libello, Dessaviæ an. MDCCLXXI. edito, cui titulus est: *Untersuchung der Verbindlichkeit der göttlichen Gesetze von der Todesstrafe des Mörders, und von Vermeidung blutschänderischer Heirathen.*

commissum. 4.) Distinguendum inter *liberationem a toto & a tanto.* Magistratus ex justa causa rempublicam potissimum concernente reum a tanto liberare potest; sed ex privato favore non potest eum a tota pœna penitus absolvere, quia hic ordo divinitus constitutus est, ut pœna sit comes injustitiæ. Tenenda igitur est hæc regula: *Quando lex admittit ἐπιείκειαν; & reus emendari fine duriori pœna potest, nec periculum aut damnum patitur humana societas, nec cives redduntur exemplo deteriores; tunc magistratus clementiori sententia adversus reum uti potest.*

Canones de suppliciis capitalibus.

§. CCCXII. In *pœnarum* igitur, præsertim *capitalium* irrogatione sequentes canones observandi sunt. I.) *Ad pœnas capitales raro & tarde magistratui accedendum. Vt medico indecora multa funera, ita principi multa supplicia.* Seneca lib. I. de clem. Sit apud bonum principem parsimonia etiam vilissimi sanguinis, *sit pretiosus sanguis* subditorum in oculis ejus, Ps. LXXII. 14.

Sit piger ad pœnam princeps, ad præmia velox.

Quemadmodum medici omnia prius tentant, antequam ad ustiones & sectiones descendant, *quos enim morbos non curat dicta, illos pharmacum, & quos pharmacum non curat, illos demum sanat ferrum*: sic princeps cogitet satius esse *vitiosas reipublicæ partes sanare, quam exsecare.* Cicero libr. II. ad Attic. epist. I. Decet principem, quamdiu potest, verbis primum mollibus curare civium ingenia, transeat deinde ad tristiorem orationem, qua moneat adhuc, & exprobret delicta, novissime ad pœnas, & has adhuc leves & revocabiles decurrat, ultima vero supplicia sceleribus ultimis ponat, *ut nemo pereat, nisi quem perire, etiam pereuntis interest.* In dubio satius esse statuat *nocentem dimittere, quam innocentem condemnare.* l. ea, quæ ff. de reg. jur. & l. absentem ff. de pœnis. Cui consonum illud Antiphonis apud Stobæum serm. XLIV. *Si peccatum est in judicando, præstat sontes injuste absolvere, quam præter fas quemquam perdere*, illud enim ἁμάρτημα, hoc ἀσέβημα. II.) *Ex meris præsumtionibus nemo ad pœnas capitales damnandus.* l. Qui sententiam. C. de pœn. & l. ult. C. de probat. *In criminalibus causis non est perveniendum ad pœnalem sententiam, nisi reus fuerit maleficium confessus, vel clarissimis probationibus convictus.* Conjunge l. Absentem ff. de pœn. ubi expresse statuitur, *neminem ex solis suspicionibus de crimine esse damnandum.* Juris interpretes recte statuunt, *in criminalibus probationes luce meridiana clariores esse oportere.* Consequens hujus regulæ est, quod *propria confessio rei non sufficiat ad pœnam infligendam, nisi de veritate delicti constet;* multi enim tædio vitæ ad pœnas se offerunt, licet nihil admiserint morte dignum, & homines conscientiæ stimulis impulsi quandoque rigidiores sunt in se ipsos, quam leges. Genes. XLIV. 16. Josephi fratres & inter eos etiam Benjamin, licet innocentiæ suæ probe sibi conscii essent, nihilo tamen minus furti se reos fatentur; proinde ad probandum aliquod scelus non sufficit propria rei confessio vel metu, vel tormentorum cruciatu, extorta, sed necessaria sunt alia evidentiora indicia, ut ex hoc loco colligit Gesnerus disp. XXXIV. in Genes. 2. Sam. I. 10. Amalekita se Saulem interfecisse mentitur, cum nihil tale ab ipso fuisset factum. Sit ergo magistratui perpetuo in conspectu posita divina sanctio: Deut. XVII. 4. *Si scelus aliquod renunciatum tibi fuerit, atque audieris, inquirito diligenter, ac si vera ac certa fuerit res illa, si commissa fuerit abominatio ista in Israële, tunc produces virum illum aut mulierem illam.* c. XIX. 18. *Cum diligentissime perscrutantes judices invenerint falsum testimonium contra fratrem dixisse, reddent ei sicut fratri facere cogitavit.* III.) *Sententiæ & executiones earum in capitalibus judiciis non sunt præcipitandæ.* Profluit hoc ex priore, si enim omnia diligenter prius exquirenda, ideo ad veritatis investigationem satis temporis ac diligentiæ adhibendum.

Theodosius cum per iram omnes Thessalonicenses damnasset, monitu Ambrosii legem tulit, *ut supplicia capitalia post imperatoris rescriptum per triginta dies suspenderentur*, quæ habetur l. 20. C. *de pœnis*. c. *Apud Thessalonicam* 11. q. 3. Nicephorus lib. XII. hist. eccles. cap. 41. Festinatio & ira sunt duæ capitalium judiciorum pestes. *Leges ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.* Cicero lib. I. offic. Eodem ergo modo judex agat, quippe qui est lex animata. Nec alia de causa, quam iræ sedandæ gratia, secures apud Romanos fascibus erant adligatæ. Plutarchus in quæst. Rom. q. 82. Cogitet ergo judex illud Senecæ lib. II. de ira cap. 23. *Potest pœna dilata exigi, non potest exacta revocari.* Anaxandridas, Leonis filius, interrogatus, cur cum de vita agitur in judicio, causa a senioribus per complures dies disceptetur, & qui absolvitur, nihilominus reus maneat, respondit: *plures dies judicio impendi, quod si in re capitali titubent, non sit ad pœnitentiam regressus; interim reum teneri legibus, quod hac lege liceat rectius aliquid de eo discernere.* Plutarchus in Lacon. IV.) *In ipsa pœnarum irrogatione commiseratio principis elucescat, ne reorum pœnis delectari videatur.* Bias Prienæus damnaturus aliquem ad mortem lachrymasse fertur ob hominis miseriam. Quodam vero dicente, quid est, quod defleas, cum in tuo sit arbitrio condemnare, aut liberare hominem? respondit, *necessarium quidem esse naturæ condolere, a lege autem & justitiæ regula discedere, magis periculosum.* Stobæus serm. XLIV. Vespasianus apud Suetonium laudatur, quod *nullius unquam cæde lætatus justis etiam supplitiis illachrymarit & ingemuerit.* Antoninus dicere solebat, *inhumanum esse, humanis casibus & calamitatibus non ingemiscere.* Magistratus ergo non irroget pœnas graviores, quam quæ legibus sunt definitæ, ne tam ex proprio arbitrio, quam legum imperio supplicia inferre censeatur. Nec spectet supplicia, ne ex illis voluptatem aliquam capere videatur. *Ferina rabies est, sanguine & vulneribus gaudere*, inquit Seneca lib. I. de clement. cap. 24. *Qui hominem, quamvis ob merita, in conspectu suo jugulari pro voluptate computat, æque suam polluit conscientiam, quam si homicidii, quod fit occulte, spectator & particeps fiat*; Lactantius lib. VI. de vero cultu cap. 20. Vnde in synopsi hist. Caroli IX. Galliæ regis, non immerito ipse reprehenditur, *quod in natali filiæ suæ, quam ex Isabella Austriaca, Maximiliani II. cæsaris filia, tulit, tam avidus fuerit spectandorum suppliciorum, ut sub occasum solis faces accendi jusserit circa furcam, ut morientium ora certius cognosceret.* Detestanda est Caligulæ crudelitas, qui non tantum cupidissime spectabat supplicia, sed etiam reos minutis lacerari jubebat ictibus, subinde carnificem interpellans: *Cura, ut se mori sentiat.* Suetonius in Calig. *At miserum senectuti instrumentum recordatio crudelitatis*, inquit Ammianus Marcellinus lib. XXIX. V.) *In cadavera maleficorum supplicio adfectorum non est sæviendum.* Ferinæ hoc est rabiei & crudelitatis, ne ipsa quidem morte satiari posse, sed in mortuorum cadavera injurium esse. Quamvis ergo corpora damnatorum post mortis sententiam exsecutioni datam nemini liceat absque consensu magistratus e cruce vel patibulo tollere, & sepulturæ tradere, ne ipso facto sententia judicis adversus eos prolata injustitiæ adcusari videatur, ut colligunt juris interpretes ex l. *Capitalium* & l. *Corporum* ff. *de cadaveribus damnatorum*, tamen dicta l. *Corpora* & l. *Græca* 9. C. *de hæretic.* exstat plena humanitatis constitutio, *quod non solum cognatis, sed etiam quibuslibet petentibus corpora damnatorum ad sepulturam danda sint*; unde Cicero Verri probri loco objicit, *quod sepulturam punitorum denegare aut divendere fuit solitus.* Quod ergo corpora suspensorum in patibulo, vel rota fractorum, insepulta relinquuntur, illud probabilem quidem habet rationem, ut scilicet alii ab iisdem facinoribus conspectu deterreantur, dicta l. *Capitalium*: interim cum generale & antiquissimum exstet Dei decretum, Genes. III. 19. *Terra es, & in terram reverteris*; specialis item

item sanctio Deut. XXI. 23. *Non permanebit cadaver in ligno, sed in eadem die sepelietur;* cumque ossa filiorum Saulis cruci adfixorum David colligere, & sepulturæ tradere jubeatur; 2. Sam. XXI. 13. ideo ex l. Græca 9. C. de hæretic. *quamlibet nocentibus non denegari jus sepulturæ*, humanum & sanctum esse dicimus.

De modo supplicium: 1.) An probanda sortitio de pœnis?

§. CCCXIII. Cæterum de modo irrogandorum suppliciorum quæritur: 1.) *An probanda sit sortitio de pœnis?* Cicero pro Cluentio dicit: *Statuerunt ita majores nostri, ut si a multis flagitium esset rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus ad omnes, pœna ad paucos perveniat.* Videri alicui poterat hoc esse injustum, cum in pœnis irrogandis justitia spectari debeat, ea vero non admittat, ut iisdem de causis alii plectantur, alii evadant impunes, sed pœnas jubeat esse æquales; sed distinguendum inter delicta *paucorum* & *totius alicujus communitatis.* In delictis paucorum nullus debet sortitioni dari locus, sed in delicto totius communitatis ac multitudinis, quando omnes puniri cum extremo reipublicæ, vel exercitus detrimento, conjunctum esset, aliquibus duntaxat in terrorem reliquorum pœna irroganda & res sorti committenda. Simili fere ratione Augustinus in epist. ad Honoratum consulit, *ut in gravi persecutione non fugiant omnes ministri, nec omnes se objiciant periculo, sed retineantur, qui ad præsentem usum sufficiant, reliquis ablegatis, ut ad meliora tempora reserventur. Delectum ergo esse adhibendum, ac retinendos eos, quos plebi utiliores fore putamus. Quod si omnes videantur æquales, & omnes dicant, se velle manere ac mori, tum sortibus rem esse committendam.*

II.) *An arithmetica, an geometrica proportio in pœnis observanda?*

§. CCCXIV. II.) *An proportio arithmetica, an vero geometrica in pœnis irrogandis observari debeat?* (*) Arithmeticam proportionem suadent hæc argumenta: 1.) *divina sanctio*: Absolute enim & simpliciter absque ulla determinatione & distinctione personarum dicitur Genes. IX. 6. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, ejus sanguis fundetur per hominem.* Lex talionis in politia Israëlitica erga omnes erat æqualis: *Animam pro anima, oculum pro oculo &c.* Exod. XXI. 24. Lev. XXIV. 19. Deut. XIX. 21. 2.) *προσωπολημψίας, prohibitio*: Levit. XIX 15. *Non suscipies, vel elevabis faciem pauperis, nec decorabis faciem magni.* Deut. I. 17. *Non agnoscetis faciem sive personam in judicio, sicut parvum sic magnum audietis.* At nisi arithmetica proportio in pœnis observatur, προσωπολημψία committi videtur. 3.) *Judicis conditio*: Judici ratione officii incumbit, unicuique

(*) Qui ARISTOTELIS in philosophia sequuntur placita, justitiam in *distributivam* & *commutativam* dispescunt, ajuntque in *illa* observari proportionem *geometricam*, in hac vero *arithmeticam*, quos quidem terminos e matheſi ad se desumtos esse non diffitetur ARISTOTELES. Multum vero acriterque inter se disputare solent, qui hancce adoptarunt divisionem, ad quamnam referenda sit pœnarum infictio? utriusque sententiæ patronos recenset Jo. JAC. MÜLLERVS in *institut. ethicis positivo-polemicis, ad filum Aristotelis concinnatis*, ac Jenæ *MDCXCI.* 8. evulgatis, *part. I. cap. IX §. 22.* Plerique tamen ipsam pœnarum infictionem ad justitiam *commutativam* magno post ARISTOTELEM consensu referunt, & proportionem in ea *arithmeticam* requirunt, non exclusa tamen penitus *geometrica*, in prævia delictorum æstimatione, seu exæquatione instituenda. Vid. b. HOCHSTETTERVM in libro supra excitato *de jure pœnarum, sect. VI. p. 55. seqq.* inprimis *p. 58.* Quemadmodum vero inutilis fere ac supervacanea est tota hæc disceptatio, ita &, rejecta vulgari justitiæ divisione, aliam ejusdem partitionem tradunt recentiores juris naturæ doctores. Dispescunt nimirum justitiam proprie & stricte sic dictam in *rectoriam* & *æquatoriam*, quarum *illa* inter personas *inæquales*, v. gr. imperantes & subditos, parentes & liberos, dominos & servos; *hæc* vero inter personas *æquales* locum habeat. Paucis itaque cuncta expediri possunt, si, cum viris istis præstantissimis, dicamus, spectare pœnam ad justitiam *rectoriam*. Cæterum quid complectatur in se justitia *rectoria*, distincte exposuit b. BVDDEVS in *institut.* theolog. moralis, *part. II. cap. VI. §. VIII. p. m. 713.*

cuique, quod suum est, tribuere, unde etiam vocatur δίκαιος, quasi δίχαιος, *per medium transiens*, quod justam in omnibus observet æqualitatem. Ergo etiam in pœnis irrogandis æqualitatem arithmethicam sequatur. Judex est *jus animatum*. Atqui jus in pœnarum comminatione arithmeticam æqualitatem sequitur. Ergo eamdem sequatur judex in executione. 4.) *Evidens ratio:* Si ad statum & conditionem personarum remota æqualitate arithmetica in pœnis irrogandis respiciendum, majori pœna honorati, primarii ac nobiles erunt adficiendi, quod absurdum. Non enim facto solum nocent, sed etiam exemplo: *Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur. Absit, ut existimes*, scribit Jacobus, rex Britanniæ, lib. I. δωρ. βασιλ. ad filium, *gradus eminentiam imminuere delicti atrocitatem, sed contra potius eo majorem in modum augetur peccati gravitas, quo celsior habetur personæ dignitas.* Tholosanus lib. IV. de republ. cap. 2. num. 9. inquit: *Quibus non est virtutis præstantia, generis claritas potius dedecori & ignobilitati est, quam laudi & gloriæ, neque amplius ea claritas prodesse potest, quam ut non possint latere, si velint, & sint fabula vulgi, dum degenerant.* 5.) *Incommodi consecutio*: Si ad statum personarum in pœnis irrogandis respectus habetur, mala plurima consequuntur, honoratiores enim ac nobiliores lenitate illa ad flagitia invitantur, sicut in Polonia cædes multiplicatæ, propterea quod nobilis rusticum occidens mulcta quinque florenorum delictum expiare poterat. Reliqui vero de inæqualitate jure conqueruntur, unde cives perpetuis simultatibus atque odiis distrahuntur. Hisce ac similibus rationibus permotus rex *Saul* proprium suum filium Jonathanem ob transgressionem legis capitali supplicio adjudicavit, 1. Sam. XIV. 44. ac *David* filium suum Absolonem propter fratricidium persecutus est. 2. Sam. XIII. 39. Contra vero geometricam sive harmonicam proportionem observandam esse, qui putant, hæc fundamenta proferunt: 1.) a *divino mandato*. Deus ipse respectu ad personas delicti reas habito pœnas mitigat: Exod. XXI. 20. *Qui percusserit servum vel ancillam baculo, & mortui fuerint in manibus ejus, vindicando vindicabitur.* v. 21. *Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.* 2.) Ab *absurdo*: Si arithmetica æqualitas in pœnis stricte esset observanda, leges omnes everterentur, quia infinita locorum, temporum, personarum & circumstantiarum varietas causarum dissimilitudinem introducit. 3.) Ab *exemplis:* Saul filium suum ad intercessionem populi a pœna absolvit, 1. Sam. XIV. 45. David Joabum, qui Abnerem interfecerat, non statim trahit ad pœnam, quia fuit gratiosus & potens apud omnem populum, nec poterat de ipso supplicium sumi absque magna reipublicæ commotione. Apud *Persas* vita rei examinatur, an plura præstiterit præmiis, quam pœnis digna, antequam supplicium irrogatur. *Laudo morem illum Persarum*, inquit Herodotus libr. I. p. 28. *ne ob unam tantum causam liceat vel ipsi regi occidere quempiam, neque alicui aliorum Persarum atrocius aliquid in familiam exercere, ob unum solum delictum, sed expendere jubetur unusquisque, si plura ac magna patrarit, ac tum demum justa utatur indignatione.* **Themistocles** alicui admonenti: *Bene principatum geres Athenis, si cunctis æqualis & communis esse voles*, respondisse fertur: *Nunquam sellæ insederim, unde nihilo plus a me ferrent amici, quam alieni.* Videmus etiam a medicis, quamquam in adversa valetudine nihil a servis liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Plinius lib. VIII. epist. 6. *sic nobiles, quamvis cum inferioris conditionis hominibus in eodem delicto, eadem pœna digni essent, tamen mitius tractari possunt ac debent.* Lipsius lib. IV. polit. cap. 4. Plura partis hujus fundamenta tradit Bodinus lib. VI. de republ. cap. 6. Pro decisione quæstionis triplex distinctio observanda: 1.) Distinguendum inter *conditionem facti* & *personæ, intrinsecam & extrinsecam.* Arithmetica proportio in pœnis observari potest, si adsit qualitas duntaxat extrin-

extrinseca facti naturam non adtingens, ut divitiæ, paupertas, generis obscuritas vel nobilitas. Geometrica vero, si adsit conditio intrinseca factum vel adgravans, vel elevans, ut voluntas, animi propositum, casus. 2.) Distinguendum inter ἀκριβοδίκαιον & ἐπιείκειαν, inter *jus strictum* & *æquum*. Quoad jus strictum, nulla personarum distinctio adhibenda; sed æquitas earum rationem haberi permittit. 3.) Distinguendum inter *pœnam scelerum jure divino definitam*, & *arbitrio magistratus relictam*. Quoad illam servanda est æqualitas arithmetica, quoad hanc geometrica.

De objectis supplicior um. 1) An adulteri capitaliter puniendi?

§. CCCXV. De *objectis* capitalium supplicíorum quæritur: 1.) *An adulteri capitali supplicio adficiendi?* Pœna adulterii quibusdam in locis est mulcta pecuniaria, relegatio ad annum unum vel alterum, vel etiam adhuc mitior. Apud *Gortynam* deprehensus adulter ad magistratus producebatur, si fuisset convictus, *lana coronabatur*, qua re illi mollior opprobrabatur natura, effœminatiorque, Cælius Rhodiginus lib. XI. lection. cap. 78. *Romani* adulteras fœminas, quamvis aliqua damnatione, *nulla* tamen *morte* plectebant. Augustinus lib. III. de civ. Dei cap. 5. in quem locum adnotat Lud. Vives: *Ante cæsarem Augustum nihil legibus in adulteros fuisse cautum.* Sempronius Musa C. Gallium deprehensum in adulterio *flagellis cecidit.* Menius Octavium similiter deprehensum *nervis contudit.* Carbo Attienus a Bibieno, item Pontinus a Cernio deprehensi *castrati sunt.* Valerius Maximus lib. VI. memor. cap. 1. Zaleucus Locrensium legislator mœchis *oculos effodi* jussit. Ælianus lib. XIII. hist. Cælius d. l. Apud *Turcas* adulterii convictus *centum ictibus* flagellatur. Apud *Ægyptios* in adulterio deprehensus cædebatur ad *mille plagas*, mulier adultera *naso mutilabatur.* Diodorus Siculus lib. II. biblioth. cap. 2. (*) In Gallia & Italia adulteri *pecuniaria pœna* plectuntur. Clarus lib. V. sentent. in §. adulterium n. 7. quinimo in Gallia ex consuetudine adulteri non puniuntur, & vel de ipso crimine gloriantur; illi vero, quorum uxores adulteræ sunt, adcusationem proponere non audent, ne in perpetuam infamiam incurrant, ut testatur d. l. Clarus ex Fabr. in l. 2. C. *Quæ sit long. consuet.* (**) Sed lex Carolina, *die peinliche Halsgerichts-Ordnung*, art. CXX. jus Saxonicum const. elect. August. part. IV. c. 19. jus provinciale Palatinatus & Hassiæ ultimo supplicio adulteros adficiendos statuunt, quæ constitutio 1.) congruit *legi divinæ:* Levit. XX. 10. Deut. XXII. 22. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Deut. XXII. 23. *Si puellam virginem desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea*; v. 24. *Educes utrumque extra portam civitatis illius, & moriantur.* Conjunge Ezech. XVI. 38. (***) 2.) *Moribus omnium fere gentium*: Ante legem Mosaicam pœna adul-

(*) Bellarminus de matrim. cap. 16. *Lex evangelica non jubet adulteros occidere, imo Joh. VIII. Dominus adulterum liberavit a morte. Nec ignorabat Christus, in ecclesia sua varias fuisse futuras leges principum, quibus interdum occiderentur, interdum non occiderentur adulteri.* Scotus lib. IV. dist. 15. q. 3. Vasquez lib. I. controv. illustr. c. 8. n. 49. *Præcepto generali de non occidendo nemo detrahere potest, nisi qui præceptum edidit. At hic vetuit adulteras capite plecti.* Gerhardvs.

(**) Alciatus in l. Probum 42. de V S. non immerito queritur *quod hodie in civitatibus male institutis major ratio pecuniæ, quam morum habentur, furesque laqueo strangulentur, adulteri pecunia mulctentur, cum adulterium tanquam probrum naturale, ut in d. l. tradit Vlpianus, gravius vindicari debeat furto, quod necessitas quandoque & omnium rerum ex jure primævo communio excusatum reddit.* Vide Arnisæum de jure connub. cap. 5. sect. 8. pag. 234. Gerhard.

(***) Quamvis vero lex forensis Judæorum exspiraverit cum republica, sicut cerimonialis cum templo, tamen quando ratio generalis adsignatur, ut Lev. XX. Deut XXII. vigente ratione, vigere legem ipsam necesse est. Vult autem adulterum morte plectendum esse, quia injuria adfecit domum proximi Deut. XXII. 24. adulteram, quia fidem fregit. Gerhardvs.

adulterii fuit *ignis*, ut colligitur ex Gen. XXXVIII. 24. Abimelechus cum cognoſceret, Rebeccam eſſe Iſaaci uxorem, capitis pœnam minatus eſt ei, qui eam adtigiſſet. Geneſ. XXVI. 11. *Julius Cæſar* liberum ſibi gratiſſimum ob adulteratam equitis Romani uxorem, quamvis nullo adeuſante, *capitali ſupplicio* adfecit. Auguſtus in Proculum libertum cariſſimum ob idem facinus eamdem pœnam ſtatuit. Suetonius in vita utriusque. Julius Capitolinus memorat, *Macrinum* imperatorem adulterii reos vivos ſimul incendiſſe corporibus invicem junctis. Aurelius imperator, referente Vopiſco, militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, hac ratione punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligatas ſubito dimitti juſſit, ut diſciſſus ille utrinque penderet. *Conſtantinus magnus* legem tulit, violatores conjugii gladio puniendos eſſe. Tempore Hieronymi, qui Conſtantino imperante natus eſt, adulterium morte puniri ſolitum, conſtat ex ipſius epiſt. ad Innocentium 49. de muliere ſepties icta. (*) *Parthos* nulla delicta, quam adulterium gravius vindicaſſe, auctor eſt Juſtinus lib. XLI. *Hippomenes*, Athenarum princeps, cum filiam in adulterio deprehendiſſet, eam cum equo junxit, qui clauſus cum alimentis careret, dentes in puellam ingeſſit, adulterum vero per regionem Atticam fuiſſe ab equis tractum ac diſcerptum, teſtatur Suidas. *Arabes* capitalem pœnam in adulteros ſtatuere ſoliti fuerunt. Euſebius libr. VI. præpar. evang. c. 6. Strabo lib. XVI. *Germani veteres*, teſte Cornelio Tacito, fuere acerbiſſimi hujus criminis vindices. Apud *Athenienſes* adulterum ἐπ' αὐτοφόρῳ deprehenſum licebat impune occidere, ut teſtatur oratio Lyſiæ de Erathoſthenis adulteri nece. *Gothis* adulterium fuit capitale. Procopius lib. I. de bell. Gothic. Legibus duodecim tabularum mœchus interficiebatur. In *Tenedo* inſula lege erat ſtatutum, ut adulteri mas & fœmina capite plecterentur. Alexandrinus ab Alexandr. lib. IV. genial. dier. c. 1. (**) 3.) *Delicti hujus gravitati:* Prov. VI. 30. *Non eſt grandis culpa, cum quis furatus fuerit, ut eſurientem impleat animam.* v. 32. *Qui adulterio contaminat uxorem, fatuus eſt, & in perditionem adducit vitam ſuam.* cap. Quid in omnibus &c. 32. q. 7. ex Clemente: *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius? Per illud non ſolum fama læditur, quæ ipſa vita unicuique carior, ſed etiam aliena proles ſubſtituitur, fons humani generis inquinatur, honeſtas publica violatur.* Delictum hoc magis turbat humanam ſocietatem, quam ipſum furtum, quis enim nolit aliquid potius amittere rerum vel facultatum, quam violari uxorem? (***) Adde, quod variis & fere inextricabilibus quæſtionibus de reconciliatione, de aditu ad ſecunda vota, de ſeparatione, quoad vinculum, involvimur, ſi adulteris capitale ſupplicium remittitur. Atque hæc omnia recte probant, magiſtratum poſſe leges de pœnis capitalibus in adulteros ferre; interim tamen *provinciales* cujusque loci *conſtitutiones* cumprimis reſpiciendæ, quando ipſo actu pœna adulteris irroganda. Vide diſput. de exaſp. pœna adult. Coburg. habit. (****)

§. CCCXVI.

(*) Vlpianus l. *quod ait lex de adult.* refert Draconis & Solonis legem, *quod liceat adulterum* ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα, ut reſtituit Budæus, ſeu ut Holoander & Alciatus ἐν ἔργῳ, *deprehenſum occidere.* Pauſanias in Bœot. apud *Athenienſes adulterium* ſcribit *fuiſſe capitale.* Polybius lib. II. absque dubio ex Græcorum lege loquitur, inquiens: *ſi mœchus interficiatur, eſto impune.* GERHARD.

(**) Vel, ceu Heraclides in polit. refert, ut corpora eorum ſecuri dividerentur. GERHARD.

(***) Inde recte Hieronymus in Amos, *furto tanto gravius adulterium* cenſet, *quanto impenſius quisqu uxorem, quam res cæteras amat, & æquiori animo fert rerum ſuarum jacturam, quam ſtuprum uxoris.* Euphronis & Dionis ſententiam refert Stobæus, *quod nullum majus malum videatur adulterio.* cap. *Quid in omnibus &c.* 32. quæſt. 7. *Quid in omnibus peccatis adulterio gravius eſt?* GERHARDVS.

(****) Cumprimis legi heic meretur HOFFMANNI, profeſſoris quondam Viadrini celeberrimi, diſſertatio *de diſſenſu jur. in puniendo adult. crimine*, in cujus *cap. V.* copioſe oſtendit, criminis hujus ſupplicium per ſingulas fere provincias Germaniæ variare.

II.) *An hæretici capitali supplicio adficiendi? pontificii adseruntverbis.*

§. CCCXVI. II.) *An hæretici capitali supplicio adficiendi?* (*) Ita statuunt pontificii, & quidam ex Calvinianis; *pontificii* tum scriptis, tum viva praxi sanguinariam suam opinionem explicant. Thomas II. 2. quæst. 10. artic. 8. sex argumentis probare conatur, *hæreticos ultimo supplicio adficiendos* esse. Idem compluribus rationibus evincere conatur Gregorius de Valentia tomo III. disput. I. quæstione 11. punct. 3. Bellarminus libro III. de laicis cap. 21. *Nos ostendemus*, (inquit) *hæreticos incorrigibiles, ac præsertim relapsos posse ac debere ab ecclesia rejici, & a secularibus potestatibus temporalibus pœnis atque ipsa etiam morte mulctari.* Costerus in apolog. adv. Gomarum demonstrare nititur, *non ex injusta tyrannide, sed ex justa severitate hæreticos a pontificiis mortis supplicio condemnari.* Idem in præf. enchirid. de moribus hæreticorum f. 17. hæc supplicia sic interpretatur, quod *ex pia quadam misericordia & desiderio conversionis procedant.* Petrus Gregorius lib. XII. de republ. cap. 4. sect. 10. *Si hæretici contemtis ecclesiasticis censuris noluerint ad ecclesiæ gremium redire, cum gladio spirituali temporalis est jungendus*, juxta cap. Quando vult Deus & seqq. usque ad finem 23. q. 4. *sic Elias & Jehu occiderunt pseudoprophetas.* Lipsius lib. IV. polit. c. 2. *Serio, serio hoc imbibe, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi debere defendi. Puni igitur, si quis turbat, clementiæ hic non est locus. Vre, seca, ut membrum potius aliquod, quam totum corpus intereat.* Idem in lib. de una relig. adv. dialogist. repetit. Majerhoferus in speculo prædicantium p. 54. *dass man die Ketzer am Leben straffen sol, seyn die Catholischen dermassen vereiniget, dass sie es für einen Glaubensartickel halten.* Windeckius in prognost. f. 117. 232. 249. *hæreticos ustionibus, sectionibus, bellorum vi & impetu sine mora opprimendos & exscindendos esse* suadet, adducit etiam exempla Hispanicæ crudelitatis, quæ maximopere commendat, & magistratum christianum ad eorum imitationem exstimulat. Anton. Possevinus in cautel. contra theorema III. domini de la Nove: *Cum hæresis multo pestilentior cunctis flagitiis & vitiis sit, hanc nisi evangelii ab ipsis apostolis usque ad hæc tempora interpretatio ac veterum patrum decreta, & omnium imperatorum ac regum, qui catholici fuerunt, compescere possint, quidni armis perniciosissimus hostis dometur? Occidi falsos prophetas mandat Deus, quod re ipsa præstitere Elias, Jehu, Josias & alii.* Ambr. Pelargus, monachus Dominicanus 7. Febr. anno 1552. Tridenti pro concione dixit, *tollendam esse zizaniam quocunque modo.* Et post se ipsum explicans coram cardinali Tridentino adseveravit, *hæreticos tollendos igne & quacunque demum ratione.* Sleidanus lib. XXIII. De Johanne Baptista,

(*) Auctores de pœnis hæreticorum adlegavit illustris Böhmervs in *jure ecclesiast. protestantium, tom. IV. libr. V. tit. VII. §. I. p. 814. seqq.* quibus tamen & alii adjungi heic possent, si opus id esset. Sufficiat, ex iis heic adlegasse Jo. Henr. Heideggervm, theologum Tigurinum, & b. cancellarium Mosheimivm, quorum ille binas edidit dissertationes *de conversione violenta errantium & pœnis hæreticorum, tom. III. dissertat. select. p. 717. seqq.* insertas. Hic vero *de pœnis hæreticorum cum* Stephano Javorskio, *archiepiscopo Rezanensi & Muromiensi disputationem* Helmstadii MDCCXXXI. luci expoluit publicæ. Diversas pœnas per leges imperiales a tempore Constantini M. ad Theodosii usque & Valentiniani III. ætatem ab imperatoribus in hæreticos constitutas longa serie enumeravit Joseph. Binghamvs in *orig. ecclesiast. vol. II. libr. XVI. cap. VI. p. 185. seqq.* Præcipua earum argumenta edisserit Böhmervs, *loc. cit.* Exstat quoque libellus sermone Anglico conscriptus, atque ann. *MDCLXXXII.* regnante Carolo II. excusus, qui inscribitur: *de legibus civilibus & ecclesiasticis contra hæreticos publicatis.* Recusus is fuit anno MDCCXXV cum præfatione Guil. Wackii, archiepiscopi Cantuariensis inque linguam gallicam translatus anno MDCCXXV. hac insignitus inscriptione: *traité des loix civiles & ecclesiastiques, faites contre les hérétiques, par les papes, les Empereurs, les Rois & les conciles generaux & provinciaux &c.*

sta, Burgos nuncupato, Valentia Hispaniæ oriundo, scribit Innocentius Gentil. lib. IV. exam. concil. Trid. eum Domin. III. Adventus anno 1562. Tridenti concionem habuisse, in qua inter cætera dixerit: *Diligenter indagemus, quo tempore novæ opiniones enascantur, tanquam periti navis s. Petri gubernatores, qui tempestati occurrunt, cum eam ingruere animadvertunt, ut a rege Philippo Valdoleti & Hispalæ factum est, in quibus oppidis gladio & igne seductores exstinguendos curavit, illorum bonis in fiscum redactis.* Hasenmullerus in hist. ord. Jesuit. capit. 1. scribit, *Jacobum Crusium, rectorem Landsbergensem, ann. 1584. in regularum Jesuiticarum explicatione his verbis usum: Militem oportuit esse societatis nostræ patrem, quemadmodum enim miliți incumbit, ut omnibus viribus in hostem tendat, nec quiescat, quin victoria potitus sit: sic nos decet omnes illos, qui papam superiorem non recognoscunt, consiliis, scriptis, sermonibus oppugnare, & auxilio brachii secularis, hoc est, igne & gladio prorsus e medio tollere, ut pontifices & nostrum votum requirunt.* Ibidem tradit, *Ignatium & ejus posteros ab igne dici & denominari, quod ordo ille innocentes ad ignem condemnet, dum Jesuitæ tanquam incendiarii ardentes faces a papis acceptas ubique circumferunt, & ecclesiam incendunt, ut ea penitus tandem deflagret.* Cum quo congruit illud, quod anno 1607. nobilissimus vir C. V. D. T. Praga ad amicum scripsit: *Ignea ista ingenia non desistent, donec omnia Ignatianis flammis subjiciantur, imperiique Germanici jamdudum ignaviæ putredine quasi confecta fulcra in cinerem redigantur, quo phanix Hispanicus inde tandem emergere possit.* (*)

§. CCCXVII. *Praxin* demonstrant inquisitio Hispanica & historia rerum in Gallia, Belgio, Anglia, Germania, aliisque regnis & provinciis superiori seculo gestarum. Hispanicæ inquisitionis fraudes, crudelitatem & immanitatem peculiaribus libris complures exposuerunt. (**) Dominicus Bannes, Salmanticensis academiæ in Hispania professor, in comm. super Thomæ II. 2. quæst. 11. artic. 2. *Inquisitores hæreticæ pravitatis procedunt ex præsumtione, & tenentur punire ut hæreticum eum, qui ex dictis vel factis convincitur esse hæreticus, etiamsi revera non sit hæreticus.* Expendatur *lamena Parisiensis* anno 1572. in Galliis instituta, in qua referente Dinotho libro V. histor. Gall. p. 341. tribus diebus supra decem millia hominum omnis ætatis, sexus & conditionis Parisiis fuere cæsa, ac tanta fuit sanguinis effusi copia, ut per multa urbis loca rivulorum instar diffluerent. Ea rabies Lutetiæ sumto initio omnes regni provincias pervasit, non in urbibus solum, sed etiam in agris virus effundens, & magnæ utrinque cædes factæ, sed præcipue Lugduni, Aureliis, Tolosæ, Rothomagi, &c. adeo ut Reusnerus in isag. historica, *mensiruo spatio per totum Galliæ regnum plures, quam centies mille homines religionis causa occisos fuisse*, memoret. Tam diu in utrumque sexum sævitum est, donec publica & nobilissima flumina repleta cadaveribus, & atrata sanguine conspecta sint, ita ut adcolis etiam longe dissitis usus aquæ ad potum, aliasque res necessarias, nec non & usus piscium humana carne saginatorum magna cum exsecratione crudelitatis, & inauditæ carnificinæ aliquantisper exosus fuerit. Augusti. Thuanus in histor. anno 1572. Camerarius

2.) *Factis.*

(*) Petrus Ribadeneira lib. I. de principe cap. 26. hæreticos capitali supplicio adficiendos esse probare conatur ex scripturis, patribus, imperatoribus, & ex ipso Calvino & Beza. GERHARDVS.

(**) De *inquisitione hispanica* peculiarem dissertationem Lipsiæ MDCXCII. edidit Jo. BALTHASAR BEBELIVS. Præcipue vero consuli heic meretur PHILIPP. LIMBORCHIVS in *historia inquisitionis*, Amstelod *MDCXCII.* fol. edita alibique recusa. Exstat quoque BAKERI *vollstændige Historie der Inquisition*, ex anglico sermone in germanicum conversa a CHR. FRID. TIEFFENSEE, cum præfat. b. BAVMGARTENII MDCCXLI 8. Vt alios auctores, a b. Jo. GE. WALCHIO in *biblioth. theolog. selecta tom. III. p. 739. seqq.* diligenter recensitos, haud commemoremus. Addi tamen meretur V. cl. Jo. GOTTLIEB. STEBBII *dissert. hist. theolog. de inquisitione ad exstirpandos, quos vocant, hæreticos in ecclesia Romana instituta*, atque Tubingæ A. MDCCLXVI. meo sub præsidio publice defensa.

rarius part. I. horarum ſubciſ. cap. 83. Ferdinandus Alvarez, dux Albanus, confeſſus eſt, quod paucis illis annis, quibus Belgio præfuit, *octodecim millia hominum* utriusque ſexus, clanculum & palam furialibus carnificinis ſuſtuliſſet, nec tamen iſto rigore patribus inquiſitionis ſatisfeciſſet. Auctor de jure belli Belg. Cardinalis Farneſius ex Italia ad bellum Smalcaldicum in Germaniam proficiſcens, dixit, *ſe tantam daturum ſtragem per Alemanniam, ut in Lutheranorum cruore, vel ipſius equus natare poſſit.* Sleidanus libro XVII. commentar. Lazarus a Schwendi Viennæ præſente Henrico Merckelio retulit, ſe a Carolo V. cæſare Oeniponte in fuga audiviſſe, *quod a neutra parte gratiam inire potuerit.* Si enim *pontificem audire voluiſſet, electori caput amputandum, ac urbes imperiales demoliendas fuiſſe.* Sleidanus libr. III. comment. recitat literas papæ Adriani anno 1522. ſub exitum Novemb. ad imperii ordines Norinbergæ congregatos ſcriptas: *Quia hic morbus non poſſit lenibus medicamentis curari, veniendum neceſſario ad vehementiora. Ejus rei non unum exſtare teſtimonium & exemplum in ſcripturis, & majores ipſorum in concilio Conſtant. rationem hanc ſecutos in Huſſum & Pragenſem pro ipſorum merito vindicaſſe, ipſos etiam hanc illorum virtutem imitari debere.* In Anglia intra biennium propter religionem ultra octinginta hominum capita interierunt variis ſuppliciorum generibus. Buchholzerus & Oſiander in hiſtor. anno 1555. Quæ omnia originem duxere ex illa pontificiorum regula, quod *hæretici capitali ſupplicio ſint adficiendi.*

Quidam ex Calvinianis.

§. CCCXVIII. Quod *Calvinianos* adtinet, de illis Zanchius tom. II. miſcellan. in cap. de magiſtratu ſic ſcribit: *Omnes fere ex noſtratibus hujus ſunt ſententiæ, quod hæretici ſint gladio puniendi.* Beza in libro contra Wilhelmum Holderum & Jac. Andreæ anno 1581. edito p. 121. *Docemus, piis & vere chriſtianis magiſtratibus præcipue dandam operam, ut purus ac ſincerus Dei cultus vigeat, ejusque perturbatores, ut res poſtulat, auctoritate ſua legitime judicatos capitali quoque pœna, ſi neceſſitas & ſceleris magnitudo poſtulent, coërceant potius, quam eccleſia detrimentum capiat.* Bucanus in inſtitut. theol. loc. 49. p. 777. quæſtionem proponit: *An magiſtratui liceat in hæreticos gladio civili animadvertere?* ad quam reſpondet adfirmate. Idem ſtatuunt Bullingerus conc. 18. fol. 89. Aretius in hiſtoria Valentini Gentilis. Danæus in ethic. chriſt. lib. II. cap. 13. f. 199. Franc. Junius in defenſione ſecunda de Trin. adverſus Samoſatenianos edita Heildelb. anno 1591. p. 40. Herbornenſes in notis ad expoſitionem catechet. p. 147. Perkinſus in cathol. reformato controv. XXI. cap. 2. p. 367. *Quod quidam pontificiorum in Anglia occiduntur, id non fit propter religionem, quamvis haec cauſa juſta ſit,* Deut. XIII. 5. *ſed quia excitant turbas & ſeditiones,* &c. (*) Refert Lucas Oſiander in reſp. ad apolog Heidelber-

(*) Sleidanus lib. XXV. in hiſtoria de ſupplicio Serveti meminit libri a Calvino ſcripti, *quod hæretici gladio puniendi.* (†) Paræus in comm. cap. XIII ad Rom. *quod non ſint tolerandæ a magiſtratu confuſiones in religione, ſed gladius contra hæreſes ſtringendus.* Beza in epiſt. theol. I. pag. 20. & 21. *Libertatem conſcientiis permittere, ſinere unumquemque, ſi velit, perire, mere diabolicum dogma eſt. Et hæc illa eſt diabolica libertas, quæ Poloniam & Tranſylvaniam hodie tot peſtibus implevit, quas nullæ alioquin ſub ſole regiones tolerarent.* Caſaubonus in præfat. exerc. ad ann. Baron. *Arianum in ſua perfidia obſtinatiſſimum, qui in vinculis diu detentus revocari ad ſanam mentem nulla ratione potuit, flammis ultricibus tua majeſtas impatiens injuriæ factæ D. N. J. C. Deo ἀκτίστῳ juſſit tradi.* Becanus in reſp. ad aphoriſmos Calviniſtarum aphor. VIII. pag. 96. *Quot Jeſuitas, quot alios catholicos propter ſolam fidem extremo ſupplicio Calviniſtæ adfecerunt. Churfürſt Auguſtus in ſeinem aufgezeichneten Bericht von D. Peucern ſchreibt alſo: Die Lehre, ſo bisher in Frankreich und Niderlanden auſſerhalb der Papiſten geweſt, die iſt allein Calviniſch, und eben ſolch Bluthad, wie in Frankreich und Niderlanden die Calviniſche Lehre hat angerichtet, iſt ihre Hoffnung auch geweſt in Sachſen anzurichten, das laſs ich mir nicht anders überreden, ſie ſtellen ſich gleich ſo fromm*

delbergenſium p. 64. quemdam Calvinianum eccleſiaſten dixiſſe, ſe, *Romanus imperator ſi foret, omnes interfecturum, qui ſuam non amplecterentur religionem.* Ibidem memorat concla-i Johannis Caſimiri Palatini, & valvis templi fuiſſe adſcriptum:

O Caſimire potens, ſervos expelle Lutheri,
Enſe, rota, ponto, funibus, igne neca.

Vnde Coſterus in apol. contra Gomar. part. III. fol. 548. Calviniani objicit, quod *fruſtra conquerantur de tyrannide pontificiorum, cum ipſimet cenſeant, pontificios eſſe occidendos, quorum non paucos religionis gratia occiderint.* Bellarminus lib. III. de Rom. pontif. cap. 7. ſcribit, *inquiſitionem haereticorum papiſticam apud Calvinianos non perſecutionem, ſed bellum civile potius adpellari poſſe, ſiquidem juxta*

fromm als ſie wollen. Calviniani in ſuo Palingenio pag. 12. vocant illos, qui ſenſum literalem in verbis coenae retinent, *zänkiſche und haderhafte Leute, denen man die Beine zubrechen ſolle.* GERHARDVS.

Subnota *Editoris.*

(†) Prodiit libellus iſte a Calvino ſcriptus & in nota praecedenti *p. 187.* a GERHARDO adlegatus, ſub initium anni MDLIV. ſub titulo: *fidelis expoſitio errorum* MICH. SERVETI, *& brevis eorundem refutatio: ubi docetur, jure gladii coërcendos eſſe haereticos.* Confutatus vero fuit in alio quodam, qui inſcribitur: *contra libellum* CALVINI, *in quo oſtendere conatur, haereticos jure gladii coërcendos eſſe.* S. L. MDCXII. Sunt nonnulli, qui auctorem hujus libelli LAELIVM SOCINVM, Fauſti avunculum, fuiſſe dicunt, alii vero SEBAST. CASTELLIONEM pro ejus auctore habent, obſervante doctiſſimo REIMMANNO in *catalogo bibliothecae theolog. ſyſtematico-critico, p. 1043.* Caeterum quisquis tandem fuerit ille virorum, a quo profectus eſt hic foetus, paucis hodie notus, illud tamen abunde conſtat, male audire CALVINVM, virum alias doctiſſimum, ob diram de occidendis haereticis ſententiam, & procuratum MICHAELI SERVETO, Villanovano Hiſpano, qui trinitatis myſterium negavit, apud magiſtratum Genevenſem lenti ignis ſupplicium. Vid. SAGITTARIVM in *introduct. in hiſtor. eccleſiaſt. p. 823.* FR. VLR. CALIXTVM in tract. *de haereſi p. 355.* SIM. EPISCOPIVM *vol. II. oper. part. II. p. 52.* PHIL. LIMBORCHIVM *libr. VII. theolog. chriſt. cap. XX.* DE LA ROCHE *dans la bibliotheque Angloiſe tom. II. part. I. p. 191.* & vel maxime b. canc. MOSHEMIVM in *vita Serveti* germanice edita. His aliisque ſcriptoribus iisque recentioribus ex antiquioribus addi meretur b. LVTHERVS, qui *tom. I. oper. germ. Jenenſ. p. 428.* pie graviterque docet, injuſtum eſſe haereticos ſupplicio tollere. Nec defuerunt ex proteſtantibus, qui ſibi perſuaſerunt, *ſic arma porrigi ponificiis, & gladios acui ad nos ferro & igne perſequendos.* Aſt reſponderunt alii, iniquiſſime ſententiam CALVINI obtendi, excuſandae pontificiorum crudelitati. „Aliud enim eſſe, haereſiarchas blaſphe„mos & factioſos eccleſiae perturbatores velle puniri:

„Aliud in omnes errantes promiſcue gladium ſtrin„gi poſſe, ſive ſint ſeductores, ſive ſeducti, „ſive infirmi, ſive contumaces, ſive ignoran„tes, ſive ex malitia peccent: Rurſus aliud eſſe „juſte animadverti poſſe, ſed rariſſime, in unum vel „alterum haereticum aperte impium & blaſphemum: „aliud vero in gentes integras & myriadas homi„num errantium, ſed de caetero proborum & quie„torum, omnis ſexus, aetatis, conditionis, lanie„nas horrendas poſſe exercere, ut ad internecionem „deleantur, & ſuppliciis capitalibus jure poſſe ple„ctere. Aliud paenam mortis decernere in eos, qui „legitime erroris ſui exitialis convicti, incorrigi„biles ſe praebent, omnibus mediis lenioribus incaſ„ſum adhibitis, nec deſinunt venenum ſuum quoad „licet ſpargere contra monita & interdicta: Aliud „vero immiſericorditer ſaevire in pios Dei cultores, „qui haereſis ſuae nunquam convicti fuerunt, nec „ullius erroris rei poſſunt peragi, niſi quod jugo „pontificio nolunt ſe ſubjicere, quod aliud verbum „Dei, quam ſcriptum non agnoſcunt, alios redem„tores, & aliud caput eccleſiae, quam Chriſtum, „aliud ſacrificium, quam ejus mortem, alium „cultum religioſum, quam qui ſoli Deo debe„tur.„ Hactenus FR. TVRRETTINVS, qui hisce verbis mentem eccleſiae Reformatae in *inſtitut. theolog. elenct. part. III. p. 373* clare ſatis expreſſit, inſimulque cauſſam CALVINI, quin & magiſtratus Genevenſis, *loc. cit.* defendendam in ſe ſuſcepit; quod & alii ex coetus Reformati doctoribus fecerunt. Generatim eorum ſententia huc redit, non licere quidem magiſtratui promiſcue in quosvis errantes & haereticos capitali ſupplicio animadvertere. Aſt aliter pronunciandum eſſe de haereſiarchis factioſis & blaſphemis, venenum ſuum contra interdicta & fidem datam ſpargentibus & rempublicam nec non eccleſiam turbantibus; hosce enim capitali etiam poena plecti poſſe. Diſſentiunt tamen heic a Reformatis JAC. ARMINII diſcipuli, ex quibus cumprimis PHIL. LIMBORCHIVS *loc. cit.* evolvendus eſt, cum quo tamen ex noſtris GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS in *breviario controverſiar. cum Remonſtrantibus agitatarum, controv. XLV. p. 507. ſeqq.* omnino conferri meretur.

juxta doctrinam Augustini epist. LXXX. ad Hesychium, in persecutione antichristi solis ecclesiæ filiis futura sit tribulatio, non autem eorum persecutoribus. (*)

(*) Quum Bellarmini, patris purpurati, qui, ut ex supra dictis constat, hæreticos capitali supplicio adficiendos esse statuit, iterata jam vice mentionem heic faciat Gerhardvs noster, paucis observamus, non defuisse recentiori quoque ævo in ipsa ecclesia Græca, speciatim Ruthenica, viros quosdam, qui Bellarmini aliorumque coetus Romani doctorum vestigia secuti, barbaram illam atque ab omni humanitate alienam *de hæreticis e medio tollendis* sententiam in publicis quoque scriptis defendendam in se suscepérint. Principem inter eos locum obtinet Stephanvs Javorskivs, archiepiscopus quondam Rezanensis & Muromiensis, homo in Jesuitarum scholis institutus atque educatus, qui, ut eorum commoda atque opportunitates promoveret, quin, si fieri posset, Ruthenos Romani antistitis imperio subjiceret, librum quendam Russico idiomate conscripsit, sub titulo: *Lapis, sive petra fidei, orthodoxis sanctæ ecclesiæ filiis ad confirmationem & spiritualem ædificationem, offendentibus autem ad lapidem offensionis & scandali ad resurrectionem & emendationem.* Licet vero hicce liber plurimis mendaciis ac calumniis in protestantes refertus, longo tempore prelo suerit paratus, tantum tamen abfuit, ut magnus ille Russorum imperator Petrvs I. eundem publici juris fieri permitteret, ut potius, eo suppresso, alios quosdam libros, interque eos Pvffendorffii *introductionem in historiam*, cum libro singulari *de hierarchia pontificis Romani*, lingua Ruthenica in fol. edi curaret. Postquam vero glorioſissimæ memoriæ imperator Petrvs I. vita excessit, quin & ipse Javorskivs anno MDCCXXII. vitam cum morte commutavit, non defuerunt sibi Ruthenorum theologi, quo minus opus hoc posthumum typis exscriberetur. Prodiit illud Moscuæ, mense Octobris ann. *MDCCXXVIII.* in fol. Non opus esse arbitramur, ut singula hujus operis capita heic indicemus, id quod in diariis eruditorum subinde factum esse constat. Sufficiat, paucis heic adnotasse, adpendicem libro esse adjectum, in quo quæstio ex instituto discutitur: *num, qui nove a sacrosancta ecclesia desciverunt, hæretici, suppliciis adfici judicisque mundi hujus tradi queant?* Vbi quidem Javorskivs adfirmantem amplexus est sententiam, eandemque variis comprobare argumentis adnisus est. Singula, quibus is cauſam suam superstruxit, argumenta, eorumque pondera sacrarum litterarum, rectæque rationis judicio atque auctoritati subjecit vir post fata quoque celeberrimus Jo. Lavr. Moshemivs in commentatione prorsus egregia lectuque dignissima *de pœnis hæreticorum § XIV. p. 38—49.* Fuerunt vero & alii iique præstantissimi in Germania nostra theologi, tam Augustanæ

§. CCCXIX.

confessioni addicti, quam Reformati, qui criminationes, quibus auctor iste protestantes conspurcaverat, depellerent, ejusdemque copias profligarent. Eminet inter eos inclutus, dum viveret, Jenensium theologus Jo. Franc. Byddevs, qui non diu ante beatam mortem, die XX. Nov MDCCXXX. insecutam, ponderosam atque eruditam *epistolam apologeticam adversus obtrectationes Javorskii ad amicum Moscuæ degentem scriptam* Jenæ luci exposuit publicæ. Adcuratam recensionem hujus epistolæ dederunt doctissimi auctores *actorum eruditorum*, quæ Lipsiæ prodeunt, mense Octobris anni *MDCCXXIX. p. 465. seqq.* Equidem hanc ipsam epistolam consutandam sibi sumsit Bernard. Ribera, Dominicanorum ordini adscriptus, sacr. theol. doct. & regius prof. publ. apud excellentiss. ducem *de Liria* legatum hispanicum &c. qui *responsum antapologeticum contra calumniosas blasphemias* J. Fr. Byddei *nomine vulgatas in orthodoxos, latinos & græcos*, &c &c. *Viennæ* ann. *MDCCXXXI.* evulgavit. Vid. *die unschuldige Nachrichten MDCCXXXIII. p. 481. seqq.* Verum mox eundem solide depexum dedit Christophor. Matth. Pfaffivs, cancell. primum Tubingensis, postea Giessensis, in peculiari dissertatione, Tubingæ anno MDCCXXXIII. typis exscripta publiceque defensa. Jam vero non tantum ex Augustanæ confessionis doctoribus, b. Byddevs, sed ex Reformatis quoque vir quidam doctissimus, qui nomen suum notum esse noluit, Javorskio masculе se opposuit, ejusdemque technas detexit, edito brevi quidem, verum solido & concinno libello, qui inscribitur: *genius Stephani Javorskii, quondam metropolitæ Rezanensis & Muromiensis, ex ejus opere posthumo theosophico* petra fidei *dicto in epistola familiari revelatus, MDCCXXX. 4.* In quo sigillatim præclare ostendit, Javorskio magis curæ cordique fuisse Jesuitarum coetusque Romani, quam Ruthenorum, quibus unice deditus videri voluit, salutem. Plura de Javorskio jam non addimus, sed hoc tantum notamus, de vita ejus, præter *acta erudit. Lipſ. A. MDCCXXIX. p. 226.* evolvi posse *die unschuldige Nachrichten MDCCXXIX. p. 640. seqq.*

Nec hoc penitus prætermittere heic possumus, fuisse quoque recentiori ætate ex eleganti alias & polita Gallorum gente, qui Bellarminvm secuti docere haud dubitaverint, eam demum veram esse ecclesiam, quæ hæreticos de medio tollat, cum contra falsæ religionis certum indubitatumque sit criterium, si dissidentes in rebus ad religionem spectantibus toleret. En quid hanc in rem pronunciet auctor adnotationum in Rich. Simonii librum posthumum: *cui-*

§. CCCXIX. Antequam vero sententiæ nostræ fundamenta proponamus, primo omnium recte formandus erit quæstionis status: 1.) Non est hoc loco quæstio, *an magistratui liceat hæreticos coërcere*, & in eos animadvertere. Cum enim superius demonstratum sit, curam religionis ad christianum magistratum certa ratione pertinere; utique etiam tanquam Dei vicarius & utriusque decalogi tabulæ custos curare potest ac debet, ut sincerum divini cultus exercitium vigeat, nec per pseudoprophetas corrumpatur, vel intervertatur. Absit enim, ut hæreticorum patrociniium suscipere, contra vero magistratus & ministerii ecclesiastici in coërcendis hæreticis officio quidquam detrahere velimus, 2.) Nec quæstio proprie est de *seductis*, qui a fallis doctoribus circumventi, & in errorum avia præcipitati. Illi enim cum non voluntarie & scienter, sed ex ignorantia & infirmitate errent, commiseratione potius, quam pœna ac graviore animadversione digni judicandi. (*) Sed quæstio præcipue est de *seductoribus*, qui errores fundamentales in ecclesia spargunt, eosque pertinaciter defendunt, quos a magistratu coërcendos & puniendos, nequaquam vero ultimo supplicio adficiendos esse, dicimus. 3.) Nec quæstio est *de tempore vet. test.* an in vet. test. licuerit interficere hæreticos? sed de magistratu christiano in nov. test. 4.) Nec quæstio est *de seditiosis & blasphemis*, qui præter falsæ doctrinæ propagationem seditiones insuper excitant, subditos adversus magistratum instigant, & directas ac apertas blasphemias adversus Deum evomunt: illos enim capitali supplicio ob seditiones vel manifestas blasphemias adfici posse, non admodum refragabimur; sed de simplicibus hæreticis, qui a seditionibus & blasphemiis aliisve delictis capitalibus sibi temperant, contra quos gladium a magistratu ob hæresin stringendum esse negamus. (**) Chemnitius part. II. exam. concil. Tridentin. pag. 93. *Coactionem ad fidem, quæ per externam vim & corporales pœnas fit, ecclesia Christi ignorat, quæ tantum habet gladium Spiritus. Politico magistratui corporalis gladius a Deo commendatus est, quo, si pius est, uti potest ac debet, sicut ad reliqua scelera, ita etiam ad publicas, externas & notorias blasphemias, præcipue si seditio accesserit, puniendas.*

§. CCCXX. Primam argumentorum classem petimus ex *scripturis*; secundam ex *rationibus*; tertiam ex *testimonio ecclesiæ primitivæ*; quartam ex ipsis *adversariis*. Quæ ex scriptura producuntur, ea vel ex vet. vel novo test. sunt petita. Ex *vet. test.* producimus vaticinia prophetica de propagatione doctrinæ cœlestis, in nov. test. absque cæde & san-

Argumenta nostræ sententiæ 1.) ex scriptura. 2.) Ex vet. test.

critique de la biblioth. des auteurs ecclesiast. & des prolegom. de la bible de Mr. du Pin, quem Jesuitam Tournemivm esse ferunt, *tom. I. p. 667. Dieu enfin dans la loy de Moyse n'avoit il pas ordonné des supplices & la mort même contre ceux, qui abandonnoient la religion, où qui violoient ses preceptes. Il n'y a que les fausses religions, qui puissent autoriser la tolerance.*

Tandem ultimo loco & hoc adjicimus, haud paucos in protestantium quoque cœtu adhuc persuasum habere, hæreticos flammis tradi posse. Helvetii anno hujus sæculi quadragesimo suo id demonstrarunt exemplo, cum nonnullos e civibus suis, qui nihil se credere profitebantur, nisi quod sacrarum litterarum testimoniis possit comprobari, flammis addicerent. Vid. *acta historico-ecclesiast. tom. XII. p. 227. seqq. tom. XIII. p. 675.* & cel. C. G. F. Walchii *compend. histor. ecclesiast. recentiss. cap. IV. §. XXVI p. 76. seqq.*

(*) Ipse Rosenbusch in replica contra Osiandrum p. 128. scribit: *Man soll nur die hinrichten, welche eigentlich Ketzer sind, und nicht die, welche in der Ketzerey geboren und erzogen, sich nit so bald resolviren können, und doch den Sachen fleissig nachzudenken Willens sind, von denen haben wir in unsern Päbstischen Rechten, daß sie nicht für Ketzer zu halten seyn.* Gerhardvs.

(**) Sic b. Lutherus tom. IV. Jenens. f. 408. item tom. V. in Ps. LXXXII. f. 74. b. *Anabaptistas non ut hæreticos, sed ut blasphemos tolli posse*, ait. Et hac ratione conciliari posse videntur duo consilia contraria, quæ exstant decade IV. Bidembachii, quorum unum est Brentii mitius, alterum Vrbani Regii rigidius, numer. 1. & 2. Gerhard.

sanguine futura. Esa. II. 4. *Judicabit* (Messias) *inter gentes, & arguet populos multos, & convertent gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces, non levabit gens contra gentem gladium suum, & non discent ultra bellum.* c. XI. 6. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.* v. 7. *Vitulus & leo & ovis simul morabuntur, & puer parvulus ducit eos, &c.* v. 9. *non malefacient, nec corrumpent in universo monte sanctitatis meæ, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ operientes mare.* c. LXV. 25. idem repetitur. Zach. IX. 10. *Succidere faciam quadrigas de Ephraim, & equos de Jerusalem, & succidentur arcus bellici, & loquetur pacem gentibus.* Hæc vaticinia *generaliter* quidem loquuntur de pace ecclesiæ & concordia civium reipublicæ christianæ; interim simul in *specie* includunt modum propagandi ecclesiam, nimirum absque profusione sanguinis. Opponuntur enim hæc vaticinia praxi in ecclesia vet. test. divinitus constitutæ & usitatæ. In vet. test. vi externa & corporali religio propagabatur, falsa & idololatrica dogmata spargentes interficiebantur, gentes Cananææ idololatricæ exscindebantur; sed de nov. test. prophetæ vaticinantur, quod absque cæde & sanguine religio christiana sit propaganda. Inde cum discipuli Luc. IX. 54. Samaritanos igne cœlitus delapso exuri vellent, & ad praxin vet. test. in Eliæ exemplo propositam provocarent; Christus eos objurgat, & discrimen vet. ac nov. test. ipsis proponit: *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus sitis? Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ex eo sic concludimus: In quo vet. ac nov. test. sibi invicem opponuntur, in illo non potest statui utriusque conformitas. Sed in propagatione doctrinæ & punitione hæreticorum per sanguinis effusionem & cædes vet. ac nov. test. sibi invicem opponuntur. Ergo in eo non potest statui utriusque conformitas. Excipit Bellarminus lib. III. de laicis cap. 22. 1.) *dictum Esajæ* cap. II. *tantum pertinere ad tempus adventus Messiæ, in quo generalis, altissima & diuturna pax in toto orbe sit futura.* Resp. imo vero describitur in genere status ecclesiæ sub nov. test. quod religionis propagandæ causa non sint bella gerenda, nec sanguis fundendus. Propheta enim agit de vocatione gentium ad Christi regnum. *Erit*, inquit, *in novissimis diebus, firmus fiet mons domus Domini in vertice montium, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, adscendamus ad montem Domini.* Jam vero universalis illa vocatio gentium non cœpit tempore nativitatis Christi, sed per prædicationem apostolicam, eademque adhuc hodie durat. Ergo non tam de tempore nativitatis Christi, quam de statu ecclesiæ nov. test. in genere vaticinium hoc loquitur. 2.) *Si verum est, nunquam futura in ecclesia bella, manifestum erit, apud Lutheranos non esse ecclesiam, qui & inter se & contra catholicos gravissima bella gesserunt.* Resp. distinguendum inter bella *offensiva* & *defensiva*. Religionis propagandæ causa bella gerenda esse, negamus; defendendæ autem religionis causa a legitimo magistratu bella geri posse concedimus; interim nec solam religionis defensionem, sed etiam alias causas justi & legitimi belli statuimus, nec quorumvis bellorum temere susceptorum patrocinium nobis vindicamus. 3.) Cap. XI. *non dicit propheta, quod catholici non occident hæreticos, sed potius contra, quod hæretici non occident, & non nocebunt catholicis; loquitur enim propheta de leonibus & ursis & serpentibus regulis, aliisque venenatis bestiis, quibus diabolus & hæretici ejus ministri significantur.* Resp. per venenatas illas bestias non possunt intelligi hæretici, quippe quorum totalis concordia cum ecclesia non est speranda, 1. Cor. XI. 19. quod tamen de bestiis illis propheta adserit; sed describitur illis verbis natura & indoles omnium hominum, qualis est ante vocationem & conversionem ad Christi regnum respectu corruptionis per lapsum introductæ, ac prædicitur, eos, qui quondam Deo displicebant, & ecclesiam odio habebant, ad agnitionem Christi per evangelii prædicationem perductos pacifice victuros, & a cæde & sanguine sibi temperaturos. Conjungimus igitur

igitur v. 4. in quo gladius non corporalis, sed spiritualis ad ecclesiæ in nov. test. propagationem exhibendus prædicitur: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*; quod de verbo Dei accipiendum esse, constat ex Eph. VI. & 2. Thess. II. 8. ex quo hic concludimus: Quo gladio antichristus in nov. test. occidendus, eo etiam gladio adversus hæreticos, antichristi membra ac satellites, utendum. Atqui non corporali, sed spirituali gladio, virtute scilicet verbi antichristus in nov. test. occidendus. Ergo non corporali, sed spirituali gladio contra hæreticos, antichristi membra ac satellites, utendum. Neque tamen jus gladii penitus magistratui adimimus, sed contra hæreticos, & ob religionis propagationem adversus infideles eum stringendum esse negamus.

2.) *Ex nov. test.* a.) *ex doctrina & praxi Christi.*

§. CCCXXI. Ex nov. test. producimus *doctrinam & praxin* 1.) *Christi*, 2.) *apostolorum*. In *genere* monemus, Christum & apostolos nullum in nov. test. dedisse mandatum de hæreticis corporali supplicio adficiendis, quod in re tanta ecclesiæ salutem, vel maxime concernente non fuisset ab ipsis intermissum, si hæreticos occidi voluissent. Excipit Bellarminus, *Christum quidem & apostolos non præcepisse, sed nec prohibuisse, ut comburerentur hæretici.* Hanc solutionem suam probat duplici argumento, primo, *quia Lutherus eadem usus est contra Carolstadium. Objicienti enim Carolstadio, cur vocaret sacramenta, quæ Christus non præceperat sic vocari, respondit Lutherus: quare tu prohibes ea vocari sacramenta, quæ Christus non prohibuit vocari?* Deinde, *quia Christus & apostoli nusquam jubent adulteros & falsarios occidi, suspendi fures, comburi latrones, & tamen id fieri, & recte fieri, neque Lutherus negare auderet.* Resp. est dissimilitudo in exemplis. Usus vocabuli *sacramenti*, a quo abhorrebat Carolstadius, pertinet ad adiaphora, in quibus libertas ecclesiæ concessa; unde merito urget Lutherus contra Carolstadium, quod Christus & apostoli non prohibuerint uti voce *sacramenti*, proinde etiam nos posse in ecclesia ex christiana libertate eo vocabulo in sano sensu uti. Sed occisio hæreticorum ex hypothesi pontificiorum pertinet ad necessarias vitæ regulas, imo ut ex Mejerhofero percepimus, ad fidei articulos, ergo de ea merito requirimus certum & perspicuum aliquod scripturæ fundamentum. Quod aliorum facinorosorum capitalia supplicia adtinet, ea recte deducuntur ex loco apostolico Rom. XIII. 4. *Magistratus non gerit gladium frustra*; & ex fundamentis aliis superius adductis, quo vero minus etiam ad hæreticos hoc extendatur, obstant reliqua sententiæ nostræ fundamenta.

1.) *Matth. XIII. 30. Sinite crescere zizania.*

§. CCCXXII. In specie *ex Christi doctrina & praxi* sic concludimus: Quem modum agendi cum hæreticis Christus improbat, is in ecclesia christiana merito intermittendus. Sed modum agendi cum hæreticis per supplicia capitalia Christus improbat. Ergo is in ecclesia christiana merito intermittendus. *Assumtum* probatur 1.) ex parabola Matth. XIII. 30. *Sinite crescere zizania usque ad tempus messis.* (*) Per zizania non promiscue & in genere omnes facinorosos, sed in specie hæreticos intelligi demonstramus 1.) ex *oppositione*: Quod in hac parabola significatur per semen, ejus contrarium significatur per zizania, ratio connexionis pendet a natura oppositorum, quorum opposita sive contraria est significatio. Atqui per semen hoc loco significatur verbum Dei, & qui illud proponunt, ac fideliter amplectuntur. Ergo per zizania intelliguntur hæreses, & qui eas proponunt & amplectuntur. Ubicunque a Christo in parabolis *seminis* sati fit mentio, ibi de verbo Dei, spirituali & *incorruptibili illo semine*, 1. Pet. I. 23. illud intelligitur Matth. XIII. 19. Marc. IV. 15. Luc. VIII. 11. cujus conve-

(*) Evolvi hoc meretur b. cancell. Pfaffii dissertatio *de zizaniis non evellendis*, Tubingæ typis exscripta, Lipsiæ vero ann. MDCCLIII. recusa.

convenientia cum semine alibi exponitur. Cumque verbi divini sint duo præcipua ac principalia capita, videlicet *lex* & *evangelium*, constat primario ac præcipue doctrinam evangelii seu fidei, non autem legem sive morum doctrinam per semen intelligi, quia Christus se ipsum confert *seminanti* bonum illud semen, jam vero Christi propria doctrina est evangelium, seu fidei doctrina. Huic doctrinæ fidei directe opponuntur hæreses. Ergo illæ per zizania semini oppositæ sunt intelligendæ. *At*, inquit Beza in lib. de puniendis a magistratu hæreticis, *Christus per zizania non hæreticos, sed filios nequam intelligendos esse docet.* v. 38. ac v. 41. *omnia scandala, & illos, qui faciunt iniquitatem* per zizania intelligi ostendit. *Ergo generaliter intelliguntur omnes facinorosi.* Resp. υἱοὶ τῦ πονηρῦ, filii diaboli in genere quidem aliis in locis dicuntur omnes impii, qui peccatis contra conscientiam secure indulgent, qui dicuntur *filii diaboli* non creatione, sed imitatione. Joh. VIII. 44. Augustinus tract. XLII. in Joh. *Imitando diabolum facti sunt filii diaboli.* In Psalm. LXIV. *Est quædam paternitatis ratio, quam non tam pater ipse constituit, quam filii, nos enim illum imitando patrem facimus, non ille nos creando filios.* Conjunge Irenæum lib. IV. c. 79. p. 314. Sed hoc loco in specie intelliguntur hæretici, qui licet non soli, tamen etiam ipsi sub universo isto genere, tanquam species primaria comprehenduntur. (*) Loquitur Christus indefinite. *Zizania sunt filii τῦ πονηρῦ*, eumque indefinita propositio quandoque *universaliter* de toto genere, quandoque *particulariter* de certa & determinata specie explicanda sit; ideo inquirendum ulterius, an Christus omnes omnino diaboli filios, an vero certam ipsorum classem, videlicet hæreticos in hac parabola intelligat. Posterius nos adserimus, & argumentis ex ipsis hujus textus visceribus demonstramus, quibus conjungimus sequentia scripturæ dicta: Johannes baptista phariſæos ac sadducæos vocat γεννήματα ἐχιδνῶν, Matth. III. 7. quia sunt progenies infernalis serpentis, cujus semen venenatum, hæreticas scilicet opiniones concipiunt. Joh. VIII. 44. diabolus est *pater mendacii.* Hæreses sunt mendacia. Ergo hæretici sunt filii diaboli. Matth. XII. 39. XVI. 4. Christus phariſæos & scribas vocat *generationem* πονηρὰν καὶ μοιχαλίδα, *pravam & adulteram*, propter hæreticos errores & cultus idololatricos, qui adulterii spiritualis nomine in scripturis veniunt. Ita quoque hoc loco υἱοὶ πονηρῦ sunt hæretici, patrem suum diabolum, mendaciorum architectum imitantes. Quod adtinet v. 40. in eo non amplius quæritur, quid per zizania in agro dominico intelligendum sit; sed cum de officio angelorum in die novissimo circa zizania Christus agere cœperit, ideo quadam excursione usus ostendit, non solum zizania ἰδικῶς sic dicta, hoc est, hæreticos, sed etiam omnes impios, scandalis ecclesiam turbantes & iniquitatem operantes ab angelis colligendos, & in ignem infernalem projiciendos esse. Ex eo vero colligi nequit, quod pars prior parabolæ cum hac posteriore sit æqualis latitudinis, hoc est, quod itidem generaliter accipiendum sit de omnibus facinorosis illud patrisfamilias præceptum: *Sinite crescere zizania.*

§. CCCXXIII. 2.) Ex *scopi determinatione*: Per *agrum*, in quo zizania una cum tritico crescunt, *mundum* intelligendum esse, docet

(*) *Impii* h. l. dicuntur, qui proprie loquendo non male faciunt, sed perverse sentiunt, ut illi proprie sunt pii, qui Christi doctrinæ veritatem sunt amplexi. Nulla enim ex re piorum & impiorum differentia melius, quam ex religione sumi potest. Huc pertinet Psalm. XLIV. 18. Nam ut ibi generaliter dicuntur *non obliti Dei*, nec *mendaciter egisse contra Dei fœdus*, non qui nunquam in vita peccarunt, sed restricte, *qui nominis Dei fugere memores, non obliti fœderis Dei, qui non expandunt manus ad deum extraneum*, ut explicatur v. 21. hoc est, christiani orthodoxi: sic Christus generali voce *impiorum* adpellat specialiter illos, qui obliti fœderis Dei bonum semen neglexerunt, & reliquerunt veritatem divinam, id est, in religione errantes & hæretici. GERHARDVS.

docet Christus v. 38. ex eo colligit Beza in lib. de puniendis hæret. *non posse per zizania hæreticos intelligi, cum hæretici non extra ecclesiam in mundo, sed in ipsa ecclesia reperiantur.* 1. Cor. XI. 19. *Oportet esse hæreses inter vos.* Sed notandus est parabolæ scopus, quem Christus ipse proponit v. 24. *Simile est regnum cælorum homini, seminanti bonum semen in agro suo.* Ergo non de negotiis mundi, sed de statu ecclesiæ in mundo Christo propositum est agere, neque enim regna mundi, sed regnum cœlorum agro, in quo & triticum & zizania simul nascuntur, comparat. Per illud regnum cœlorum intelligitur ecclesia in mundo adhuc militans, quæ inter causas reliquas ideo vocatur *regnum cælorum*, ut a terrenis & mundanis regnis distinguatur Joh. XVIII. 36. Agri igitur nomen, per usitatam in scripturis *synecdochen* accipiendum non de toto & universo mundo, sed de illa mundi sive hominum parte, quæ per sparsionem seminis, hoc est, per prædicationem verbi in regnum Christi sive ecclesiam colligitur, quam Christus peculiariter vocat *suum* agrum; mundi autem nomine tum indigitat, quia in mundo & ex mundo ecclesia colligitur, & simul respectus habetur ad vaticinia prophetarum de gentibus ex toto mundo ad Christi regnum vocandis: Psalm. II. 8. LXXII. 8. Esa. XLIX. 6. Zachar IX. 10. Hic parabolæ scopus si probe observetur, in fumum abit Bezæ argutia, cui haud immerito etiam hoc opponitur, *quod hæretici quidem sint in ecclesia, non tamen de ecclesia, sed potius de mundo.* 1. Joh. IV. 5. *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Possunt quidem dici de ratione originis & *termini a quo*, quia scilicet in medio ecclesiæ cœtu consurgunt, & hæreses suas spargunt. Actor. XX. 30. *Ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa.* 1. Joh. II. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Sed ratione professionis ac pertinaciæ in errore, & respectu *termini ad quem*, hæretici non sunt de ecclesia, sed de mundo, quia & se ipsos & adsecias suos ex veræ ecclesiæ gremio avellunt, & mundo iterum involvunt. Ex hoc ergo parabolæ scopo tale nectimus argumentum: Vera & genuina explicatio parabolarum ita institui debet, ut ad principalem scopum potissimum respectus habeatur. Chrysostomus homil. LXV. in Matth. Atqui scopus hujus parabolæ est, non de regnis mundanis, sed de regno cœlorum & statu ecclesiæ agere. Ergo etiam explicatio ejusdem unice eo dirigenda, & ex consequenti per *zizania* non possunt nec debent intelligi atrocia illa facinora, quæ in regnis terrenis & mundanis etiam conspiciuntur, in quæ magistratus gladio animadvertit; sed hæreses, quæ in Christi regno, hoc est, in visibili ecclesia oriri consueverunt, quæ vindice magistratus gladio eradicari & exstirpari Christus prohibet.

§ CCCXXIV. 3) Ex *zizaniorum descriptione:* Zizania a) partim sua sponte, vitio pravi soli crescunt, partim etiam ipsum semen facile in ea degenerat, unde ζιζάνιον dictum putatur quasi σιτοιζάνιον, παρὰ τὸ τῷ σίτῳ παρεδρεύειν καὶ συναυξάνεσθαι. b) Priusquam ad maturitatem veniunt, tritico valde sunt similia, ut in prima herba ab eo vix discerni possint. c) Plura grana adferunt, & quidem plerumque ex uno ejus grano plures culmi enascuntur. d) Farina ex illis parata proinde albescit, ut alterius alicujus frumenti. e) Si panis ex ea pinsatur, non alit, sed inebriat ac dementat hominem. f) Etiamsi non multum ejus insit tritico, tamen panem, aut quidquid ex eo paratur, vitiat. Hæc omnia hæreseos ac falsæ doctrinæ naturam pulcerrime repræsentant. Ea enim a) vel sua sponte, vitio pravæ mentis nostræ crescit, vel etiam ex ipsa vera religione depravata & corrupta oritur. b) Aliquandiu similis adparet veræ doctrinæ. Hæretici enim loquelam sincerorum doctorum ad tempus imitantur, ut cum illis sentire videantur, sed tandem manifestum fit, ipsos non bonum semen, sed zizania spargere. c) Admodum ferax est, & brevi tempore late propagatur. d) Externa specie humanæ rationi

tioni blanditur. e) Tantum abeſt, ut auditores faciat meliores, ut eos etiam dementet & inebriet, Gal. III. 1. 2. Tim. II. 26. f) Ac ſi vel modicum ejus veræ doctrinæ commiſceas, nihilominus totam maſſam corrumpit ac vitiat. 1. Cor. V. 6. Gal. V. 9. Flacius part. II. clav. tract. 6. de ſitu Cananææ p. 558. Propter hanc conformitatem zizaniorum & hæreſium in parabola noſtra merito per zizania hæreſes & hæretici intelliguntur; facinoroſi contra ac ſcelerati paleis conferri ſolent, quæ facile agnoſcuntur, & a tritico ſine negotio ſeparari poſſunt. Pſalm. I. 4. Matth. III. 12. 4.) Ex *quadam ad abſurdum deductione*: Si per zizania in parabola intelligerentur quivis facinoroſi, delictis externis & notoriis humanam ſocietatem turbantes, magiſtratui non liceret e medio tollere facinoroſos. Sed poſterius eſt abſurdum, quia *magiſtratus non gerit gladium fruſtra*, ſed eſt *miniſter Dei vindex in iram ei, qui male agit.* Rom. XIII. 4. Ergo & prius. Connexio probatur, quia paterfamilias prohibet evellere zizania, & quidem abſolute ſine ulla inter zizania diſtinctione. 5.) Ex *interpretum teſtificatione*: Janſenius in harmonia agnoſcit, Hieronymum per zizania intelligere hæreticos. Johannes de la Haya in triumpho veritatis c. 61. p. 441. præfert quidem illorum explicationem, qui per zizania in genere quosvis malos ſive peccatores intelligunt, & carpit Eraſmum, quod Cypriano libro III. epiſt. III. expoſitionem de hæreticis tribuat; interim haud gravatim agnoſcit, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Euthymium, & alios per zizania in hac parabola intelligere ſolos hæreticos. Idem faciunt Lyra & Stapletonus hoc loco. Becanus in diſput. de fide hæret. ſervand. fol. 103. (*)

§. CCCXXV. Hiſce præmiſſis ex parabola Chriſti ſic concludimus: 1.) Quicunque evelli & exſtirpari prohibentur, illi gladio non ſunt e medio tollendi. 2.) Quod ſolis angelis in fine mundi peragendum relictum eſt, illud nemo hominum in hac vita tentare præſumat. Sed hæreticorum interfectio per zizaniorum evulſionem ſignificata ſolis angelis in fine mundi peragenda eſt relicta, ut conſtat ex collatione v. 30. & 41. Ergo hæreticorum interfectionem nemo hominum in hac vita tentare debet. 3.) Quod cum præſentiſſimo periculo ſalutis conjunctum, illud non debet ab homine chriſtiano ſuſcipi. *Adſumtum* conſtat ex verbis patrisfamilias, qui quærentibus ſervis, an zizania evellere debeant, reſpondet v. 29. *Non, ne colligentes zizania eradicetis ſimul cum eis etiam triticum.* Qui enim prius ſunt hæretici, ſæpius poſtea ad ſaniorem mentem redeunt, & tritici naturam induunt. Hieronymus in c. XIII. Matth. *Monemur, ne cito amputemus fratrem, quia fieri poteſt, ut ille, qui hodie noxio depravatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem.* Chryſoſtomus XLVII. in c. XIII. Matth. *Dominus prohibet eradicare zizania, ne forte ſimul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effuſionem ſanguinis prohiberet. Nam ſi trucidarentur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: altera, quia frumentis parum nocerent: altera, quia niſi ſanarentur, extrema ſupplicia non evaderent. Quare ſi & puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, opportunitas temporis congrua vobis exſpectanda eſt. Quid autem eſt, quod ait, ne eradicetis ſimul cum eis & triticum? Certe aut quia ſi arma capietis, inquit,*

(*) Cyprianus lib. III. epiſt. I. *Etſi videntur in eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut caritas noſtra, ut quoniam zizania eſſe in eccleſia cernimus, ipſi de eccleſia recedamus. Nobis imo laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus, ut, cum ceperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore accipiamus. Apoſtolus in ſua epiſtola dicit:* In domo autem magna non ſolum vaſa ſunt aurea, ſed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam vero inhonorata. *Nos operam demus, & quantum poſſumus, laboremus, ut vas aureum & argenteum ſimus. Cæterum fictilia vaſa confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt Domino ſuo major ſervus, nec quisquam ſibi, quod ſoli Filio tribuit pater, vindicare ſe putet.* GERHARDVS.

neceſſe eſt, cum hæreticos trucidatis, multos ſanctorum ſimul interimere, aut quia ab ipſis zizaniis veriſimile eſt multos in triticum convertendos. Si ergo prævenientes evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ a commutatis zizaniis provenirent. Non prohibet autem concilinabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concidere, verum interficere ac trucidare. Et poſtea: *Parcendum eſſe zizaniis dicit, quousque una cum frumentis in agro ſunt, quia poſſunt in frumenti ſtatum commutari. Si vero hac longanimitate Domini nihil lucrabuntur & receſſerint, tunc inevitabilis pœna eos neceſſario excipiet.* Chryſologus ſerm. LXXIX. *Si zizaniis Dei potentia non ſubveniret, nec Matthæum de publicano evangeliſtam, nec Paulum de perſecutore apoſtolum eccleſia poſſideret.* Chryſoſtomi explicationem ſequitur b. Lutherus noſter in expoſitione hujus parabolæ: *Docemur,* (inquit,) *quomodo nos gerere debeamus adverſus hæreticos, non enim eos exſtinguere & exſcindere oportet, aperte enim hic Chriſtus ait:* Sinite utraque creſcere; *ſolo verbo Dei contra ipſos agendum docens, ita enim hac in re evenire ſolet, ut qui hodie erret, cras poſſit in viam redire. Quis enim novit, quando Dei verbum cor cujusque ſit adtracturum? ſi autem exuratur, vel alias tollatur, certe impeditur, ne poſſit in viam reduci, imo jam perire eum neceſſe ſit, qui alias potuiſſet ab errore liberari.*

Exceptiones Bellarmini. §. CCCXXVI. Bellarminus excipit, 1) *nomine zizaniorum non intelligi ſolos hæreticos, ſed omnes homines malos.* Reſp. contrarium oſtendimus ſuperius. Bellarminus id nullo alio argumento probat, quam ex verbis Chriſti: *Zizania ſunt filii nequam, & mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent in caminum ignis.* Verum quid huic argutiæ reſpondendum ſit, conſtare poteſt ex ſuperioribus. Johannes de la Haya in triumpho veritatis pluribus argumentis id demonſtrare conatur. *Primo* urget auctoritatem patrum *Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Theophylacti & aliorum.* Sed patribus his opponimus alios patres, quorum calculum ipſemet nobis conceſſit; nec illi, qui per zizania *malos in genere* intelligunt, adverſa fronte noſtræ expoſitioni repugnant, cum hæretici ſub nomine & numero malorum comprehendantur, quinimo quidam ex illis ipſis patribus noſtram amplectuntur expoſitionem. Auguſtinus in lib. quæſt. ex Matth. XII. *Cum eſſe quisque ſpiritualis cœperit, cognoſcit errores hæreticorum, & omnino dijudicat atque diſcernit, quidquid audierit aut legerit, abhorrere a regula veritatis.* Ibidem: *Donec quis in ſpiritualibus perficiatur, & quodammodo matureſcat in fructum, quem herba dedit, poteſt eum movere, quare ſub nomine chriſtiano tam multæ hæreticorum exſiterint falſitates, inde eſt, quod ſervi dicunt: Nonne bonum ſemen ſeminaſti, &c.* Theophylactus in comm. h. l. *Zizaniæ ſunt hæreſes vel malæ cogitationes. Servi ſunt angeli, qui indignantur eſſe hæreſes, vel malitiam in anima, & volunt evellere & exſcindere ex hac vita hæreticos & mala cogitantes. Deus autem non permittit hæreticos bellis conſumi, ne ſimul patiantur conſumunturque & juſti. Similiter neque propter cogitationes vult Deus exſcindi hominem, ne & triticus ſimul corrumpatur, ut exempli gratia ſi Matthæus exciſus fuiſſet ex hac vita, cum eſſet zizanium, ſimul utique exciſum fuiſſet & frumentum, quod poſtea ex ipſo oriturum erat. Similiter & Paulus & latro. Hi enim cum zizania eſſent, non ſunt exſtirpati, ſed permiſſi ſunt vivere, ut creſceret poſtea illorum virtus. Dicitur igitur angelis, quod in conſummatione tunc congregabitis zizania, hoc eſt, hæreticos.* Hæc Theophylactus, non de quibusvis malis ſive flagitioſis, ſed de hæreticis & malis cogitationibus zizania exponens; probe enim vidit, labefactari magiſtratus officium ſi de quibusvis facinoroſis acciperentur. *Secundo* profert expoſitionem ipſius Chriſti, qui *zizania dicit eſſe filios nequam, hoc eſt, omnes peccatores.* Sed de eo jam ante egimus. *Tertio, Dominus non vult colligi & tradicari zizania, hære-*

hæreticos autem vult exſtirpari, & non vivere. Exod. XXII. Deut. XIII. & XVIII. *ergo iſtud melius de peccatoribus in genere, quam de hæreticis in particulari intelligitur.* Reſp. diſtinguendum inter tempus vet. ac nov. teſtamenti, ut ſuo loco pluribus declarabitur, hic illud duntaxat notamus, quod Johannis de la Haya argumentum ad abſurdum redigi poſſit. In prima enim ratione ait, qui *patres hanc parabolam hæreticis adcommodant, non excludunt alios malos, nimirum quia ſpecies continetur in ſuo genere*; & in ratione ſecunda: *Zizania ſunt filii nequam, qui non tantum hæreticos, ſed etiam omnes peccatores ſignificant.* Atqui ſi de peccatoribus in genere accipiuntur zizania, conſequens erit, nullos peccatores a magiſtratu exſtirpari poſſe, quod falſum eſſe ipſemet la Haya agnoſcit. Eadem ergo ratione colligere poſſum: Dominus non vult eradicari zizania, facinoroſos autem vult exſtirpari & non vivere, ut conſtat. Ergo non poteſt de facinoroſis intelligi. *Quartam* rationem petit *ex fine & ſcopo parabolæ.* Præcedenti parabola oſtendit Chriſtus, *bonum ſemen eſſe jactum in terræ loca, & partes quatuor, & unam tantum partem feciſſe fructum bonum*; hac vero docet, *eam partem, quæ ſemen evangelii recipit, non eſſe omnino puram, & omni ex parte mundam, ſed malos etiam habere bonis permixtos.* Reſp. ideo atque inde potiſſimum ea pars, quæ ſemen evangelii recipit, non eſt omnino pura, quia diabolus hæreſes in medio viſibilis eccleſiæ agro ſeminat, 1. Cor. XI. 19. quæ connexio hujus parabolæ cum præcedente eſt ſatis concinna; in præcedente docuit, quibus vitæ ac morum vitiis fructificatio ſeminis impediatur, in hac ipſa docet hæreſium zizaniis ſementem verbi cœleſtis ſæpius corrumpi ac vitiari. *Quinto, hac parabola voluit Dominus docere quatuor veritates. bonos ſcilicet malis debere eſſe permixtos, quamdiu ſunt in hoc mundo: malos, qui ſunt in bona terra, non eſſe Chriſti ſemen, ſeu non provenire ex Chriſti opere, doctrina vel inſpiratione, quod ſint tales: malos, qui bonis ſunt permixti, permittendos eſſe crescere propter periculum bonorum: venturum aliquando diem, in quo mali a bonis omnino ſeparabuntur, quæ veritates non ſolum hæreticis conveniunt, ſed omnibus malis.* Reſp. hæc quidem recte dicuntur, & ſecundario hæc parabola ad ea adcommodari poteſt, interim primarius ac principalis ſcopus eſt, quod per zizania hæretici denotentur, & gladio exſtirpari prohibeantur. Quod ſi enim illam prohibitionem de non eradicandis zizaniis generaliter accipere velimus de quibusvis facinoroſis, qui externis & notoriis delictis civilem ſocietatem turbant, magiſtratui penitus eripietur gladius, & pars officii ipſi proprii ceſſabit.

§. CCCXXVII. Vidit hoc Bellarminus, ideo II) excipit: *Cum prohibet Dominus exſtirpari malos, non prohibet, ne iſte aut ille occidatur, ſed prohibet, ne boni conentur omnes malos ubique exſtirpare, & nullum omnino permittere; id enim fieri non poſſet ſine ingenti clade bonorum, & hoc eſt, quod ait Dominus, ne forte cum eis eradicetur ſimul & triticum. Itaque parabola generalis eſt, & hoc ſolum docet, nunquam futurum ante mundi conſummationem, ut omnes mali eradicentur. Cum autem in particulari quæſtio eſt, vel de hæreticis, vel de furibus, vel aliis malis, an ſint exſtirpandi, conſiderandum eſt juxta rationem Domini, an id fieri poſſit ſine detrimento bonorum? & ſi quidem fieri poteſt, ſunt procul dubio exſtirpandi: ſi autem non poteſt, quia vel non ſunt ſatis noti, & periculum eſt, ne plectantur innocentes pro nocentibus, vel ſunt fortiores nobis, & periculum eſt, ne ſi eos bello adgrediamur, plures ex nobis cadant, quam ex illis, tunc quieſcendum eſt. Ita reſpondet Auguſtinus libro III. contra epiſt. Parmen. cap. 2. hunc locum ſibi a Donatiſtis objectum explicans. Neque aliud Chryſoſtomus docet, ut patet ex ipſius verbis. Cyprianus etiam non de hæreticis, ſed de malis chriſtianis in illa epiſtola hanc parabolam intelligit.* Reſp. 1) Verba patrisfamilias non continent aliquam futurorum prædictionem, ſed expreſſam præſentis actionis prohibitionem. Non enim di-

cit paterfamilias, *fruſtra* tentabitis zizaniorum evulſionem, quia non poteritis omnia eradicare, ſed expreſſe prohibet, ne zizania exſtirpent. 2.) In genere de zizaniis dicit: *Ne exſtirpetis ea*; prohibet ergo & hæc & illa zizania exſtirpare, quia genus complectitur ſuas ſpecies, & ſpecies continet ſua individua. Nuſpiam vero in parabola legitur dixiſſe: ne *conemini* omnia zizania ubique exſtirpare, & nullum omnino in agro permittere. 3.) Verba illa: *ne forte eradicetis etiam triticum*; non continent prohibitionis *limitationem*, quaſi in eo duntaxat caſu non debeant eradicari zizania, quando periculum eſt, ne ſimul triticum eradicetur, ſed prohibitionis *rationem*, ideo non eſſe quidquam zizaniorum eradicandum, quia ſimul eradicari poſſit triticum, id eſt, juxta Chryſoſtomi explicationem, quia zizanium illud in triticum converti poteſt. In agro quidem naturali zizanium nunquam mutatur in triticum, ſed in agro Dominico ac ſpirituali illud divina potentia fieri, res ipſa manifeſte comprobat. Jam vero, ubi ratio præcepti generalis eſt, ibi præceptum etiam generale proponitur. 4.) Opus eradicandi zizania plane adimitur ſervis, & committitur meſſoribus ſive angelis, ac tempus eradicationis definitur, non præſens vitæ, ſed tempus meſſis, hoc eſt, dies extremi judicii, quo triticum congregabitur in horreum. Atqui juxta Bellarmini explicationem illud adhuc ex parte competeret ſervis, & in hac vita aliquando locum haberet, nimirum quando ſine detrimento tritici eradicatio zizaniorum fieri poteſt. 5.) Egregia vero doctrina, quam Bellarminus ex hac parabola colligit, *non eſſe hæreticos bello petendos, quando ſunt fortiores nobis, & quando periculum eſt, ne, ſi eos bello adgrediamur, plures ex nobis cadant, quam ex illis.* Quaſi vero naturalis ratio unicuique iſtæc dictitet. Ἄφρων ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν, νίκης τε ςέρεται, πρός τ' αἰσχεσιν ἀλγεα πάχει, inquit Aſcræus. Elucet vero ex eo animus pontificiorum, quem gerunt erga eos, qui a Romano pontifice receſſionem fecerunt, (eos enim omnes indiſtincte pro hæreticis habent) nimirum non deeſt ipſis promtiſſima voluntas bello ipſos oppugnandi, niſi metuerent ipſos eſſe fortiores. Quod ergo pace aliqua Germania adhuc fruitur, illud juxta Bellarmini doctrinam tamdiu durare debet, donec pontificii ſe viribus ſuperiores, & ad debellandos evangelicos ſatis inſtructos eſſe intelligant; tunc enim pacem turbandam, bella movenda & evangelicos exſtirpandos eſſe. 6.) Auguſtinus libro III. contra epiſt. Parmeniani cap. 2. non de corporali hæreticorum ſupplicio, vel de bello ipſis movendo, ſed de ſeveritate diſciplinæ eccleſiaſticæ adverſus eos, qui ſcandala in eccleſia excitant, tractat, quando ſcilicet ea adhiberi debeat. *Cum de frumentorum certa ſtabilitate certa ſecuritas manet*; (inquit) *id eſt, quando ita cujusque crimen notum eſt omnibus, & omnibus exſecrabile adparet, ut vel prorſus nullos, vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ, in qua tanto eſt efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior conſervatio caritatis. Tunc autem hoc fine labe pacis & unitatis, & ſine læſione frumentorum fieri poteſt, cum congregationis eccleſiæ multitudo ab eo crimine, quo anathematizatur, aliena eſt, &c.* (*) 7.) Chryſoſtomus in genere dicit, *Dominum iſta parabola bella & effuſionem ſanguinis prohibere*, Item *Dominum non prohibere conciliabula hæreticorum diſſipare, ora ipſis obſtruere, libertatem loquendi concidere, verum ipſos interficere & trucidare*; ac geminam hujus interdicti rationem addit, non tantum, *ne ſimul evellatur triticum*, quam ſolam Bellarminus vidit, ſed etiam, *ne ſalus hæreticorum impediatur, cum zizania in triticum converti poſſint*, quam rationem Chryſoſtomus non addidiſſet, ſi ullo unquam tempore hæreticos occidere licere judicaſſet. Sic ergo concludimus: Qui eradicationem

(*) Idem *tum demum eradicandi zizania tutum adfulgere tempus cenſet, cum jam in fine non reſtat tempus, vel commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione atque comparatione alieni erroris.* GERHARDVS

tionem zizaniorum sive hæreticorum ideo prohibet, ut vitetur sanguinis effusio, ille simpliciter & totaliter eradicationem violentam prohibet. Sed Chrysostomus propter hanc causam prohibet zizaniorum eradicationem. Ergo simpliciter & totaliter eam prohibet. 8.) Cyprianus quidem in genere primum loquitur de lapsis, quibus *nec censura desit, quæ increpet, nec medicina, quæ sanet*; sed postea de hæreticis & schismaticis in specie agit, & adducit locum apostolicum 2. Tim. II. de vasis aureis, argenteis, ligneis & fictilibus, atque addit, *soli Domino vasa fictilia confringere concessum esse, cui virga ferrea sit data.* At si id in genere de omnibus omnino facinorosis accipiatur, magistratui non licebit adversus illos gladium stringere. 9.) Ex hac ipsa Bellarmini hypothesi & explicatione contra Bellarminum concludere possumus. *Non sunt exstirpanda zizania*, (inquit) *quando id fieri nequit sine detrimento tritici.* Subsumo: Bellum non potest contra hæreticos (sive sint nobis fortiores, sive imbecilliores) suscipi absque detrimento bonorum. Ergo plane non debet suscipi, nec zizaniorum sive hæreticorum exstirpatio per bellum debet tentari. *Adsumtum* probo, quia in cœtibus hæreticorum adhuc semen sanctum Deus sibi servat, & si non alios, tamen baptizatos infantes in filios suos adoptat, jam vero absque illorum detrimento bellum adversus hæreticos suscipi nequit, ut constat.

Exceptiones aliorum. §. CCCXXVIII. Atque hæ sunt Bellarmini exceptiones contra nostrum argumentum, videamus etiam aliorum exceptiones. I.) *Christus ibi loquitur ad apostolos, non ad magistratum. Ergo si vel maxime prohibitum esset hæreticos occidere; tamen illa prohibitio pertineret duntaxat ad ecclesiæ ministros.* Resp. imo vero Christus in genere loquitur de servis patrisfamilias v. 27. & 28. in servorum autem illorum numero sunt etiam magistratus, Rom. XIII. 4. ac tempus eradicationis statuitur, non præsens seculum, sed *dies messis*, sive extremi judicii, quin & hominibus eradicatio zizaniorum penitus adimitur, ac messoribus sive angelis relinqui jubetur. Quicunque ergo hæreticos e medio tollunt, tempus a Deo definitum antevertunt, & alieni officii partes invadunt. II.) *Utroque vocabulo servorum & messorum intelliguntur angeli, quia omnes angeli sunt servi seu ministri a Deo emissi; proinde nequaquam hominibus, præsertim magistratui zizaniorum evulsio interdicta est, sed certo angelorum ordini. Distinguit enim Christus inter duo distincta angelorum officia, quorum unum est generale, videlicet hominibus inservire, alterum ordinarium & certum, messorum scilicet, quod pertinet ad certum angelorum ordinem.* Resp. sane Hieronymus in comment. cap. XIII. Matth. servos patrisfamilias non alios accipiendos statuit, quam angelos, qui quotidie vident faciem Patris. Eadem est sententia Isidori Peluſiotæ lib. I. epist. 195. Sed Augustinus in qq. ex Matth. XII. hanc sententiam refellit argumento eo, quod de servis dicitur, *ipsos ignorasse zizaniorum seminationem*, eamque miratos fuisse; jam vero de angelis probari nequit, quod ignorent, quid a diabolo in mundo agatur. *Utrum & ipsi sint servi*, (inquit) *quos paulo post messores adpellat, an quia in expositione parabolæ messores dixit esse angelos, nec quisquam facile dicere ausus fuerit, angelos nescisse, quis zizania super seminaverit, & ea tunc adparuisse angelis, cum herba fructum fecisset; magis oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit. Nec mirum, si & bonum semen ipsi dicuntur & servi patrisfamilias, sicut & de se ait, quod ipse sit janua, & quod ipse sit pastor. Ex diversis enim significationibus una res etiam plures & diversas similitudines recipit, præsertim, quia cum ad servos loqueretur, non ait, in tempore messis dicam vobis, colligite primum zizania, sed dicam, inquit, messoribus. Unde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quemquam ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium per-*

pertinere. Idem ferm. XLVI. de diverſis c. 4. *Ne forte dum vultis eradicari zizania, eradicetis ſimul & triticum. Quid boni facitis? nonne meſſem meam veſtra diligentia vaſtabitis? nos homines ſumus, angeli meſſores ſunt. Erimus quidem & nos, ſi curſum perfecerimus, æquales angelis Dei, ſed modo quando ſtomachamur contra malos, adhuc homines ſumus.* Huic Auguſtini argumento poteſt addi alterum, quod duo diſtincta vocabula adhibentur; illi enim, quibus evulſio zizaniorum interdicitur, vocantur ἄγγελοι, ſed angeli vocantur θερισταί: item quod angeli dicuntur cum Chriſto *in meſſe ultima* venturi, Matth. XXV. 31. & zizania collecturi. Ergo non putandum eſt, certo angelorum ordini zizaniorum evulſionem eſſe interdictam, quia potius omnes in ultima demum meſſe, id eſt, in die noviſſimo cum Chriſto venient ad hanc evulſionem peragendam. Illis, qui per ſervos angelos intelligunt, duo favent in hoc evangelio. Vnum eſt, quod dicunt ad patremfamilias: *Vis, ut eamus, quaſi cum Deo ſint in cælo, non in agro & terra, ſed extra ipſum agrum.* Alterum eſt, & *colligamus ea*, nam e mundi agro evellere omnes malos poſſunt angeli, non homines. Sed ad hæc reſpondet Johannes a la Haya d. l. *Poſtulant ire hi ſervi propter exercitium poteſtatis, colligere vero propter zelum, conatum & ſtudium, & quantum in ipſis eſt. Servi accedunt, quando veritatis doctrinam & voluntatem Dei conſulunt, ſunt quaſi extra agrum & cum Domino, ſed poſtquam ad eum venerunt, conſpectis zizaniis, tantum habent zelum, ut videantur ſibi omnia cum Dei auxilio poſſe.* III.) *Non de hæreticis ſolum, ſed etiam de aliis facinoroſis dici poteſt, quod periculum ſit, ne eradicando zizania, eradicemus etiam triticum, ſiquidem etiam ipſi progreſſu temporis converti poſſunt.* Reſp. eſt omnino hæreticorum & aliorum facinoroſorum diverſa ratio. Hæretici enim perſuaſi ſunt, ſe recte ſentire, & recte facere erroneas opiniones propugnando, ideo ad agnitionem erroris difficulter perducuntur; ſed alii facinoroſi publicis & notoriis delictis civilem ſocietatem turbantes ac deſtruentes ipſius conſcientiæ interno teſtimonio convincuntur, quod Dei iram contra ſe provocaverint, ideoque ad agnitionem ſuorum peccatorum facilius adduci poſſunt. Præterea hæreſis, quatenus talis, eſt delictum ſpirituale, ideoque etiam ſpirituali gladio, videlicet verbo Dei eſt ferienda, præſcindenda & exſtirpanda, ſed reliquorum facinoroſorum delicta turbant civilem ac politicam ſocietatem, ideo etiam corporalibus ac capitalibus pœnis in ea recte animadvertitur. Denique diverſitatem inter hæreticos & alios facinoroſos reſpectu capitalis ſupplicii monſtrant omnia illa argumenta, quibus demonſtratum, licere magiſtratui gladio punire facinoroſos, non autem ſtringendum eum eſſe contra hæreticos.

§. CCCXXIX. II.) Ex verbis Chriſti Luc. IX. 54. Cum Chriſtus hoſpitium a Samaritanis petiiſſet, illique jus hoſpitii recuſaſſent, quia *facies ejus erat proficiſcens in Jeruſalem*, hoc eſt, quia Iſraëliticæ religioni ipſum addictum eſſe intelligebant, diſcipuli indignatione commoti a Chriſto quærunt: *Vis Domine dicamus, ut ignis de cælo deſcendat, & conſumat eos, ut Elias fecit*, quibus verbis ad praxin vet. teſt. & ad zelum Eliæ prophetæ provocant, ſed Chriſtus per correctionem ipſis reſpondet: *Neſcitis, cujus ſpiritus vos eſtis? filius enim hominis non venit ad perdendum animas hominum, ſed ad ſervandum.* Ex quo ſic concludimus. 1.) Qui prohibet Samaritanos propter diverſitatem religionis igne cœlitus depluto conſumi, ille etiam prohibet gladio hæreticos exſcindi. Ratio *connexionis* conſiſtit in culpæ & pœnæ conformitate. Sed Chriſtus noluit Samaritanos propter diverſitatem religionis igne cœlitus depluto conſumi. Ergo etiam prohibuit gladio hæreticos exſcindi. 2.) Si Chriſtus diſcipulos Samaritanorum excidium meditantes ad ſpiritus evangelici manſuetudinem revocavit, utique pugnat cum ſpiritus evangelici manſuetudine hæreticos propter religionis diver-

2.) *Ex Luc. IX. 54. Neſcitis, cujus ſpiritus ſitis?*

diversitatem gladio exscindere & exstirpare. Sed verum prius. Ergo & posterius. In nov. test. inquit Lyra super h. l. *procedendum est suaviter & benigne, quia est lex amoris, non timoris.* 3.) Si Christus ideo non voluit Samaritanos igne cœlitus evocato a discipulis perdi, quia erant discipuli ejus, qui venerat non ad perdendum animas hominum, sed servandum, consequens est, a christianis in nov. test. hæreticos non esse interficiendos. Sed illud &c. Ergo & hoc. Probatur *connexio*, quia ut Samaritani, ita & hæretici a vera religione aberrant, eamque oblatam temere respuunt. Et discipuli & reliqui christiani sunt populus Christi. Ergo ipsius mansuetudinem erga hæreticos imitari debent. 4.) Si Christus a rigore vet. test. & exemplo Eliæ discipulos revocat ad spiritus evangelici & nov. test. mansuetudinem, sequitur, quod ex mandatis divinis de interficiendis pseudoprophetis & praxi vet. test. non possit nec debeat inferri, hæreticos in nov. test. esse interficiendos. Sed illud. Ergo & hoc. Quicunque igitur aliter tractant hæreticos, quam juxta præscriptum Christi & apostolorum in nov. test. illi re ipsa testantur, se non esse spiritu evangelico præditos, nec imitari exemplum Christi, qui venit non ad perdendum, sed ad salvandum, nec discernunt inter tempus Eliæ & Christi, hoc est, inter vet. ac nov. test. nec intelligunt naturam regni Christi. Excipit Bellarminus 1.) *latissimam esse differentiam inter Samaritas illos & hæreticos. Illi enim nunquam promiserant, se Christi religionem servaturos, sed tunc primum illis offerebatur, ideo compellendi non erant; at hæretici promiserunt, professique sunt se fidem Christi servaturos, ideo merito compelluntur.* Resp. Samaritani non minus in circumcisione, quam ipsos retinuisse verisimile ducimus (*), quam hæretici nov. test. in baptismo promiserant se in fide Christi Messiæ constantes fore, & religionem veram servaturos, ergo etiam ipsi juxta Bellarmini hypothesin compelli potuissent ad promissum servandum. Præterea discrimen illud, quod Bellarminus adsignat, proficiscitur ex falsa hypothesi, quam clarius propugnat Gregorius de Valent. in explic. h. l. quod videlicet *aliter agendum sit cum iis, quibus primum evangelium proponitur, quales erant Samaritani, quam cum aliis, qui jam illud receperunt, quos vi compellendos, id est, gladio occidendos* esse arbitrantur. At discrimen hoc ignorat universa scriptura, quæ Christum semper sibi similem nobis proponit, qui fines regni sui non gladio corporali, sed spirituali, non ferro, sed verbo propaget, ac ratio illa, quæ apud Lucam additur, *venisse scilicet filium hominis, non ut perdat hominum animas, sed salvet*, plane generalis est ubique locorum, & apud omnes populos valida. Parabola Christi Luc. XIV. 16. penitus repugnat huic Bellarmini distinctioni. In invitatione enim ad cœnam magnam, mittit paterfamilias servum suum hora cœnæ *dicere invitatis*, (Judæis puta, ecclesiæ filiis) ut venirent, quia parata sunt omnia; sed cum illi sese excusarent, ac venire renuerent, mittit paterfamilias servum invitatorem *in plateas & vicos civitatis, ut pauperes ac debiles & cæcos ac claudos introducat*, v. 21. id quod haud incommode de vocatione *Samaritanorum* accipitur, ad quos (ut & vicinos *gentiles*) Christus in diebus carnis suæ quandoque divertit, & per prædicationem evangelii ad cœnam hanc eosdem vocavit. Matth. XV. 21. Luc. XVII. 11. Illi enim in vicis & plateis civitatis, hoc est, in vicinia Judæis quasi intermixti habitarunt, & propter conversationem cum Judæis promissionem de Messia cognitam habuerunt. Tandem vero cum & illi vocationem ad cœnam adspernarentur, misit paterfamilias servum suum *in vias & sepes*, hoc est, *ad gentiles* remotiores & populos barbaros ad finem usque orbis habitantes,

(*) Augustinus ep. CCIII. *Non denuo circumciderem Samaritanum, si Judæus essem, & eo tempore suum errorem confessus ad me veniret: ita nec hæreticum rebaptizarem in Trinitatis nomine baptizatum.* Gerhardus.

tantes, *a politia Israëlis alienatos*, Eph. II. 12. ac legibus ejusdem destitutos: atque hos in prima statim vocatione jubet *compellere*, ut ad cœnam veniant. Quod si juxta Bellarmini nomenclaturam per τὸ *compellere* intelligitur gladio occidere; consequens fuerit, illos potius interficiendos, qui ex gentilismo ad ecclesiæ consortium vocantur, quam qui sunt ecclesiæ filii, & per baptismum in eandem prius recepti, ut parabola evidenter ostendit. Nos & eos, qui primum ad ecclesiam ex paganismo vocantur, & eos, qui per hæresin ab ecclesiæ fide defecerunt, compellendos esse concedimus, non supplicio capitali nec coactione ad fidem, sed coactione ad auditum verbi, quibus mediis conversio refractariorum peragenda, iidemque ecclesiæ luerifaciendi, sed per gladium & ignem magistratus homines non lucrifiunt ecclesiæ, verum potius ex vita communi exterminantur, ut non supersint, quos errasse pœniteat, quive compelli possint, ut intrent.

§. CCCXXX. II.) Altera Bellarmini exceptio hæc est: *Jacobum & Johannem non tam zelo salutis animarum, quam amore vindictæ cupivisse Samaritanos comburi, ideoque merito ipsos a Christo argui. Ecclesiam vero* (Romanam puta) *zelo salutis animarum, quas hæretici pervertunt, eos persequi, quo zelo ipse Christus bis flagello ejecit ex templo vendentes & ementes Joh. II. Matth. XXI. Petrus Ananiam & Saphiram occidit Actorum V. Paulus fornicarium satanæ in interitum carnis tradidit, 1 Cor. V. at omittantur Moses, Phineas, Elias, Mathathias, & alii, qui zelo Dei plurimos occiderunt.* Resp. 1.) Apostoli expetebant illum ignem in Samaritanos delapsum non absolute, sed cum conditione voluntatis Christi v. 54. *Vis*, inquiunt, *ut dicamus ignem cælo descendere*; nec in verba illa prorumpunt ex animo temerario, & privatæ vindictæ studio, sed ex pio, ut sibi videbantur erga Christum adfectu, quem Samaritani nolebant recipere, nec cœco impetu & absque ratione, sed ad exemplum *Eliæ*, ὡς καὶ ἠλίας ἐποίησε, inquiunt, quæ pericope in vulgata translatione est omissa. Cum enim ille, connivente & ab officio cessante magistratu, de pseudoprophetis Baalis supplicium sumsisset, apostoli quoque inferebant extraordinarie agendum, & severo supplicio in Samaritanos animadvertendum esse, eo quod magistratus in suo officio, in pœna scilicet idololatrarum & hæreticorum esset negligens. 2.) Christus vero hoc sanguinarium apostolorum consilium & capitalem vindictam, quam ex intempestivo & præpostero zelo expetebant, penitus improbat duobus validissimis argumentis, quorum prius *ex differentia vet. & nov. test.* deductum: *Nescitis*, inquit, *cujus spiritus filii?* q. d. status politiæ evangelicæ in nov. test. alius est & diversus a Judaicæ politiæ statu, nec conditio regni mei, quod est spirituale, ac regitur per verbum & Spiritum, admittit, ut id, quod Elias fecit, in eo locum habeat. Posterius desumtum *ab incommodo*: *Filius hominis non venit ad perdendum animas, sed ad salvandum*; q. d. hac ratione multæ animæ perduntur, quæ postmodum ad pœnitentiam & erroris agnitionem perductæ servari potuissent. 3.) Mirum igitur est, quod Bellarminus zelum occidendi hæreticos in nov. test. Eliæ exemplo palliet, cum illi ipsi exemplo ab apostolis adducto Christus statum nov. test. diserte opponat, sed Bellarminus græcum textum forte non inspexit. 4.) Quo zelo hæreticæ pravitatis inquisitores in eos sæviant, quos levissimis duntaxat indiciis a Romana synagoga alienos esse suspicantur, ipsi viderint. Qui arcana hujus inquisitionis literis mandarunt, testantur, sæpius ex privatæ vindictæ cupiditate, vel ex bonorum captatione etiam innocentibus periculum sub hoc prætextu creari. Papa in favorem hujus inquisitionis statuit, ut *in crimine hæreseos accusator numero testium adscribatur*; cap. In omni negotio. extra de testibus: ut *hæreticus post latam sententiam non liberetur a pœna, si vel maxime ab errore discedat*; cap. ad abolendum de hæreticis, (quæ sententia etiam probatur Bellarmino, unde in hoc ipso capite

in

in resp. ad argum. 14. scribit, *apostolum Tit. III. 10. non loqui de venia danda hæretico converso, sed de admonitione, quæ præmittitur, antequam hæreticus condemnetur per sententiam judicis*) cum tamen is, qui ad fidem revertitur, hæreticus esse desinat cap. *dixit* 24. q. 3. *Clem. unic.* §. penultim. l. 1. §. *porro.* C. *de summ. Trinit.* Wesenbecius in *parat.* C. *de apost. in fin.* Ex Dominico a Bannes superius didicimus, inquisitores illos procedere *ex præsumtione & teneri, ut puniant tanquam hæreticum eum, qui ex dictis vel factis convincitur esse hæreticus, etiamsi revera non sit hæreticus.* De crudelitate & miris fraudibus illorum inquisitorum vide tractatum Germanicum Ambergæ anno 1611. editum sub tit. *der tyrannischen Hispanischen Inquisition Heimlichkeiten* Joachimi Beringeri. Itemque librum Reginaldi Gonsalvii Montani, cujus titul. *Practicken der spanischen Inquisition* edit. Heidelb. anno 1569. Quæ omnia non christianum & spiritualem, sed antichristianum & carnalem zelum spirant. 5.) Si vero & pio salutis nostræ zelo flagrarent pontificii, eadem etiam media ad conversionem eligerent, quæ Christus & apostoli præscripserunt. Jam vero illis repudiatis ea capiunt, quæ Christus & apostoli prohibuerunt. Scripturæ ignorantia fons est erroris, teste Christo Matth. XII. 29. sed ipsi lectione scripturarum hominibus interdicunt, & argumentis *non ex Spiritus Sancti schola, sed ex carnificum officina* petitis, eos, quos errare dicunt, refellere conantur. 6.) Ad *exempla* quod adtinet a Bellarmino adducta, ab illis tantum distat Romanensium zelus in hæreticis occidendis, quantum distat summum cœlum ab infima terra.

Sæpe scelus cœli zelus velamine texit,
Religio velum est, quod tegit omne scelus.

Differunt enim primo, respectu *causæ efficientis impulsivæ*: Zelus Christi & sanctorum fuit bonus a Spiritu Dei excitatus, egerunt enim secundum legem & voluntatem Dei, ideo etiam fuit zelus secundum scientiam. Sic de Mathatia dicitur 1. Macc. II. 24. *Accensus est furor ejus secundum judicium legis.* Christus ejiciens e templo vendentes & ementes provocat ad vaticinia prophetarum Esa. LVI. 7. Jer. VII. 11. *Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Joh. II. 17. *Recordati sunt discipuli ejus, quia scriptum est* Psal. LXIX. 10. *Zelus domus tuæ comedit me.* Sed Romanensium zelus ex spiritu antichristiano, qui est mendax & homicida, Joh. VIII. 44. originem ducit, caret verbo Dei, ideoque etiam scientia, aliam enim rationem agendi cum hæreticis Christus & apostoli in nov. test. præscripserunt. Secundo ratione *causæ instrumentalis*: Christus templi profanatores non gladio, sed flagello punit. Petrus contra Ananiam & Saphiram verbo agit, qui manu Dei tacti per miraculum occubuere, Paulus clave ligante, non gladio feriente cum incestuoso agit. Ὀλεθρος σαρκὸς 1. Cor. V. 5. diversimode ab interpretibus exponitur; interim certum est, non posse mortem hujus incestuosi intelligi, quia acta pœnitentia receptus est in ecclesiam a Corinthiis 2. Cor. II. 7. Sed Romanenses igne & gladio agunt, nec speciali quodam miraculo, sed crudeli & communi spectaculo hæreticos, quos vocant, interficiunt. Tertio ratione *objecti*: Moses & Pineas impios, scortatores & homicidas occidunt. Christus templi profanatores flagellat. Petrus eos, qui Spiritui sancto mentiti erant, exitio tradit. Paulus incestuosum non hæreticum tractat. Pontificii eos, quos de hæresi suspectos habent, quamvis ab externis flagitiis penitus immunes sint, nec turbent civilem societatem, ad capitalia supplicia conquirunt.

§. CCCXXXI. Hæc de priore argumento ex Christi doctrina & praxi deducto sufficiant, cujus summa eo redit: Christus modum cum hæreticis agendi per supplicia capitalia diserte improbavit. Ergo is modus in ecclesia christiana nov. test. improbandus. Additmus igitur argumentum posterius ex contrario procedendi modo deductum, ubi sic concludimus: Quem modum cum hæreticis agendi Christus

præscripsit, eo in nov. test. contenti simus. Sed Christus talem agendi cum hæreticis modum præscripsit, ut ab *illis caveamus*, Matth. VII. 15. ut a *fermento* seu falsa doctrina ipsorum caveamus, Matth. XVI. 6. & 12. ut eos, qui semel atque iterum commoniti ecclesiam non audiunt, *pro ethnicis & publicanis habeamus*; Matth. XVIII. 17. jam vero de omnibus gentibus interficiendis Israëlitæ non habuerunt mandatum sicut de Cananæis. Quo etiam pertinet, quod discipulos suos ad evangelii prædicationem emittens verbo non ferro, chartis non lacertis, atramento non armamento rem peragere, & ecclesiæ limites propagare jubet, Matth. XXVIII. 19. ac civitates, quæ evangelium recipere recusant, deseri non deleri mandat, Matth. X, 14. Ergo eo cum hæreticis agendi modo in nov. test. contenti esse debemus. Si quis excipiat, *pertinere isthæc omnia ad privatos, interim tamen magistratum christianum posse gladium stringere adversus hæreticos*, ab eo requirimus, ut certo & evidenti aliquo scripturæ dicto probet, magistratui tale quid mandatum vel permissum esse. Quod adtinet generalem illam sententiam apostoli Rom. XIII. 4. *Magistratus non gerit gladium frustra*, ex ea, quo minus inferatur, capitali supplicio hæreticos, qua tales, adficiendos esse, obstant illa omnia, quæ pro nostra sententia stabilienda hactenus adduximus, & imposterum adducemus.

§. CCCXXXII. III.) B. Lutherus argumentum ducit ex cap. Johannis VI. Cum discipuli complures offensi concione Christi ab ipso discederent, Christus ad reliquos dicebat v. 67. *Numquid & vos vultis abire?* Ergo etiam ecclesia eodem modo agere debet, videlicet non cogere ad credendum, nec capitali supplicio in diversæ religionis sectatores animadvertere. Excipit Bellarminus 1.) *illos non obligosse se ad manendum, sicut hæretici se per baptismum obligaverant*: sed hoc frivolum est, quicunque enim Christo dat fidem, sive in baptismo sive extra baptismum, ipso actu se obligat ad manendum; jam vero qui hic abeunt, aliquamdiu Christum fuerant secuti, ipsique fidem dederant. Et quis patietur sibi persuaderi, illos, (si non omnes tamen aliquos ex ipsis) non fuisse a Johanne baptizatos, & per baptismum ad fidem Messiæ venturo dandam obligatos, cum *omnis Judæa & omnis regio circa Jordanem* ad ipsius baptismum exiisse dicatur Matth. III. 5. Quod si vel maxime non fuerunt baptizati, tamen fuere circumcisi, & in ipso circumcisionis sacramento fidem Messiæ dederunt, ac proinde ad manendum se obligarunt. 2.) *Decebat, ut Christus, qui venerat, non judicare, non per se suas injurias ulciscereturr, sed eas vindicandas filiis suis spiritualibus relinqueret, cujus rei figuram habemus in David, qui Simei occidi noluit, interim de eo occidendo Salomoni mandatum dedit.* Resp. ubi vero exstat mandatum de hæreticis occidendis ecclesiæ a Christo datum? contrariam potius prohibitionem adduximus ex Luc. IX. 56. ubi Christus modo plane contrario procedit: *Filius hominis* (inquit) *non venit ad perdendum animas, sed ad salvandum.* Ergo Samaritani non sunt a vobis apostolis filiis meis igne puniendi. Sed Bellarminus sic concludit: Pontifex & episcopi sunt filii Christi spirituales & apostolorum successores. Ergo curare debent, ut injuriæ Christo illatæ gladio in hæreticis vindicentur.

3.) *Ex Joh. VI. 67. Numquid & vos vultis abire?*

§. CCCXXXIII. Doctrinæ & praxi Christi ad amussim congruit *doctrina & praxis apostolorum.* Illi enim a Christo rectius edocti, & ab intempestivo suo zelo revocati non amplius de hæreticis e vita exstirpandis cogitarunt, neque magistratui, ut eos occiderent, auctores fuerunt, sed fugere hæreticos jusserunt, & correptionis ac exclusionis pœnam adversus ipsos sufficere judicarunt. Act. XX. 30. *Exsurgent fratres viri loquentes perversa*, v. 31. *propter quod vigilate.* Rom. XVI. 17. *Rogo σκοπεῖν, ut observetis eos, qui dissensiones & scandala excitant præter doctrinam,*

2.) *Ex doctrina & praxi apostolorum.*

nam, quam didicistis, ἐκκλίνατε, declinate ab illis. 1. Cor. V. 10. *Idololatris ne commiscearmini.* v. 11. *Si quis inter vos nominatur frater, & est idololatra, cum eo nec cibum sumite.* 1. Tim. VI. 3. & seqq. graphice depingit apostolus hæreticorum mores & facta, & addit v. 5. ἀφίσασο ἀπὸ τῶν τοιούτων, *sejungete ab his.* 2. Tim. II. 24. seqq. *Servum Domini non oportet μάχεσθαι, pugnare, sed mansuetum esse, & cum modestia corripere eos, qui resistunt, τὰς ἀντιδιατιθεμένους, si quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Tit. III. 10. *Hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem παραιτοῦ devita.* 2. Joh. v. 10. *Si quis venit ad vos, & non adfert hanc doctrinam, nolite eum recipere in domum, nec ave illi dixeritis*, v. 11. *qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Neve alicui in mentem veniret, gladio & ferro contra hæreticos pugnare, disertis verbis negat apostolus 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ nostræ esse carnalia*; proinde etiam carnalibus sive corporalibus armis non est contra hæreticos utendum. Optat sane idem apostolus, Gal. V. 12. illos, qui perturbaverant Galatas falsa doctrina ἀποκόπτεσθαι, *abscindi*, sed non intelligit abscissionem e terra viventium; sed spiritualem a corpore Christi abscissionem, hoc est, excommunicationem, & adsúdit ad nomen circumcisionis, quam illi præponere urgebant, unde etiam Phil. III. 2. illos vocat *concisionem.* 1. Tim. I. 20. Hymenæum & Alexandrum per excommunicationem *satanæ tradit* apostolus, sed corporalem pœnam infligi curat nullam. Ex quibus omnibus sic concludimus: Qui modus puniendi hæreticos non fuit ab apostolis probatus, sed potius correctus, ille in novo testam. merito repudiatur. Sed modus puniendi hæreticos per supplicia capitalia non fuit ab apostolis probatus, sed potius correctus. Ergo. Bellarminus excipit, 1.) *Paulum quidem non præcepisse, ut comburentur hæretici, interim tamen nec prohibuisse*; sed huic cavillo respondimus superius. Quos apostoli jubent vitare, & ab illis declinare, nec salutatione eos impertiri, illos oportet in vivis relinqui; oppido namque absurdum foret prohibere, ne quis conversetur cum illis, nec salutet eos, quos gladio occidi velit. Jam vero apostoli jubent hæreticos vitare, &c. 2.) *Apostolos non invocasse contra hæreticos brachium seculare, quia tunc nullus erat christianus princeps, quem invocarent, sed postquam imperatores & reges ad fidem christianam conversi sunt, tunc ecclesiam auxilium secularis brachii imploravisse.* Augustinus epist. L. *Resp.* de praxi ecclesiæ dicetur inferius; hoc loco illud monemus, non esse in quæstione, an magistratus ad fidem Christi conversi auxilium contra hæreticos orthodoxi implorare possint, quod libenter concedimus; sed an hæreticos capitali supplicio adficiendos magistratui tradere debeant, quod Augustinus nuspiam adserit, sed potius contrarium. 3.) Est, qui sic excipit: *Si correptionis & exclusionis pœna juxta doctrinæ apostolicæ præscriptum adversus hæreticos sufficit, magistratui ademta fuerit potestas coërcendi & puniendi hæreticos.* Resp. minime vero, siquidem non privatis duntaxat, sed publicis etiam personis, id est, in publico officio constitutis, adeoque omnium ordinum hominibus hoc dictum, ut *fugiant, declinent, seque separent ab hæreticis.* Privati ergo hæreticos sufficienter admonitos a communione convictus, ecclesiæ ministri a communione corporis ecclesiastici, magistratus a communione civilis societatis excludere, & lupos ab ovili Domini arcere possunt ac debent.

§. CCCXXXIV. *Alteram* argumentorum classem ducimus ex *rationibus*: I.) Quod conversioni & saluti errantium viam præcludit, illud merito in ecclesia christiana improbandum. Sed capitali supplicio in hæreticos

2.) *Ex rationibus.*

a.) *A conversionis & salutis præclusione.*

sævire conversioni & saluti eorum viam præcludit. Ergo. *Assumtum* patet tum ex verbis patrisfamilias, Matth. XIII, 29. per eradicationem

nem zizaniorum simul triticum eradicari contestantis, tum ex ipsa praxi. Multi enim hæretici per fidelem informationem & conversationem cum fidelibus ad agnitionem veritatis perveniunt, & ex diaboli laqueis resipiscunt, 2. Tim. II. 26. ad quam initio nullis rationibus permoveri potuerant. *Nonne sunt duodecim diei horæ*, inquit salvator Joh. XI. 9. ergo non statim de conversione & salute errantium desperandum, si vel maxime obstinatos sese præstent; possunt enim in hora undecima demum converti, qui in prioribus decem vocem Domini audire noluerunt. At quomodo de hæretici salute non desperat, quo pacto ad pœnitentiam eum provocat, qua ratione illius salutem se exoptare ostendit, qui magistratui eum necandum tradit? Si Christus Luc. IX. 55. permisisset, ut igne cœlitus delapso apostoli Samaritanos perdidissent, non potuisset postea Act. VIII. 14. Samaria recipere verbum Dei. Si Paulus persecutor inter hæreticos occisus fuisset, non habuisset ecclesia Paulum prædicatorem Act. VIII. 3. Si tempore Augustini Hispanica inquisitio in ecclesia locum habuisset, præclarum illud & fructuosissimum tritici granum evulsum & eradicatum fuisset, siquidem per novem annos Manichæorum errorum solio fuit repletus.

b.) *Ab alieni muneris invasione.*

§. CCCXXXV. II.) Ad fidem nemo cogi potest vel debet, ut demonstratum fuit superius. Requirit enim Deus *populum voluntarium* & cultum spontaneum, Psalm. CX. 3. *nec placent ipsi coacta servitia*: Levit. XIX. 5, *Cum sacrificaveritis sacrificium pacificorum Domino, ad voluntatem vestram* (sive secundum beneplacitum vestrum) *illud sacrificabitis*. Atqui in hæreticos usque ad mortem sævire, nihil aliud est, quam ad fidem cogere velle, & dominium in conscientias sibi arrogare, quod tamen soli Deo est relictum. Externa delicta externis pœnis coërceri possunt, sed interiores cogitationes & erroneæ opiniones non ferro & vi externa, sed pia informatione & contrariarum cogitationum instillatione corrigi atque emendari possunt. Testis locuples est experientia, coactionibus illis in negotio religionis parum fuisse profectum, quin & pessime utplurimum easdem cessisse. Qui enim violentis mediis ad religionis abjurationem coguntur, aut Epicuræi evadunt, quibus omnis religio est una religio, aut hypocritæ, qui pœnæ metu quidvis amplecti sese simulant, aut seditiosi, qui prætextu religionis tumultus excitant. Richardus in c. 10. refut. Alcor. *Potest quis cogi, ut ore confiteatur se credere, cor autem ad credendum cogi est impossibile.* Excipit Bellarminus, 1.) *fidem ita esse donum Dei, ut etiam sit actus liberi arbitrii, alioquin etiam castitas, & ceteræ virtutes sunt dona Dei, & tamen recte puniuntur adulteri, homicidæ, latrones, & coguntur caste ac juste vivere. Sapientia quoque est donum Dei, & tamen scriptum est Prov. XXIX. virga & correptio tribuunt sapientiam. Denique fides est donum Dei, sed Deus hoc donum conservat variis modis, quorum unus est correptio.* Resp. a correptione ecclesiastica & politica ad capitale supplicium non valet consequentia, quia proceditur a non distributo ad distributum. Corripiendos esse errantes in fide, concedimus, sed capitali supplicio adficiendos esse, negamus. Fidem esse liberi arbitrii actum ambigue dicitur; vel enim intelligitur hoc sensu, quod fides sit opus virium naturalium, vel quod volentes credamus, Spiritu sancto scilicet voluntatem efficaciter movente, inclinante & novis spiritualibus viribus instruente: priori sensu hanc phrasin negamus, posteriori concedimus, & ex eo inferimus, quia nemo cogi potest, ut credat invitus, ideo coactione externa nihil quidquam proficitur. Homicidia, adulteria, latrocinia, &c. sunt delicta externa, ideoque etiam pœnis externis capitalibus possunt coërceri; sed hæresis est delictum animi interius, ideoque pœnis externis capitalibus emendari & corrigi nequit. 2.) *Liberum accipitur duobus modis, primo ab obligatione, & sic fides in iis, qui eam nunquam receperunt, libera est ab obligatione juris humani, sed non divini, & ideo homines non cogunt*

cogunt, Deus tamen puniet; at in iis, qui eam in baptismo professi sunt, non est libera ab obligatione, nec juris divini, nec humani, & ideo cogunt homines, ut ea fervetur: secundo sumitur liberum, ut distinguitur contra necessarium, quæ libertas non impedit, quin homines male agentes puniantur, &c. Resp. falsa est illa distinctio, quod ii, qui veram fidem non sunt amplexi, non sint cogendi; illi vero, qui in baptismo eam professi, sed jam ab ea defecerunt, cogendi sint, ut fidem fervent. Contrarium aliquot argumentis ostendimus superius, ac si quid dandum hac in parte discriminis, ex parabola Luc. XIV. 17. plane contrarium colligi posset; ibi enim qui jam erant intra civitatem Dei, puta *Judæi*, per circumcisionem in ecclesiam recepti humaniter ad cœnam magnam invitantur: sed qui in viis ac circa sepes extra civitatis pomœria vagabundi oberrant, intrare *compelluntur*. Cæterum duplex est illa compulsio ac coactio: *primo*, alia *ecclesiastica* seu spiritualis, qua conciones legales exaggerantur, pœnarum comminationes inculcantur, gravitas delicti, violati scilicet fœderis cum Deo prius initi, justo zelo taxatur, hanc ab ecclesiæ ministris adhibendam facile concedimus; alia *politica* sive civilis, quæ fit gladio magistratus, eam contra hæreticos adhibendam negamus, nec poterit Bellarminus contrarium ex eo demonstrare, quod hæretici fidem in baptismi fœdere Deo dederint, ideoque ad eam servandam capitalibus suppliciis cogendi, nemo hominum aciem gladii effugere poterit. *Deinde* alia coactio fit *ad fidem*, alia *ad fidei media*, auditum scilicet verbi divini; illa non potest obtineri, ergo nec debet suscipi, hæc vero pii magistratus vigilantia obtineri potest. 3.) *Terroribus & suppliciis hæreticorum aliquid profici, experientia teste comprobatur, quia Donatistæ, Manichæi & Albigenses armis profligati & exstincti sunt, & Augustinus epist. XLVIII. testatur, plurimos conversos suo tempore ob metum pœnæ.* R sp violentis illis mediis animi hominum a religione magis abalienantur, seditionibus occasio præbetur, & hypocrisis vel epicuræa securitas introducitur, ut multis exemplis demonstrari potest. Facili negotio fieri potest, ut diversæ religionis adsectæ violentis mediis ad nostram compulsi mutata rerum facie simili crudelitate conversores, vel potius persecutores suos tractent, ac sub prætextu religionis sanguinolenta bella excitent. Schoppius in Scalig. hypobol. pag. 321. excipit, 1.) *Christum Joh. VI. 44. asserere, quod nemo ad se veniat, nisi pater traxerit ipsum. Ergo coactiones illas non esse improbandas.* Resp. magnum discrimen est inter tractionem Dei internam, & vim magistratus capitalia supplicia irrogantis externam. Trahit Deus mentem interius illuminando, voluntatem efficaciter flectendo, hacque ratione ex nolente volentem efficiendo, unde statim additur v. 45. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Sed magistratus externa violentia nihil aliud impetrat, quam ut externis actibus & verbis in ore natis se amplecti simulent, quod corde aversantur ac detestantur. 2.) *Non tam ad fidem quam solicitudinem fidei coactionem fieri, ac stolidiores in errore non tantum correptione, sed centum plagis, id est, pœnis ac incommodis compescendos esse.* Resp. ad fidei solicitudinem & erroris correctionem media legitima sunt adhibenda, videlicet diligens informatio, solida errorum refutatio, ad sedulum verbi auditum adhortatio, &c. capitalibus autem suppliciis non errantium correctio, sed eorum excidium quæritur.

§. CCCXXXVI. III.) Capitalia supplicia delictis corporalibus gravioribus, publicam humanæ societatis tranquillitatem destruentibus, debentur. Sed hæresis non est delictum aliquod corporale, publicam humanæ societatis tranquillitatem destruens, nisi seditio adversus magistratum accedat, sed est delictum spirituale. Ergo non est capitali supplicio punienda. Claudius Lysias Felici præsidi scribit Act. XXIII. 27. *Virum hunc* (Paulum apostolum) *comprehensum a Judæis*, (tanquam

c.) *A culpæ & pœnæ proportione.*

quam hæreticum pessimum) & *cupientem interfici ab eis*, μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, *superveniens cum exercitu eripui, cognito quod Romanus est*; v. 28. *volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in concilium eorum*, v. 29. *quem inveni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum vero dignum morte aut vinculis habentem crimen.* Refert Cornelius Tacitus, Tiberium dicere fuisse solitum, *deorum injurias diis curæ esse*, cum quo congruit illud imperatoris Alexandri l. 2. C. de reb. cred. *Jurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet.* Harmen. l. 1. ep. tit. 7. de jurejur. inquit: *Nemo, qui per Deum pejeraverit, periclitatur, satis enim Deum ultorem habet jurisjurandi per Deum præstiti contemta religio.* Vide Cujac. l. II. observ. 19. Don. de jurejur. c. 9. Pari ratione de hæresi loquens Theodosius imperator l. 1. C. *de summ. Trinit.* mentionem facit *vindictæ divinæ*, ac licet addat, *post etiam motus nostri*, tamen iis minæ potius, quam pœnæ continentur, tunc enim non erant certæ hæreticorum pœnæ legibus comprehensæ, ut constat ex tit. C. *de hæretic.* in quo continentur quidem variæ hæreticorum pœnæ, sed omnes introductæ per imperatores Theodosio posteriores Giphan. in comm. ad l. 1. C. *de summ. Trin.* Huc referri etiam potest illud Cypriani contra Demetrium: *Si quid diis tuis nominis & potestatis est, ipsi in ultionem suam surgent, ipsi se majestate sua defendent. Si se de non colentibus vindicare non possunt, quid colentibus præstare poterunt? Nam si eo qui vindicatur, pluris est illi, qui vindicat, tu diis tuis major es: si autem iis, quos colis, major es, non tu illos colere, sed ab iis coli debes, pudeat te eos colere, quos ipse defendis, pudeat tutelam ab ipsis sperare, quos tu tueris.* Similia apud Lactantium & Arnobium contra ethnicos persecutores dicta occurrunt.

d.) *Ab antichristi propria persecutione.*

§. CCCXXXVII. IV.) Sævire in hæreticos usque ad sanguinem, est hæreticum & antichristianum. Ergo ecclesia christiana ab eo debet abstinere. *Antecedentis* membrum prius probatur ex vulgato illo Augustini lib. III. contra Crescon. grammat. c. 50. *Nullis bonis in catholica placet, si usque ad mortem in quemquam, licet hæreticum, sæviatur;* & ex praxi hæreticorum. Tripartita hist. lib. XII. cap. 4. de Nestorio commemorat, quod in prima sua inauguratione ad archiepiscopatum Constantinopolitanum imperatori dixerit: *Da mihi, o imperator, terram ab hæreticis liberam, & ego cælum tibi reddam, tu mihi hæreticos exstirpa, & ego Persis delendis adero.* Ariani, Donatistæ, Eutychiani, &c. summa crudelitate orthodoxos sunt persecuti. Eudoxius Arianus imperatorem Valentem Arianum juramento adstrinxit ad defensionem Arianæ hæreseos, & exstirpationem diversum statuentium per gladium, & quævis tormenta. Dioscorus, cum defensionem Eutychianismi suscepisset, orthodoxos episcopos stipatis militibus ad subscriptionem coëgit. Turca in alcorano mandat interfici eos, qui legi suæ obedire recusant, inde recte dicitur can. 13. caus. 23. q. 4. *Nunquam spiritualis carnalem persequitur, sed carnalis spiritualem.* Posterius membrum constat ex descriptione crudelitatis & tyrannidis ab antichristo exspectandæ. Dan. VIII. 24. sub typo Antiochi de ipso dicitur: *Interficiet robustos & populum sanctorum*, c. XI. 41. *multi corruent*, v. 44. *interficiet plurimos.* Apoc. XI. 7. *Bestia faciet adversus testes Dei bellum, & vincet illos, & occidet eos.* c. XIII. 15. *Faciet, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.* c. XVII. 6. *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu*; quæ omnia de antichristo illo magno, *perditionis filio* 2. Thess. II. 3. loquuntur. Quando igitur papani prætextu religionis tot sanguinum rivos effundunt, re ipsa probant se esse antichristianos.

e.) *A contraria ecclesiasticæ mansuetudinis conditione.*

§. CCCXXXVIII. Pugnat cum mansuetudine, qua ecclesia nov. test. propagari debet, hæreticorum interfectio. Ergo merito

est

est improbanda. Pulcre Chrisloph. Agricola in propugn. antipist. p. 34. *Ecclesia Christi non sitit sanguinem, quia sponsus ejus est agnus.* Excipit Bellarminus, *non esse hoc contra mansuetudinem ecclesiæ, quia tenetur misereri filiorum suorum, & tunc vere immitis & crudelis esset, si mallet parcere lupis quam ovibus: deinde, quia ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset, ut patet ex variis legibus antiquiorum imperatorum in C. de hæres.* Resp. non dicimus, capitalia supplicia absolute & simpliciter cum ecclesiæ mansuetudine pugnare, quia facinorosorum supplicia non pugnant cum magistratus christiani mansuetudine, nec dicimus, quasvis hæreticorum coërcitiones cum mansuetudine ecclesiæ pugnare; sed hoc dicimus, hæreticorum capitalia supplicia pugnare cum mansuetudine ecclesiæ christianæ in nov. test. cujus adsertionis rationem petimus ex vaticiniis propheticis de modo propagandæ ecclesiæ in nov. test. & ex differentia status vet. ac nov. test. ab ipso Christo in hac quæstione monstrata. Luc. IX. 54. Quod Bellarminus adserit, *ecclesiam omnes alias rationes prius expertam fuisse, antequam ad ultimum supplicium inferendum descenderet*, id probe notare jubemus; ex eo enim manifeste colligitur, ecclesiæ primitivæ, apostolorum temporibus viciniori, non fuisse in more positum hæreticos capitaliter punire, tandem vero cum antichristianorum errorum semina in ecclesia spargerentur, etiam hoc lolium succrescere simul cœpit. Et quid multis? Bellarminus ipse fatetur cap. 21. probat 4. *Augustinum existimasse, pugnare cum ecclesiæ mansuetudine hæreticorum occisionem.* Ergo ipsius opinio ab Augustini sententia hac in parte plurimum distat.

1) *Ab incommodorum consecutione.*

§. CCCXXXIX. VI.) Ex violentis illis hæreticorum persecutionibus multa oriuntur *incommoda*: 1.) Sub prætextu inquisitionis in hæreticam pravitatem sæpius innocentes e medio tolluntur, ex judicum, vel delatorum, vel testium, avaritia, invidia, aliisque adfectibus perversis. Vide historiam lanienæ Parisiensis & inquisitionis Hispanicæ. 2.) Pereunt, qui successu temporis ad veritatis agnitionem perduci poterant. 3.) Multi ex hæreticorum pertinacia ad hæresin inflammantur. 4.) Bella, seditiones & cædes excitantur, ut constat exemplo Arianorum in ecclesia orientali, Vandalorum in Africa, Gothorum in Italia, &c. Ariani cum a christianis imperatoribus orthodoxis duriora essent perpessi, mox alium & suæ quidem hæresi addictum imperatorem nacti eadem orthodoxis iterum intulerunt. 5.) Nec omnes magistratus certamina ecclesiæ intelligunt, nec satis diligenter ea expendunt; facile igitur fieri potest, ut prætextu religionis in homines innocentes sæviatur. 6.) Armamus contra nos ipsos antichristum, cujus proprium est bello & armis, igne & gladio sævire adversus eos, qui ab ipso secessionem fecerunt. Vide anonym. defens. Lutheri contra Parisienses pag. 92. & sequentib. ubi singula membra latius deducuntur. 7.) Sævitur in eos, de quibus nondum constat, *an vere & proprie loquendo sint hæretici*; nam ad hæreticum proprie sic dictum requiritur, ut sit αὐτοκατάκριτος. At nemo scire potest, an ex infirmitate erret, an contra conscientiæ testimonium.

3.) *Ex primitivæ ecclesiæ consensu.*
a.) *Ex patrum testimoniis.*

§. CCCXL. *Tertiam* argumentorum classem pro confirmanda nostra sententia deducimus ex *ecclesiæ primitivæ consensu*, videlicet 1.) ex *patrum testimoniis*; 2.) ex *conciliorum definitionibus*; 3.) ex *ipsa ecclesiæ praxi.* I.) Patrum testimonia revocamus ad has classes: 1.) Negant religionem cæde & sanguinis effusione propagandam. Dicta illa citavimus superius in quæstione: *An magistratus subditos ad fidem cogere debeat?* Hoc loco addimus quædam testimonia ex b. Luthero, in quibus idem cum patribus istis adserit: tom. II. Jen. Germ. fol. 180. *Weltliche Obrigkeit soll zufrieden seyn, und ihres Dinges warten, und lassen*

laſſen glauben ſonſt oder ſo, wie man kan und will, und niemand mit Gewalt dringen, dann es iſt ein frey Werk um den Glauben, dazu man niemand ſoll zwingen, ja es iſt ein göttlich Werk im Geiſt, geſchweige dann, daſs es äuſſerliche Gewalt ſollte erzwingen. f. 348. *Es ſtehet in der Legenda S. Johannis: Non placent Deo coacta ſervitia; und wann ſchon das dieſelbe Legenda nicht ſagte, ſo halten es doch alle Schriften in ſich.* Tom. IV. Jenenſ. Germ. f. 408. *Man ſoll ja einen jeden glauben laſſen, was er wolle, glaubt er unrecht, ſo hat er genug Strafe am ewigen Feur in der Hölle, warum will man ſie dann zeitlich martern, ſo fern ſie am Glauben irren, und nicht darneben aufrühriſch, oder ſonſt der Obrigkeit widerſtreben, mit der Schrift und GOttes Wort ſoll man ihnen wehren und widerſtreben, mit Feuer wird man wenig ausrichten.* Tom. VII. fol. 144. *Es iſt nicht Evangeliſch noch Chriſtlich, mit Verfolgung wider die Ketzer zu fechten.* 2.) Negant pœnam hæreticorum usque ad capitale ſupplicium extendendam. Auguſtinus lib. III. contra Creſc. cap. 50. in princ. *Nullis bonis in catholica hoc placet, ſi usque ad mortem in quemquam, licet hæreticum, ſæviatur.* In epiſt. CXXVII. ad Donatum proconſulem de Donatiſtis: *Corrigi eos cupimus, non necari, nec diſciplinam circa illos negligi volumus, nec ſuppliciis, quibus digni ſunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint, quos peccaſſe pœniteat. Quæſumus igitur, ut cum eccleſiæ cauſas audias, quamlibet nefariis injuriis adpetitam vel adfictam eſſe cognoveris, poteſtatem occidendi te habere obliviſcaris, & petitionem noſtram non obliviſcaris. Non tibi vile ſit, neque contemtibile, quod vos rogamus, ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur.* Et poſtea: *Etiam occiſi ab illis eligemus, quam quam eos occidendos veſtris judiciis ingeramus.* Epiſt. CLVIII. ad Marcell. *Pœna ſane illorum* (Donatiſtarum) *quamvis de tantis ſceleribus confeſſorum, rogo te, ut præter ſupplicium mortis ſit, & propter conſcientiam noſtram, & propter catholicam manſuetudinem commendandam.* (*) Lib. I. contra literas Petiliani cap. 29. in princ. *Diligite homines, interficite errores, ſine ſævitate pro veritate certate.* Excipiunt, *Auguſtinum hanc ſuam ſententiam revocaſſe* libro II. retract. cap. 5. & in epiſt. XLVIII. & L. Reſp. opinionem de impunitate hæreticis concedenda revocavit, ac magiſtratus officio eosdem coërcendos eſſe judicavit, ſic enim habent verba libro II. retract. cap. 5. *In primo libro contra Donatiſtas dixi, mihi non placere, ullius ſecularis poteſtatis impetu ſchiſmaticos ad communionem violenter arctari, quod vere mihi tunc non placebat; quia nondum expertus eram, vel quantum mali auderet eorum impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferri poſſet diligentia diſciplinæ.* Sed capitis ſupplicium illis irrogandum eſſe, nunquam adſeruit, quin potius pro mitiori ipſorum pœna apud judices interceſſit, ut conſtat ex epiſtola L. Agnoſcere id ipſum cogitur Bellarminus libro III. de laicis cap. 21. argum. 4. *Auguſtinus*, inquit, *retractat, quod aliquando ſenſerat, non eſſe vi cogendos hæreticos ad fidem, & prolixe probat id utiliſſimum, ſemper tamen excipit ſupplicium mortis, non quod illos hoc non mereri putaret, ſed tum quia hoc decere eccleſiæ manſuetudinem exiſtimabat, tum etiam quia nondum ulla exſtabat lex imperatorum, qua hæretici juberentur occidi.* Chryſoſtomus hom. XLVII. in Matth. XIII. *Non*

(*) Idem tom. VI. contra ep. Fundam. c. 2. *Illi ſæviant in vos, qui neſciunt, quo cum labore verum inveniatur, & quam difficulter caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit, carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quantis gemitibus & ſuſpiriis fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Poſtremo illi in vos ſæviant, qui nullo tali errore decepti ſunt, quali vos deceptos vident. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quia ſicut me ipſum illo tempore, ita vos nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem.* GERHARDVS.

Non prohibet Dominus conciliabula haereticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concidere, verum prohibet interficere ac trucidare. Idem in serm. de anathem. *Haereticis satisfieri oportebat sermone redarguente errorem, qui increduerit. Doce, ait, in lenitate erudiens eos, qui obsistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam veritatem.* Et postea: *Oro vos, ne hæc verba mente vobis excidant. Dogmata impia, & quæ ab hæreticis profecta sunt, arguere oportet & anathematizare, hominibus autem parcendum, & pro salute ipsorum orandum.* 3.) Cum ecclesiæ christianæ mansuetudine hæreticorum occisionem & persecutionem pugnare adserunt. Hilarius in libro ad Auxentium pag. 294. *Misereri licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi ecclesiam ambitione seculari laboratur, &c. Nunc proh dolor, divinam fidem suffragia terrena commendant: terret exsiliis & carceribus ecclesia, credi sibi cogit, quæ exsiliis & carceribus est credita, fugat sacerdotes, quæ fugatis sacerdotibus est propagata.* (*) Chrysostomus homil. XII. ad Ephes. *Sermonis nobis doctrina commendata est, non principatus, non potestatis auctoritas. Ordinem tenemus consulentium: qui consulit; non cogit. In hoc culpabilis, si non quae decent & oportet, pastor dixerit. Est enim fides ex auditu, non a violenta coactione.* Homil. LXVII. ad popul. Antiochen. Αἱμάτων δεῖ γέμειν τὸν τῆ χριστιανῆ βίον, αἱμάτων ἐπ ἐν τῷ τὰ ἀλλότρια ἐκχεῖν, ἀλλὰ ἐν τῷ ἑτοιμον εἶναι τὸ ἑαυτῆ ἐκχεῖν. Augustinus epist. 160. ad Apringium judicem: *De vobis quidem dixisse apostolum legimus, quod non sine causa gladium geratis, & ministri Dei sitis, vindices in eos, qui male agunt; sed alia causa est provinciae, alia ecclesiae. Illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Ambrosius ab Arianis lacessitus, *dolere*, inquit, *potero, potero flere, potero gemere; adversus arma, milites, Gothos quoque lachrymae meae arma sunt, talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* Nazianzenus serm. III. de pace: *Ad manus venire, penitus ab ovili Christi alienum, & illis, qui nos odio habent, relinquendum.* Arnobius libr. I. contra gentes p. 14. *Christi magisterio & legibus accepimus, nostrum potius fundere, quam alieno polluere manus & conscientiam cruore.* 4.) Conversionem hæreticorum exspectandam esse admonent. Chrysostomus hom. XLVII. in Matth. *Si prævenientes zizania evelletis, ea frumenta deperibunt, quæ a commutatis zizaniis provenirent.* Hieronymus in cap. 2. Oseæ in princ. *O homines tribus Juda, nolite desperare decem tribuum salutem, sed eam quotidie & sermone, & voto, & per literas ad pœnitentiam provocate, &c. Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus desperemus, sed provocemus ad pœnitentiam, & illorum salutem germanitatis optemus affectu.* Augustinus de baptism. contra Donatist. lib. IV. cap. 3. circa med. *Multi, qui aperte foris sunt, & haeretici adpellantur, multis & bonis catholicis meliores sunt. Quid enim sint hodie, videmus: quid eras futuri sunt, ignoramus.* 5.) Contra hæreses, utpote delictum spirituale, arma spiritualia adhibenda esse præcipiunt. Hieronymus in præfat. lib. IV. comm. in Esaiam: *Superbissimam haeresin spirituali mucrone truncemus.* 6.) Soli Deo exstirpationem hæreticorum relictam esse adseverant. Cyprianus libro III. epist. III. ad Maximum Vrbanum, Sido-

(*) Cum fervidior episcopus Theodosius hæreticos urbe & agris pelleret, *contra morem ecclesiae orthodoxae hoc fuisse, quae neminem persequi consueverit*, Socrates libr. VII. cap. 3. testatur. Constantinus imperator, apud Eusebium libro de vit. Constant. cap. 38. *Vt summae dementiae est, eorum, qui in religiosis controversiis a vero discedunt, fidem dolere: sic hominibus cum mente capti sint, paenas*

infligere extremae dementiae & insciliae est. Tempore Ambrosii & Martini damnati sunt ecclesiae judicio episcopi, qui, ut in Priscillianum & complices hæreticos gladio animadverteretur, curaverant, reliquis orthodoxis cum ipsis communicare nolentibus: & in Oriente damnata fuit synodus, quæ in Bogomili exustionem consenserat. GERHARDVS.

Sidonium & Macarium circa finem: *Apostolus in epistola sua scribit*: In domo autem magna non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam vero inhonorata. *Nos operam demus, & quantum possumus, laboremus, ut vas aureum vel argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest major Domino suo servus, neque quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vindicare potest, ut putet, aut ad aream ventilandam & purgandam paleam ferre, se jam posse, aut a frumento universa zizania humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio & sacrilega præsumtio, quam sibi furor pravus adsumit, & dum dominium sibi semper quidam plus, quam mitis justitia deposcit, adsumunt, de ecclesia pereunt.* Augustinus lib. de fide & operibus cap. 4. *Quidam intuentes præcepta severitatis* (quibus admonemur *corripere inquietos, non dare sanctum canibus, ut ethnicum habere ecclesiæ contemtorem, a compage corporis membrum, quod scandalizat, avellere*) *ita perturbant ecclesiæ pacem, ut conentur ante tempus separare se a zizania, atque hoc errore excæcati ipsi potius a Christi unitate separantur.* 7.) Hæreticorum proprium esse testantur, occidendo religionem suam propagare. Athanasius in epist. ad solit. vitam agentes, de Arianis sic scribit: *Invitos ad mutationem sententiæ coëgerunt, quod hominum minime est suæ causæ confidentium, non enim gladiis, aut jaculis, aut militari manu veritas prædicatur, sed suadendo & consulendo. Quæ autem ibi suadendi libertas aut consulendi ratio, ubi qui contradicit, pro mercede aut exsilium aut mortem reportat?* Ibidem: *Nova autem ista & exsecrabilis hæresis, cum rationibus obruitur, cum ipsa veritate pudefacta concidit, quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusque ad se pertrahere nititur, atque ita se ipsam, quam non sit pia & cultrix Dei, manifestat.* Hieronymus in Galat. IV. *Qui secundum carnem natus erat, persequebatur spiritualem, nunquam enim spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei, sciens per tempus adhuc eum proficere posse.* 8.) Hæreticos potius commiseratione, quam supplicio dignos esse censent. Augustinus contra epist. Fundament. c. 2. *Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quam rarum & arduum sit, carnalia phantasmata piae mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quanta difficultate sanetur oculus hominis interioris, ut possit intueri solem suum, &c. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus. Postremo illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident.* Constantinus apud Eusebium lib. I. de vita Constant. c. 38. *Vt summae clementiae est eorum* (qui in religione diversum sentiunt) *fidem dolere, sic hominibus cum mente capti sunt, pœnas infligere, extremae dementiae est & insolitae.*

§. CCCXLI. II.) Ex *conciliis*: Nullum ex antiquitate proferri potest concilium, in quo statutum fuerit, hæreticos occidendos esse. In concilio Constantiensi anno 1415. demum hoc statutum, quando Johannem Huss & Hieronymum Pragensem synagoga antichristi contra datam ab imperatore Sigismundo fidem propter crimen hæreseos ipsis intentatum flammis adjudicavit. Quatuor illa potiora œcumenica concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense damnarunt Arium, Macedonium, Nestorium, & Eutychetem, eosque ex ecclesia Dei excluserunt, sed non fuerunt auctores christianis imperatoribus, ut e medio illos tollerent. Concilium Toletanum IV. can. 56. statuit, *nemini ad credendum vim inferendam esse, cum Deus misereatur, cujus velit misereri, & induret, quem velit indurari.* b.) *Ex conciliis.*

§. CCCXLII.

c.) *Ex praxi.* §. CCCXLII. Ex *primitivae ecclesiae praxi:* Hæresiarchas illos Arium, Macedonium, Nestorium & Eutychetem, cum legitime ex scripturis convicti ab hæresibus suis recedere nollent, ex ecclesia Dei exclusos, & in exsilium pulsos legimus, sed a christianis imperatoribus ad supplicium esse raptos, nuspiam legimus. Cum concilium Nicænum Arium anathemate percussisset, & ex ecclesia Alexandriæ ejecisset, atque multi alii auctores imperatori Constantino magno fuissent, ut impietatem dogmatis morte auctoris expiaret; christianissimus tamen imperator a sanguine abstinuit, & publico edicto ad exsilium illum condemnavit. Socrates lib. I. hist. eccl. cap. 8. Ejusdem imperatoris de religionis libertate constitutionem memorat Eusebius libro X. histor. eccles. cap. 5. *Jam olim quidem* (inquit) *considerantes non esse religionis libertatem prohibendam, sed uniuscujusque animo ac voluntati facultatem tribuendam, res suas pro voto suo quemlibet curare, & christianis haereseos ac religionis suae fidem custodire jussimus.* Et postea: *Et nunc igitur libere ac firmiter quisquis hanc voluntate habet, ut christianorum voluntatem servet, hoc ipsum sine omni molestia faciat.* Tandem addit hujus suæ constitutionis rationem: *Quia id tranquillitati nostrorum temporum conducere manifestum est.* Theodosius & Valentinianus cum aliquamdiu Nestorii furorem tolerassent, tandem ipsum in concilio Ephesino legitime damnatum in exsilium miserunt. Valentinianum imperatorem cum episcopi Ariani in oriente solicitarent ad persequendum eos, qui Nicænæ fidei symbolum retinebant, indignabundus illis respondit, *iniquе ipsos petere, ut imperatoria sua potestate hoc modo abutatur.* Nicephorus lib. XI. hist. eccl. cap. 30. De eodem imperatore commemorat Ammianus lib XX. ipsum hoc *moderamine principatus inclaruisse, quod inter religionum diversitatem medius steterit, nec quemque inquietaverit, nec interdictis minacibus subditorum cervices ad id, quod ipse colebat, inclinarit, sed has partes intemeratas reliquerit.* Gratianus imperator religionibus inter se variantibus in christianismo libertatem dedit, *ut quam quisque religionem sequi vellet, sine periculo vitae eligeret.* Socrates lib. V. hist. cap. 4. Nicephorus lib. XII. hist. cap. 1. Constantius imperator Arianus ad intercessionem Hilarii Athanasium, episcopum orthodoxum Alexandrinæ ecclesiæ restituit, hac conditione, ut Ariani ibidem ecclesiam etiam tenerent, ipse contra facultatem christianis dedit, ut in urbe Antiochena liberum haberent religionis suæ exercitium. Theodoretus libro II. eccl. hist. cap. XII. Sozomenus libro III. hist. cap. 20. Bellarminus opponit contraria exempla, ut *Priscilliani haeresiarchae a Maximo christiano imperatore occisi, Donatistarum, Basilii Magi Romae combusti, Bogomilis, Albigensium, Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis Constantiae* exustorum. Sed hæc exempla sunt dissimilia, *Donatistae* hæresi alia scelera, præsertim seditiones & ecclesiæ persecutionem conjunxerunt, ut constat ex epist. LXVIII. Augustini, *Basilius* fuit magus. *Priscilliani* supplicium improbat Martinus apud Sulpitium libr. II. histor. sacræ; *Donatistarum* Augustinus; *eorum, qui tempore Bernhardi supplicio capitali* adfecti, ipse Bernhardus serm. LXVI. in cant. Johannes Huss & Hieronymus Pragensis non fuere ex scripturis legitime convicti. Et quid multis? recolat Bellarminus sua verba in hoc ipso capite §. argument. 16. *Ecclesia experta est omnes alias rationes, antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset, nam initio solum eos excommunicabat, deinde videns hoc non sufficere, addidit poenam pecuniariam, tum amissionem bonorum, postea exsilium, tandem huc devenit, ut satis patet ex variis legibus antiquiorum imperatorum.* Ergo in primitiva ecclesia non fuit usitatum supplicio capitali in hæreticos animadvertere.

4.) *Ex adversariorum suffragio.* §. CCCXLIII. *Quartam* argumentorum classem deducimus ex *ipsis adversariis* tam pontificiis quam Calvinianis. *Pontificiorum* quorumdam

dam consensum petimus. 1.) Ex *jure canonico*: cap. Quid autem. dist. 45. *Nova atque inaudita prædicatio est, quæ verberibus fidem exigit.* cap. Qui sincera dist. eod. *Qui sincera intentione extraneos a christiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis debent non asperitatibus studere, ne, quorum mentem reddita ratio ad planum poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos sub hoc velamine a consueta ritus sui voluerint cultura removere, suos illic magis, quam Dei causas probantur adtendere.* cap. de Judæis dist. eod. *De Judæis præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri; cui enim vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat, non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ.* Excipit Bellarminus, *esse magnam differentiam inter Judæos & hæreticos*: 1.) *Judæi nunquam susceperunt fidem christianam, hæretici suscepérunt.* Resp. ex parabola Christi Luc. XIV. ostendimus, non posse nec debere capitalium suppliciorum vel compulsionis respectu talem differentiam inter hæreticos & infideles statui. Præterea Judæi in suis majoribus receperunt fidem christianam, quia fides Israëlitica in vet. test. fuit eadem, quoad substantialia, cum fide christiana in nov. test. 2.) *Judæi religionem colunt, quam Deus instituit saltem pro tempore, hæretici eam, quam diabolus invenit.* Resp. quam religionem hodie colunt Judæi, eam Deus nunquam instituit, exspectant Messiam, qui jamdum venit; falsum Messiam exspectant, verum conviciis & blasphemiis proscindunt; cerimonias colunt, quæ cum vet. test. sunt sublatæ; traditiones & superstitiones a Deo damnatas observant; legem moralem de externa duntaxat obedientia pharisaice interpretantur, &c. Merito igitur hic urgemus pontificios, & quærimus ex illis, cur tolerent Judæorum synagogas, in quibus Christus salvator, b. Maria virgo, & christiana religio blasphemantur; interim tolerare nolint Augustanæ confessionis socios, qui symbolum apostolorum recipiunt, & in omnibus controversiis unice ad scripturas provocant, atque ex illis errores, si quos habere videantur, refelli & hæreseos convinci petunt. 3.) *Secta Judæorum utilis est ecclesiæ, quia eorum libri sunt prophetiæ nostrarum rerum, & eorum cerimoniæ figuræ nostrorum mysteriorum.* Resp. etiam hæreses ecclesiæ emolumentum aliquod, ex accidenti tamen, præstant. 1. Cor. XI. 19. *Oportet esse hæreses, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Hæretici exercent ecclesiæ *sapientiam*, Tyranni & persecutores ejusdem *patientiam*. Augustinus lib. XVI. de civ. Dei. cap. 2. non longe a principio: *Multa ad catholicam fidem pertinentia dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab adversario mota quæstio discendi exitit occasio.* Lib. de vera religione c. 26. *Si hæretici non essent, multo pigrius quæreretur veritas.* Bellarminus in hoc ipso cap. resp. ad arg. 5. *Tametsi hæretici videntur ecclesiæ nocere, tamen revera non nocent, sed eam exercent, & in sapientia ac patientia proficere faciunt.* 4.) *Judæi non conantur pervertere christianos ut primum, sicut faciunt hæretici.* Resp. eccur igitur opus fuit imperatoriis illis legibus, in quibus proscriptione bonorum & sanguinis etiam pœna christianum ad suam religionem pertrahere Judæi prohibentur. l. 16. 17. & 18. C. *de Judæis & cælicolis.* Hisce juris canonici capitulis de Judæis tolerandis, conjungimus etiam, in quibus violentæ persecutiones & capitalia supplicia adversus errantes improbantur. cap. Tres personas caus. 23. q. 4. *Ecce quod mali tolerandi sunt, nec corporali, sed spirituali vindicta sunt puniendi, unde cum discipuli non recepti a Samaritanis ignem cælitus super eos deducere voluerunt, dicentes magistro: Vis, dicamus, ut descendat ignis de cælo, & consumat eos? audierunt: Nescitis, cujus spiritus estis.* c. 2. Qui secundum caus. & q. iisdem: *Nunquam spiritualis carnalem persequitur, scit eum proficere posse per tempus, & si quando Ægyptia filium viderit irascentem, recordabitur*

tur unius patris, qui boves creavit & culices, & in magna domo non solum esse vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia voluit. cap. His a quib. caus. ead. q. 8. *Episcopis judicium sanguinis agitare non licet, &c. nec indiserete præsumtionis motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant, aut per se inferant membrorum truncationes, quibuslibet personis, aut inferendas præcipiant.*

§. CCCXLIV. Ex *scriptis recentiorum*: Senatus parlamenti Parisiensis ad regem Galliæ & Andreæ Philopatris presbyteri Romani responsum ad reginæ Anglicæ edictum adduximus superius in quæstione: *An magistratus subditos ad fidem cogere debeat?* Idem Philopater in eodem responso inter cætera sic scribit: *Hæc eadem provisio* (ferro & flammis religionem exstirpandi) *fuit Antiochi regis, hæc eadem fuit Neronis, Domitiani, Decii, cæterorumque persecutorum christianæ fidei, cui ferro tantum flammisque occurrendum putaverunt. Hæc ratio fuit scribarum ac pharisæorum, ac principum Judæ praecipientium apostolis, ne loquerentur amplius in nomine Jesu Act. 4. haec eadem Genserici ac Hunerici, regum Arianorum, secundum Victorem hist. Vand. lib. III. ne conventus celebrarent ad divina mysteria catholici, &c.* Cardinalis Hosius anno 1568. apud magistratum Elbingensem, qui ejectis doctoribus pontificiis evangelicam religionem amplexus fuerat, scriptis ad eum literis graviter intercedit, inter alia sic scribens tom. II. f. 123. *Liceat saltem in hac regia civitate, quod licet sub gravi Turcarum tyranno, ut Christus in Bethlehem natus libere praedicetur.* Ep. CCLXXIV. ad episc. Cracov. *Quod si conceditur christianis etiam sub Turcarum tyranno, cur non eadem libertas illis permittatur sub Elbingensibus Burgimagistris?* In concert. eccl. cath. in Anglia f. 246. per Wilnel. Alanum, causæ suæ advocatum, gravissime conqueruntur, quod *catholicis religionis libertas in Anglia negatur.* f. 247. *Ariani imperatores naturali quadam benignitate inducti fuerunt, ut ecclesias aliquot & oratoria in cæmiteriis, locisque contiguis catholicorum usibus adsignarent. Sic Constantinus Arianus & Valens, imperatores, Athanasio & ejus sectatoribus Alexandriae locum non denegavit, quam solam gratiam utinam a principe nostro impetrare possemus.* f. 394. *Si vel partem aliquam ejus libertatis nostri potuissent adipisci, quam habent catholici in Germania, Helvetia, aliisque in locis, ubi potestas summa est penes protestantes, aut quam habent Hugonotti in Gallia.* fol. 396. *Utilissimum est, ut manus deinceps cohibeant a catholicis subjectis, & fratribus suis persequendis, ut eis permittant, libera conscientia sacris uti frui, quo sic reginam ejusque consiliarios precibus suis Deo commendent, tanquam patronos, quos nunc commemorant solum ut persecutores.* Sic ergo ab aliis petunt, quod ipsi in simili casu largiri recusant, & suam ipsorum crudelitatem in aliis damnant. Joh. Paulus Windeckius in prognost. fol. 157. de fervore suo paululum remittens scribit: *Impostura haereticorum toti terrarum orbi patefaciendae, ut detectis erroribus & agnita veritate homines pro nihilo ducant, & plane contemnant, quidquid ab illis profectum fuerit.* Postea addit: *Haec ratio est longe omnium aptissima ad minuendam illorum potentiam, viribus & armis non semper proficitur, & nonnunquam fit, ut adversarii belligerando magis etiam confirmentur, quod in Belgio accidere videmus.* Auctor adpendicis ad edictum regium, Gallico idiomate excusæ, qui se Parisiensem senatorem & quidem catholicum vocat: *Experti sumus magno nostro malo, quam ejusmodi acris medicina plus nocuerit, quam profuerit. Fides praecipue in anima, quae spiritus est, & cogi non potest, consistit, qui eam ab errore vult liberare, illum oportet, ut spiritualia remedia adhibeat. Quod si quis aliis uti velit, contra cælum & terram pugnat. Ergo necesse est, ut Hugonotas, qui a nobis secessionem fecerunt, toleremus patienter, quia fides non est opus hominis, sed Dei donum, qui omnia sua providentia gubernat, & haereses esse oportere pronuntiat,*

nunciat, & exemplo sanctorum patrum didicimus, religionis non esse religionem cogere. Et postea: *Plerique non quærunt eorum, quos in negotio religionis persequuntur, salutem æternam, sed sua potius commoda sectantur, non solum illis, sed solum sibi parare ambiunt. Sola divinitas interiora cordis cognoscit, perscrutatur, judicat. Solus rex, non autem ministri ejus, qui convivas ad epulum regium vocaverant & invitaverant, illum, qui nuptiali veste indutus non erat, foras ejici jussit, qui ad regis mandatum exterminari non potuisset, si ante a ministris judicatus & occisus fuisset, qui ante non cognoverant, eum cœna regali indignum fore.* Auctor orationis ad regem christianissimum, qui se adsessorem parlamenti Parisiensis vocat p. 46. *Felices conversiones istæ non fiunt equaleis, non tormentis, non terroribus mortis, ut inquisitio solet Hispanica, (cui una cum castellanis armis Jesuitæ acceptam ferunt religionis catholicæ conservationem) sed gladio sancti Spiritus, æternoque verbo.* Petrus Coretus Jesuita in defens. contra Noæum cap. 8. *Christus apostolis jussit, ut docerent & baptizarent, non mandavit, ut eos, qui audire nollent, statim interficerent, aut ad credendum civilis potestatis auctoritate compellerent.* Ibidem: *Melius est ad Deum colendum homines duci informatione, quam pœnæ formidine.* Bodinum & Jac. Augustum Thuanum moderatioribus pontificiis accensebimus, cum ab illis publica fidei professione non recesserint, quamvis in Hugonotarum partes alicubi videri possint propensiores. Sic vero Bodinus de violentis illis persecutionibus & suppliciis religionis causa illatis scribit lib. IV. de republ. cap. 7. *Si princeps aliquis certissimas de lege divina, deque vera religione, quæ præpotentis Dei voce promulgata sit, adsensiones animo comprehensas habeat, subditosque opinionum varietate & multitudine distractos in suam velit pertrahere sententiam, vim amovere oportet. Nam quo majora supplicia irrogabis, eo minus proficies, cum ea sit hominibus insita vis ac natura, ut ad aliquid adsentiendum sponte duci velit, cogi nolit.* Ibidem adducit responsum Theodorici, Gothorum regis, qui dixerat, *se religionem imperare non posse, cum nemo cogatur, ut credat invitus* apud Cassiodorum libr. II. variar. epist. 27. & addit: *Hæc ratio omnium efficacissima mihi visa est ad supplicia, quæ religionis specie irrogantur, tollenda, cum ea propter rex ille religionis causa cruciari pateretur neminem, ne vel impietatis specie aliena bona, quæ hodie statim in crimine hæreseos confiscantur, & legitimis hæredibus auferuntur, diripere, vel liberos hominum voluntates, quæ nullis imperiis cogi possunt, constringere velle videretur.* Thuanus præfat. operis historici: *Experientia satis edocti sumus, ferrum, flammas, exsilia, proscriptiones irritasse potius, quam sanasse morbum menti inhærentem,* (hæresin intelligit) *ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpus tantum penetrant, sed doctrina & sedula institutione, quæ in animum leviter instillata descendit, opus esse. Alia quippe omnia pro arbitrio civilis magistratus atque adeo principis sanciuntur, sola religio non imperatur; sed ex præcepta veritatis opinione, accedente divini numinis gratia, bene præparatis mentibus infunditur, ad eam cruciatus nihil valent, quin obfirmant potius animum, quam frangunt aut persuadent.* Et postea: *Certe si verum amamus, in sacræ antiquitatis vetustis omnibus monumentis nullum supplicii de sectariis sumti ac probati exemplum exstare fateamur, necesse est, ecclesiamque priscam a cruore fundendo semper abhorruisse, quod si quando accidit, id pii vere episcopi detestati sunt, ut in Priscilliano adparuit, qui exitiabilis doctrinæ auctor, cum per Galliæ ecclesiam, ac præcipue in Aquitania perfidiæ suæ semina sparsisset, a Maximo Augustæ Trevirorum capitali supplicio adfectus est circa annum Christi 383. licet b. Martinus ab imperatore sponsionem elicuisset, nihil cruentum contra reos constitutum iri, & Itacium episcopum aliosque instigatores sedulo monuisset, ut ab adcusatione desisterent. Nam & id cæteri episcopi tanquam inique factum impro-*

improbaverunt, vixque b. Martinus ac nisi extrema necessitate cogente cum illa Itacianæ partis communione misceri voluit, ipse b. Ambrosius a Valentiniano imperatore puero Gratiani interfecti fratre ad Maximum sub id tempus missus in relatione sua testatur, cum Treviris esset, abstinuisse se ab iis episcopis, qui Itacio communicabant, & a fide devios ad necem petebant. Cum vero ex furialium illorum episcoporum sententia Maximus postea decrevisset, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent; deprehensis vitam & bona adimerent, idem b. Martinus apud eum tenuit, ut decretum revocaretur, &c. Priscilliano autem occiso non solum non coërcita est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata ac latius propagata est, & sectatores ejus, qui illum ut sanctum prius honoraverant, postea, ut martyrem colere cæperunt, corporibus peremtorum in Hispaniam relatis & magnis exsequiis celebrato eorum funere, quin & eo profecta est adfectantium superstitio, ut per Priscillianum jurare summa religio haberetur, ex eoque inter Gallicanæ ecclesiæ episcopos perpetuum discordiarum bellum exarserit, quod totos quindecim annos agitatum vixdum sopiri diu post potuit, plebe Dei interim & optimis quibusque ad probrum & ludibrium expositis. Hæc Thuanus ex Sulpitio Severo, quæ integra huc referre voluimus propter Bellarminum, qui in cap. 22. resp. ad argum. septimum negatur, *b. Martinum non improbasse ipsum supplicium Priscilliani hæresiarchæ, sed tantum episcoporum factum, quod causam ecclesiasticam ad imperatorem detulerint, & officium adcusatoris in causa sanguinis adsumserint.* Costerus in enchir. in c. de ecclesia: *Gravissima in Deum hominesque peccata hæreticis omnibus sunt communia, alia etiam sunt, quæ hæreses comitantur, ut sunt humanas leges violare, in proximos a sua secta alienos injurios esse, persecutiones moliri, seditiones movere, bella ciere, omnia turbare.* Bellarminus lib. III. de laicis c. 21. §. *probatur quarto &c.* disertis verbis fatetur, *tempore Augustini nondum exstitisse ullam legem Imperatorum, qua hæretici juberentur occidi.*

§. CCCXLV. *Calvinianos* quod adtinet, illi pro rerum ac fortunæ diversitate diversas proferunt sententias. Quando enim fortuna ipsis est adversa, & a pontificiis opprimuntur, tum privatis sermonibus & publicis scriptis usurpant has regulas, *neminem esse ad fidem cogendum, conscientiam unicuique debere esse liberam, antichristianam tyrannidem esse velle conscientiis dominari, errantes non interficiendos esse ferro, sed convertendos verbo*, ut ex suscitabulo Bembellonæ, & ex querelis ecclesiarum Sabaudicarum, Belgicarum & aliarum constat. Sed quando liberiori fruuntur aura, & præsidio potentiorum sese tutos esse animadvertunt, erumpunt in sanguinariam illam vocem, *hæreticos* esse *occidendos*, quo ipso comprobant Lutheri de ipsis judicium in lib. contra cœlestes proph. *Spiritus Calvinianorum pavidus est, cum ex adsensu & adprobatione hominum vires nondum adquisivit, sed ubi hominum adplausu potitus, ferocissimus est.* Innocentius Gentil. in præfat. apol. pro christ. Gallis. *Nostro hoc seculo sat multis exemplis docemur, viam armorum (ut loquuntur) religionis legibus præscribendis nullo modo idoneam esse, ferrumque nil nisi ruinam, cædes & inimicitias intestinas, easque fere implacabiles gignere, quæ minitantur, se tandem reipublicæ nostræ eversionem laturas*, quod postea exemplo Caroli V. & Mariæ reginæ Angliæ declarat. Witackerus in resp. ad Campian. *Quem omnino potes tuum nominare, non modo ex quo ipse huc veneris, sed hisce etiam viginti tribus annis, quibus optima Elizabetha reipublicæ clavum tenuit propter religionem capite condemnatum & morte adfectum.* Musculus in loc. comm. edit. postrem. p. 614. *sævitiam in vitam solius antichristi esse*, ait. Goclenius in disp. de magistratu anno 1610. Marpurgi habita ex professo demonstrare conatur, *hæreticos non esse capitaliter puniendos.* Wolff Musculus in locis p. 1329. *Christianus magistratus animadvertit quidem in hæreticos, verum*

sic moderate, ut sint, qui resipiscere possint. Non patitur, ut de fide doceant, nec permittit, ut ecclesias colligant, episcopos ordinent, alios privat honoribus, aliis adimit civitatis communionem, alios proscribit, alios multa pecuniaria punit, quod Augustini temporibus factum esse legimus. Ipsos impostores ac seductores, ne illi, postquam incorrigibiles adparent, ultra quemquam seducant, carceribus inclusos, tamdiu coërcet ac detinet, donec in se reversi resipiscant. Sic coërcendi sunt, qui cogi se ad bonum non sustinent.

§. CCCXLVI. Atque isthæc dicta sunt pro nostræ sententiæ confirmatione; consequens est, ut adversæ partis argumentis satisfaciamus, qua in re sequemur ductum Friderici Balduini in disputat. de hæretic. ferendis, non auferendis, (*) & Meisneri libro IV. de legibus sect. I. quæst. 19. qui late & erudite de hac quæstione scripserunt. Bellarminus quinque classes argumentorum producit: 1.) ex *scripturis*; 2.) ex *legibus imperatorum*; 3.) ex *legibus ecclesiæ*; 4.) ex *testimoniis patrum*; 5.) ex *ratione naturali*. In *prima* classe ex vet. testam. producit I.) *legem divinam*, Deut. XIII. ubi severissime Deus jubet, *falsos prophetas, qui suadent colere deos alienos, sine ulla misericordia occidi*, & c. XVII. postquam dixerat, ut in rebus dubiis consuleretur summus sacerdos, mox subdit: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex sententia judicis moriatur.* Et rursum c. XVIII. *Propheta falsus interfici jubetur.* Eodem argumento utuntur Gregorius de Valent. tomo III. disput. 1. quæst. 11. punct. 3. Schoppius in Scaliger. hypobol. pag. 319. Beza vol. I. fol. 153. ubi etiam addunt locum Exod. XXII. 20. *Qui immolat diis, occidetur.* Resp. *primo* in genere: 1.) Leges illas complecti duo, quæ sunt adcurate discernenda: prius est *morale*, quod est perpetuum, & in nov. test. adhuc nos obligat; posterius est *judiciale*, quod ad Judaicam duntaxat politiam spectat. *Morale* ac perpetuum est, sinceritatem religionis & divini cultus summo studio esse conservandam, coërcendos igitur ac puniendos esse eos, qui perversa doctrina eamdem contaminant ac pervertunt; *judiciale* ac forense est, capitali supplicio pseudoprophetas esse interficiendos, illud ergo christianum magistratum in nov. test. non obligat. Si quis dicat, *principium peti hac distinctione*, illi opponimus alias leges Mosaicas, in quibus certum genus pœnæ determinatur, quæ tamen in nov. test. non observantur. Exod. XXI. 15. *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.* v. 17. *Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur.* v. 29. *Si bovem cornupetam herus ipsius, post præmissam admonitionem, non recluserit, una cum ipso bove hominem interficiente occidi jubetur.* Exod. XXXI. 15. *omnis, qui die sabbati opus fecerit, occidi* jubetur. Levit. XX. 18. *concumbentibus tempore mensium* capitale supplicium destinatur c. XXI. 9. *si filia sacerdotis scortari incipiat, flammis exuri* jubetur. Deut. XXI. 21. *filius protervus & contumax lapidibus obrui* præcipitur. c. XXII. 21. *ea, quæ non inventa fuerit virgo*, itidem lapidibus obrui jubetur. Hæ & aliæ leges quoad certum ac determinatum illud genus pœnæ, quod exprimunt, non obligant christianos in nov. test. sed tantum ad politiam Judaicam pertinuerunt; proinde necessario cogimur ad illud recurrere, quod hæ leges duo contineant, quorum unum est morale ac perpetuum, videlicet tales delinquentes esse puniendos, alterum forense, quod eo modo sint puniendi. Si dicas, *in quæstione adhuc esse, an ad illas leges pertineat hæc ipsa de puniendis pseudoprophetis*; urgemus hoc, quod lex illa de capitali hæreticorum supplicio in nov. test. non solum nuspiam sit repetita, sed etiam per parabolam de zizaniis, & doctrinam ac praxin Christi & apostolorum ejusdem rigor mitigatus:

Argumenta adversariorum 1.) ex scripturis.

2.) Deut. XIII. Prophetam falsum interfici.

(*) Disputatio Balduini, quæ nobis ad manus est, inscribitur: *de hæreticis, & quomodo sint coërcendi.* Prodiit ea Viteræb. MDCVII. 4.

tus: urgemus etiam prædictiones propheticas de modo propagandæ ecclesiæ in nov. test. in quibus veteris ac novi testamenti status sibi invicem opponuntur: urgemus κριτήρια, ex quibus agnosci potest ac debet, quid in qualibet lege sit morale, in determinato illo pœnæ genere, capitali scilicet hæreticorum supplicio, locum nequaquam habere: urgemus ipsa verba legis: *Si in medio tui* surrexit propheta, ergo de populo Israëlitico & politia Judaica tantum agitur. Denique urgemus circumstantias illas, quibus delictum hæreseos & idololatriæ in populo Israëlitico adgravabatur, & proinde etiam severior pœna illi irrogabatur. Triplici enim circumstantia, *personarum* scilicet, *temporis* ac *locorum* seductio adgravabatur. Respectu *personarum*, quia leges illæ datæ sunt isti populo, quem Deus ex Ægyptiaca servitute magnis & illustribus miraculis liberaverat, quem præ omnibus reliquis populis in peculium sibi elegerat, cui per promulgationem solennem divinæ legis, cibationem miraculosam in deserto, varias victorias ex hostibus, & beneficia alia sese insigni modo manifestaverat, viva voce in medio ipsius præsentiam suam testatus erat, in columna ignis & nubis præcedebat, ac tantum non manibus palpandum sese exhibuerat. Gravissimum igitur supplicium merito dictabatur pseudoprophetæ *e medio hujus populi* surgenti, ut notanter loquitur Moses Deut. XIII. 1. & ad apostasiam a vero illo Deo fratres suos solicitanti. Potest etiam circa personas hoc considerari, quod Judæi ad idololatriam & contumaciam alias proclives fuerint, ut historia vet. test. testatur, Deus igitur, tanquam sapientissimus νομοθέτης, severioribus legibus ac pœnis gravioribus eamdem coërcere, æquum & salutare judicavit. Respectu *temporis* delictum reddebatur gravius, quia nuper admodum in populum Dei peculiarem erant electi, & maximis a Deo beneficiis adfecti, quorum memoriam tam cito deponere, & tam malam ipsi gratiam referre, grande omnino erat sacrilegium. Respectu *loci* adgravabatur hæreseos peccatum, quia terra Canaan erat primo *Dei quasi peculium*, in quam, tanquam in suam rempublicam Judæos, tanquam peregrinos & advenas ex mera gratia receperat Levit. XXV. 23. *Terra non vendetur in peculium, quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.* Quemadmodum ergo peregrini coguntur obtemperare legibus illius reipublicæ, in quam recipiuntur: ita quoque divinæ majestati omnino licuit arctioribus legum vinculis hunc populum in terram alienam receptum coërcere, & severioribus pœnis delinquentes coërcere. *Deinde* erat *futurum Messiæ promissi hospitium*, qui ex illo populo & ex illa regione juxta promissum Dei erat exspectandus; proinde, ne populo illo in varias sectas, factiones & idololatrias distracto dubia redderetur Messiæ præsentia, familia ac nativitas, ideo tam severis legibus pseudoprophetarum seductiones Deus coërcendas esse censuit. *Denique* erat *ecclesiæ domicilium*, quæ in vet. test. angustis illis terræ Cananææ limitibus concludebatur, neque dum in totum terrarum orbem erat propagata. Quare cum huic populo omnes ex omnibus gentibus sese adgregare cogerentur, qui salutis participes fieri expetebant, ideo hæreses & idololatrias in illo populo tam gravibus pœnis præcaveri Deo placuit.

§. CCCXLVII. Ex quibus omnibus facili negotio intelligitur, quid ad Calvini in historia Serveti p. 32. & Bezæ in lib. de hæreticis vol. 1. f. 155. ἔνστασιν responderi debeat: *Nulla* (inquiunt) *idonea potest adferri ratio, cur Dei majestas & ecclesiæ auctoritas minoris apud nos debeat esse ponderis, quam olim apud Judæos fuerit, imo vero christiani, si veram religionem adspernentur, aut minore studio tueantur, quam olim Judæi, eo minus excusari possunt, quo clarius se Dominus per Filium suum, quam per prophetas patefecit;* unde inferunt, *principes christianos, si non in ipso pœnæ modo, tamen in genere pœnæ, capitali scilicet, illas Dei leges ad imitandum sibi proponere debere.* Resp. 1.) Rationes diversitatis adduximus complures. 2.) Christus ipse discipulos

suos ex Eliæ exemplo, & sic ex vet. test. argumentum ducentes, quo Samaritanos igne cœlitus demisso exurendos esse concludebant, ad distinctam vet. ac nov. test. οἰκονομίαν remittit. Luc. IX. 54. 3.) Non minore quidem studio tuenda ac propaganda est religio a christianis, quam olim factum fuit ab Israëlitis, sed ex eo inferri nequit, capitali hæreticorum supplicio eam esse tuendam, vel armis propagandam; sufficit enim cultus idololatricos a magistratu aboleri, sincerum ecclesiæ ministerium constitui, lupos ab ovili dominico arceri, licet nec modus nec genus pœnæ idololatris in vet. test. constitutæ in hæreticis coërcendis observetur. 4.) Sic sancta liberorum erga parentes obedientia non minus in nov. test. quam in vet. sancte & illibate custodienda, & immorigeri liberi puniendi, quamvis nec genus nec modus pœnæ, videlicet lapidatio in nov. testam. amplius observetur. Sabbatum sanctificari pius & christianus magistratus diligenter curet; interim qui opus facit sabbati die, eum interficiendum statim esse, nec Calvinus nec Beza dixerint. 5.) Illa ipsa clarior patefactio in nov. test. contrarium potius arguit, videlicet esse jam tempus gratiæ, quo sine cæde & sanguine ecclesia propaganda, nec rigorem vet. test. amplius usurpandum. Excipit Gregorius de Valent. d. l. *Cyprianum contrario modo procedere, quia in lib. de exhortat. ad martyr. c. 5. commemoratis illis scripturæ dictis subjungit: Si ante adventum Christi circa Deum colendum & idola spernenda hæc præcepta servata sunt; quanto magis post adventum Christi sunt servanda, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed factis?* Resp. idem Cyprianus lib. III. ep. III. *fictilia vasa confringere soli Domino concessum esse*, statuit; hunc quod adtinet locum, in eo non tam de pœna idololatrarum, quam de contemtu idolorum loquitur, nec quomodo puniendi, sed quod fugiendi sint idololatræ, docet. In toto enim tractatu christianos hortatur, non ut paganos idololatras, in quorum medio vivebant, occidant, sed ut eos fugiant, & si gloria Christi ita requirat, occidi sese veritatis causa patiantur, atque alacri animo martyrium subeant.

§. CCCXLVIII. 2.) Ad generalem responsionem etiam hoc pertinet, pontificios crudelitatem suam, qua adversus eos, quos pro hæreticis habent, uti consueverunt, nunquam ex illis scripturæ dictis demonstrare posse. Neque enim illa dicta loquuntur de illis, qui ex infirmitate errant, sed de illis, qui sunt manifesti idololatræ, qui sacrificia offerunt diis alienis, qui alios seducunt, dicentes: *Eamus & serviamus diis alienis*; qui nomen Dei blasphemia adficiunt, &c. jam vero pontificii sine discrimine seductores & seductos capitali supplicio adficiendos censent, quia Hispanicæ inquisitionis medio etiam in eos, qui peregrini sunt, & perlustrandi causa regiones ipsorum accedunt, animadvertunt, ac minimo quoque indicio de hæresi suspectos ad tribunal & rogum abducunt. 3.) Leges de occidendis idololatris non tantum hæreticos & pseudoprophetas in medio populi Israëlitici exsurgentes spectabant, sed etiam gentes Cananæas, extra Israëliticæ ecclesiæ gremium constitutas, quas non minus quam pseudoprophetas ad idololatriam seducentes exstirpari divina majestas voluit: Deut. VII. 1. *Percuties eas usque ad internecionem.* Quod si ergo leges illæ in nov. test. nos obligant; consequens fuerit, magistratum christianum Judæos & alias gentes, quæ sunt extra ecclesiam, gladio exstirpare debere, cujus contrarium & pontificii & Calviniani statuunt.

§. CCCXLIX. In *specie* ad singula dicta superius adlata ut respondeamus, monemus, quod 1.) Exod. XXII. 20. agatur proprie *de idololatris, qui diis alienis sacrificia offerunt*, atque ad gentilium impia & idololatrica sacra sese conferentes ab ecclesia penitus deficiunt. Tales voluit Deus e medio tolli, ne populum ad ethnicam idololatriam seducerent, quemadmodum eamdem ob causam gentes Cananæas exstirpari voluit, ne *docerent Israëlitas facere cunctas abominationes, quas ipsi operati*

rati diis suis Deut. XX. 18. Alia vero est hæreticorum in nov. test. ratio, qui ratione externæ professionis sunt in visibili ecclesia, & hac ratione a gentilibus sive paganis adhuc distincti. Hæretici errant circa doctrinam & in theoria, pseudoprophetæ vet. test. errabant circa cultum Dei & in praxi, quia diis alienis honorem divinum deferendum esse statuebant. 2.) Deut. XIII. 1. & seqq. agitur de tali pseudopropheta, *qui visiones & somnia jactitat, qui est manifestus apostata*, & ad gentilem idololatriam populum Israëliticum invitat, dicens: *Eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis*, is jubetur lapidari, quod supplicium decernitur etiam illis, qui proximo cognationis gradu Israëlitas adtingebant, si ad idololatrica gentilium sacra ipsos pellicere conarentur, v. 6. quinimo tanta severitate idololatria ibidem prohibetur, *ut omnes idololatricæ civitatis incolæ*, ne quidem infantibus exclusis interfici, & tota urbs cum omni suppellectile omnibusque jumentis igne suppositio succendi jubeatur v. 12. quæ omnia si quis in nov. test. locum habere velit, multis se involvet absurditatibus. 3.) Deut. XVII. 12. in genere agitur de illis, qui nolunt ex superbia audire sacerdotem aut judicem, quod si illa lex christianos in nov. test. obligat, omnes illi, qui sacerdotum monitis vel judicum sententiis parere nolunt, interficiendi erunt. Sed enim si verba & circumstantias legis adcuratius intueamur, adparebit non de crimine hæreseos proprie & in specie hic agi, sed de obedientia in causis forensibus gravioribus pertinaciter denegata. Fit enim mentio judicii inter *sanguinem & sanguinem*, inter *plagam & plagam*. Item *portarum urbis*, in quibus non ecclesiastica, sed forensia negotia tractabantur, & jubetur causa deferri ad synedrium, quod erat supremum tribunal in metropoli Judææ Hierosolyma, & constabat ex personis ecclesiasticis & politicis, quæ juxta legem pronunciabant; ac si quis hujus judicii decisione stare recusabat, in eum mortis sententia ferebatur ad majorem terrorem inobedientibus incutiendum, ac majorem auctoritatem huic judicio conciliandam: interim non negamus de idololatriæ & apostasiæ crimine in hoc judicio fuisse pronunciatum, & mortis pœnam idololatris adjudicatam, ut ex priore hujus capitis membro constat. Cyprianus lib. I. epist. X. circa fin. legem hanc Mosaicam adducens subjungit: *Interfici Deus jussit sacerdotibus suis non obtemperantes, judicibus a se ad tempus constitutis non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat, nunc autem, quia circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei servos cœpit, spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de ecclesia Dei ejiciuntur.* Agnoscit ergo Cyprianus, aliam esse novi quam vet. test. in pœnæ hujus irrogatione rationem. 4.) Deut. XVIII. 20. agitur de tali *pseudopropheta, qui arrogantia depravatus ex nomine alienorum deorum loquitur*, cui pœna mortis irrogatur; sed hanc legem respectu certæ & determinatæ pœnæ esse forensem, neque in nov. test. christianos obligare, superius fuit demonstratum.

§. CCCL. Excipit Beza in lib. de hæret. f. 156. *distinguendum esse inter idololatriam internam & externam, quamvis igitur hæretici non committant externam idololatriam, tamen internæ sese reos faciunt, dum falsas de Deo opiniones alunt, easque aliis instillant, ac nihil aliud faciunt, quam quod ex falsis suis opinionibus idolum quoddam constituunt.* Resp. 1.) Concedimus hæresin esse speciem quamdam subtilioris idololatriæ, id quod Vincentius lib. adv. hæres. multis probat, sed negamus ex eo sequi, quod iisdem pœnis cum manifestis idololatris sint adficiendi; ut enim idololatriæ sunt certæ species ac certi gradus, ita quoque idololatrarum non potest esse una eademque pœna. 2.) In pœnis politicis infligendis, non ad interiora, sed ad externa duntaxat delicta magistratus respicit, quatenus scilicet pax & tranquillitas publica iisdem turbatur; quare cum hæresis sit interna idololatria, ergo quatenus talis, id est, nisi accedant manifestæ blasphemiæ & seditiones, non est ex-

terno capitali supplicio punienda. 3.) Avari a Spiritu sancto itidem vocantur idololatræ, Job. XXXI. 24. Eph. V. 5. interim tamen avaritia interna non punitur capitaliter, nisi in furta & rapinas prorumpat. Idem ergo de hæresi statuendum fuerit.

b.) *Ex vet. test. exemplis.* §. CCCLI. II.) Hisce vet. test. legibus addit Bellarminus exempla. *Re ipsa* (inquit) *hanc legem servaverunt Helias, Josias, Jehu, & alii, qui falsos prophetas plurimos occiderunt, ut patet 1. Reg. XVIII. & 2. Reg. X. & XXIII. nullum est autem fere discrimen inter nostros hæreticos & falsos prophetas illius temporis, nec solum sancti reges & prophetæ blasphemos morte multarunt, sed etiam Nabuchodonosor, ut Dan. III. dicitur, edictum constituit, ut quicunque blasphemaret Deum Danielis, id est, verum Deum, interficeretur, & domus ejus vastaretur, in quo edicto Deo vero obsequium justissimum fecit, ut Augustinus ep. L. dicit.* Addunt alii exemplum *Mosis*, qui tria hominum millia propter idololatriam vituli, *Levitarum* opera interfici curavit; Exod. XXXII. *Asæ*, qui publico edicto præcepit, ut quicunque non quæsiverit Dominum Deum Israëlis, interficiatur; 2. Paral. XV. *Jojadæ*, qui Athaliam interfecit; 2. Reg. XVIII. *Matathiæ*, qui Judæum idolis sacrificantem interfecit 1. Maccab. II. Resp. 1.) Qualis fuit regula, talia etiam fuerunt exempla ad regulam illam adcommodata. Regula vero illa, ad cujus præscriptum in vet. test. hæc sunt gesta, erat Mosaica, politiæ Israëliticæ & tempori vet. test. quidem congrua, jam vero in nov. test. abrogata. Ergo etiam talia fuerunt exempla. 2.) Opponimus igitur illis exemplis vet. test. doctrinam & praxin Christi & apostolorum in nov. test. quam illis præferendam esse, nemo negare poterit. 3.) Quædam ex illis exemplis sunt heroica, a peculiari Spiritus sancti instinctu profecta, sicut Elias de zelo suo prophetico testatur; 1. Reg. XIX. 10. sed pontificiorum zelus, quo interfectos cupiunt omnes, qui a Romana synagoga secessionem fecerunt, a spiritu mendacii & homicidii proficiscitur. 4.) Quædam ex illis factis sunt *extraordinaria*, quæ non nisi semel in notabili ecclesiæ reformatione locum habuerunt. Cum enim sæpe totæ tribus a sinceritate religionis defecissent, copiosum sanguinem propterea effusum esse, nuspiam legimus. Sed pontificiis hoc ordinarium ac perpetuum est, sanguinem eorum, quos pro hæreticis habent, sitire. 5.) Si exempla illa ad imitationem trahi debent, tum non illis tantum, qui magistratu funguntur, sed etiam ecclesiæ ministris hæreticos interficere licitum erit, quia Elias non erat magistratus, sed propheta. *Jojadas & Matathias* fuerunt sacerdotes. Sed consequens negat ipse Bellarminus sic scribens c. 22. resp. ad 7. *Etsi episcoporum est hæreticos excommunicare, & relinquere judici seculari, & hortari etiam judices, ut munere suo fungantur, non tamen decet adcusatorem agere.* 6.) Moses non interfecit omnes idololatras, sed quosdam duntaxat, ut illorum supplicio scelus istud expiaretur, & reliqui ista severitate ab idololatria revocarentur. Quod si ergo ab exemplo Mosis ducendum est argumentum, consequens fuerit, non in omnes hæreticos tam severe animadvertendum, sed in aliquos duntaxat statuendum esse severitatis exemplum; quod adversarii vix admittunt, quippe qui promiscue in omnes sæviunt. 7.) Falsum est, quod inter idololatras ac pseudoprophetas vet. test. & inter hæreticos nov. test. nullum sit discrimen; contrarium enim superius ostendimus. 8.) Athalia non propter cultum baaliticum, sed propter tyrannidem & seditionem fuit interfecta; ipsa enim prius interfecerat omne semen regium, ac regnum per vim invaserat. 9.) Edictum Nebucadnezaris oppositum est blasphemis, ac in terrorem potius publicatum, cum de exsecutione quoad singulas provincias Nebucadnezari subjectas, nihil quidquam legatur.

§. CCCLII. Atque hæc sunt, quæ ex vet. test. Bellarminus adducit. Schoppius in apol. c. 4.

c.) *Ex Zachar. XIII. 3. Pseudoprophetæ dicetur: non vives.*

c. 4. n. 10. adfert III.) locum propheticum Zach. XIII. 3. *Et erit, cum prophetaverit ultra quisquam, dicet illi pater & mater ejus, qui genuerunt eum: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater & mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit*; ex quo vaticinio immote colligi posse existimat, etiam in nov. test. hæreticos capitali supplicio esse adficiendos. *Resp.* 1.) Omnis interpretatio scripturæ debet congruere *ad fidei analogiam* Rom. XII. 7. hoc est, debet esse conformis sententiæ Spiritus sancti in claris & perspicuis scripturæ dictis de fidei articulis propositæ. Jam vero si hoc vaticinium eo sensu explicatur, quod hæretici in nov. test. capitali supplicio adficiendi sint; pugnat cum analogia fidei, ut constat ex fundamentis superius adductis. 2.) Verba igitur hujus prophetiæ non sunt accipienda proprie, sed *metaphorice*; est enim prophetis in more positum de rebus nov. test. uti phrasibus vet. test. id quod multis confirmari potest exemplis: Joel. II. 28. Zach. VI. 13. c. XIV. 16. &c. 3.) Spiritualiter igitur in nov. test. hæretici *configendi ac confodiendi* prædicuntur, hoc est, impia & falsa ipsorum dogmata gladio spiritus jugulanda, ac si pertinaciter in errore perseveraverint, auctores falsorum dogmatum sunt excommunicandi, nulla personarum vel cognationis ratione habita. 4.) Configere hoc loco non esse idem, quod gladio transfodere, constat ex eo: *primo*, quod hoc non conveniret adfectui naturali parentum confodere eos, quos genuerunt; si quis exemplum Levitarum fratres ob idololatrias crimen interficientium Exod. XII. 29. adferre velit, illi hoc opponimus: *secundo*, quod confixio sive transfixio non congrueret supplicii generi pseudoprophetis in vet. test. constituto, non enim *configi* vel transfodi, sed *lapidari* jubentur: *denique* nec *verbis textus* hoc conforme esset, quia statim additur, *confundentur*, seu *pudore adficientur*. Non possumus autem proprie dici aliquem confundere seu pudore adficere, quem gladio tollimus, sed quem argumentis & rationum telis confodimus, ac erroris eum convincimus, adde quod v. 6. statim introducatur persona ejusdem pseudoprophetæ non interfecti, sed castigati, & ad pœnitentiam adducti; etsi igitur parentes seductori more vet. test. minantur extremum supplicium, illud tamen non exsequuntur, sed plagis aliisque mediis ad saniorem mentem eum revocant. Targum reddidit וְיֶחְדוֹן בֵּהּ, *& lætabuntur in eo.* LXX interpretes συμποδιοῦσιν αὐτόν, cum in Hebræo sit דקר, aliud igitur verbum legerunt, vel alio sensu, quam vulgari & consueto illud exposuerunt, sicut etiam Jer. XXXVII. 10. accipitur pro *vulnerare & cædere.* 5.) Phrasis illa: *non vives*, nequaquam accipi potest de privatione vitæ naturalis; contrarium enim ex adductis textus circumstantiis colligitur, sed accipienda est de amissione vitæ spiritualis & æternæ, quod falsam spargens doctrinam sit alienatus a *vita*, quæ est *Dei*, Eph. IV. 18. nec partem sit habiturus in vita æterna, quo sensu hæc vox accipitur Ezech. XVIII. 24. & c. XXXIII. 10.

§. CCCLIII. Beza insuper IV.) adduxit edictum Darii Esdr. VI. 11. *Quicunque mutaverit hanc jussionem, tollatur trabs e domo ejus, in quam erectam suspendatur, & domus ejus propterea in sterquilinium redigatur*: ut & Artaxerxis c. VII. 26. *Quicunque non fecerit legem Dei & legem regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exsilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.* Vnde colligit f. 151. *Principes hi fuere profani, ad quos lex illa forensis a Mose lata non pertinebat, & tamen æquum putabant, ut in impios capitali pœna animadverteretur. Voluit igitur formulas illas edictorum exflare Spiritus sanctus, ut principes christianos puderet in vindicanda religione profanis regibus priores concedere.* Resp. 1.) Ex illis ipsis edictis colligitur, reges illos non mansisse profanos, sed ad verum Deum Israëlis fuisse conversos. 2.) Magistratus christiani

d.) *Ex Esdræ VI. 11. & VII. 26.*

ſtiani non minore ſtudio cultum divinum ac religionis ſinceritatem promovere debent, licet capitali ſupplicio in hæreticos non animadvertant, quia media promovendi cultum divinum debent eſſe ſtatui & conditioni nov. teſt. adcommodata. 3.) Darii edictum non tam pſeudoprophetas, quam violatores decreti recens a ſe promulgati de inſtauratione templi & ſuppeditandis ad hanc rem ſumtibus ex regio ærario concernit. 4.) Artaxerxis mandatum inſuper eſt alternativum, quod non ſimpliciter transgreſſoribus mortem infligit, ſed vel mortem vel mulctam pecuniariam, vel carcerem. 5.) Si exemplis pugnandum, adducimus pios imperatores in eccleſia primitiva, qui a capitali hæreticorum ſupplicio abſtinuerunt, ac nihilominus cultum divinum pro virili promotum iverunt.

e.) *Ex Pſ. CXLIX. 6. In manibus eorum gladii.*

§. CCCLIV. V.) Juſtus Kahl in apol. pro ſua ad Romanam eccleſiam defectione Moguntiæ anno 1601. excuſa adducit locum ex Pſalm. CXLIX. 6. *Exſultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum*, v. 7. *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Vnde colligit, *Romanam eccleſiam jure ac merito hæreticos interficere.* Reſp. 1.) Quidam hunc locum de corporalibus Iſraëlitarum victoriis exponunt, cum videatur exprimere hiſtoriam Iſraëlitarum una manu laborantium, altera vero arma geſtantium; Neh. IV. 17. ſed cum pſaltes invitet ad *novum carmen* a filiis Sionis in honorem regis ſui canendum, cumque poſteriores Judæorum victoriæ, quas ſub Maccabæis obtinuerunt, non fuerint tales, ut reges gentium catenis vincirent, nec poſt reditum ex Babylone regem habuerint, ideo rectius accipitur de ſpirituali victoria, quam apoſtoli per prædicationem evangelii in nov. teſt. obtinuerunt. 2.) Proinde non de *corporalibus armis*, quibus apoſtoli nuspiam leguntur uſi, 2. Cor. X. 4. ſed de ſpirituali *gladio verbi*, Eph. VI. 17. quod eſt quovis gladio ancipite penetrantius, Hebr. IV. 12. vaticinium iſtud accipiendum. 3.) Quam explicationem confirmat Auguſtinus in expoſit. hujus pſalmi: *Frameas bis acutas* (inquit) *intelligimus ſermonem Domini, & una framea eſt, ſed ideo multa dicuntur, quia ora ſunt, & multæ linguæ ſunt ſanctorum. Sermo Dei gladius bis acutus.* Et poſtea: *Quare in manibus & non in linguis? In manibus dixit in poteſtate. Acceperunt enim ſermonem Dei poteſtate, ut, ubi vellent, dicerent, cui vellent, dicerent, non timerent poteſtatem, non contemnerent paupertatem, &c.* Eodem gladio contra hæreticos pontificii utantur, & res erit ſalva.

§. CCCLV. VI.) Jacobus de Belviſo lib. II. pract. crim. cap. 13. num. 10. adfert locum Eſa. L. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis*; ex quo valde magiſtraliter probat, *hæreticos eſſe igne comburendos.* Sed aberrat a ſcopo & genuino ſenſu prophetici vaticinii. Poſtquam enim Chriſtus ibidem in præcedentibus hortatus fuiſſet pios, ut in adflictionibus ſuis Domino confiderent, jam convertit ſe ad hoſtes, iisque exitium & interitum denunciat. Verba in Hebræo ſic habent: *Ecce vos omnes accendentes ignem, ite in flammam ignis veſtri, & in flammas, quas ſuccendiſtis*, id eſt: Vos perſecutores & hoſtes eccleſiæ accenditis ignem, graſſamini in meos cædibus, ignibus, aqua & ferro, ſed iſte furor cedet vobis in exitium, perinde ac ſi quis eo ipſo igne, quem accendit, conflagraret; potiſſimum vero reſpectus habetur ad ignem infernalem, qui manet omnes eccleſiæ perſecutores, niſi mature reſipiſcant. Hieronymus in comm. h. l. *Hoc capitulo diſcimus, pro qualitate peccati ignem ſibi unumquemque ſuccendere. Et quomodo in eodem manentes loco, & ſi dici poteſt lectulo, alii ſani ſunt, alii febrium ſuccenduntur ardoribus, ex diverſitate humorum atque pituitæ diverſa ſupplicia ſentientes: ſic & ignis, qui a peccatoribus*

f.) *Eſa. L. 11. Ecce vos accendentes ignem.*

ribus succenditur, materiam in peccatis habet & in iniquitate, de qua scriptum est: Ardebit sicut ignis iniquitas, & sicut gramen ficum vorabitur incendio. Hector Pintus scriptor pontificius in comm. h. l. *Vos accincti flammis odii, invidiæ, impietatis, cæterorumque flagitiorum, quibus rebus accenditis ignem, in quo estis in æternum comburendi, ite in ignem vestrum, in flammas æternas, quas vobis succendistis, nolentes vocem meam audire.* Sanctius Jesuita in comm. monet, quosdam hoc exponere de *igne illo, quo Judæorum civitas tempore Romanorum conflagravit;* ipse vero statuit *peccatorum conditionem* hoc symbolo a Christo describi.

Ex nov. testam.

a.) *Matth. XVIII. Si ecclesiam non audierit, &c.*

§. CCCLVI. Ex *nov. test.* Bellarminus adducit I.) dictum Christi Matth. XVIII. *Si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus;* ex quo colligit, *posse ecclesiam eos, qui obedire nolunt, a se rejicere, & habere ut ethnicos ac publicanos, ac proinde permittere eos potestati seculari tanquam non amplius ecclesiæ filios.* Resp. 1.) Bellarminus dicit, ex hoc & sequente loco colligi, *licitum esse hæreticos, qui omnium judicio sunt rebelles, ecclesiæ & pacis publicæ perturbatores, ab ecclesia abscindi, & a judice morte mulctari.* Atqui illud nobis non adversatur; non enim quæstio est de rebellibus ac seditiosis pacis publicæ perturbatoribus, sed de illis, qui simplices sunt hæretici. 2.) Dictum Christi proprie & directe agit de privatis offensis, quæ in vita communi incidere solent ac possunt: *Si in te peccaverit frater tuus,* inquit Christus, *vade & corripe eum;* præscribitur igitur processus cum fratre in nos peccante observandus, quod videlicet semel atque iterum privatim admonendus sit, antequam negotium ad ecclesiam deferatur. 3.) Quod si vel maxime ad illas quoque offensas, quibus in totam ecclesiam hæretici peccant, dictum Christi transferatur, sicut a nobis etiam factum est superius; tamen capitale supplicium hæreticis inferendum esse, ex eo nunquam concludi poterit. 4.) Nulla enim alia pœna eo modo delinquenti adjudicatur, quam quod pro ethnico & publicano haberi jubetur, id est, ut Lyranus & plerique omnes interpretes exponunt, *excommunicari & ab ecclesiastica communione talis homo segregari jubetur.* Esse autem contra pertinaces & legitime convictos hæreticos excommunicationis fulmen adhibendum, a nobis non negatur. 5.) Si haberi pro ethnico & publicano est tradi magistratui seculari ad mortem, consequens fuerit, ecclesiam omnes publicanos & ethnicos magistratui ad mortem tradere posse, quod absurdum & Bellarmini hypothesibus contrarium; ipse enim disputat c. 22. resp. ad 9. *eos, qui nondum promiserunt se Christi religionem servaturos, non esse compellendos.* 6.) Si ex hoc loco capitale supplicium hæreticorum evinci posset, tum omnes omnino, qui fratri offenso reconciliari nolunt, capitaliter puniendos esse, sequeretur. 7.) Cadaver consequentiæ est, quando Bellarminus sic concludit: *Ecclesiæ potest eos, qui sibi obedire nolunt, rejicere, & proinde permittere eos puniendos seculari potestati. Ergo secularis potestas debet eos capitaliter punire.* Atqui a genere pœnæ ad certam & determinatam illius speciem, videlicet capitale supplicium, non est legitima consequentia. Ab excommunicatione ecclesiastica & relegatione sive deportatione, quæ est mors civilis, ad mortem naturalem non est firma consequentia. 8.) Ethnici & publicani nunquam & nuspiam igni vel gladio a Christo vel apostolis fuerunt adjudicati, sed potius ad conversionem per prædicationem verbi amice invitati; ergo ex eo, quod hæretici ethnicorum & publicanorum loco habendi sunt, inferri nequit, quod sint capitaliter puniendi, sed potius contrarium, quod ita tractandi sint, ut per pœnitentiam reditus ad ecclesiam ipsis relinquatur. 9.) Quia Bellarmino hunc locum ad hæreticos adplicare placuit, transigat cum hæreticæ pravitatis inquisitoribus, ut methodum a Christo monstratam diligenter observent, hoc est, ne ex præsumtionibus &

conjecturis aliquem hæreseos adcusent, sed exspectent, donec de facto ab illo offendantur, deinde arguant ipsum propter delictum, & humanitate sua ipsum lucrifacere conentur, quod si admonitioni huic locum dare recusaverit, adhibeant alios testes & fraternas admonitiones, denuo urgeant, ac tum demum si binas vel ternas admonitiones proterve neglexerit, ad judicium ecclesiæ causam deferant. Sed praxis inquisitionis Hispanicæ testatur, hunc ordinem a Christo præscriptum ne minima quidem ex parte ab illis sanguinariis observari.

b.) *Rom. XIII. Magistratus non gerit gladium frustra.*

§. CCCLVII. II.) Dictum apostolicum Rom. XIII. *Magistratus non gerit gladium frustra, minister enim Dei est, vindex in ira. Ergo licitum est hæreticos, qui omnium judicio sunt rebelles, ecclesiæ & pacis publicæ perturbatores, ab ecclesia abscindi, & a judice seculari morte mulctari.* Resp. 1.) Monemus denuo, Bellarmini conclusionem non adversari nostræ thesi. Nemo nostrum negat, pertinaces hæreticos posse excommunicari, nemo impedit seditiosos hæreticos pacis publicæ perturbatores gladio punire. 2.) *Gladii* nomen in textu apostolico generaliter accipitur pro potestate coërcendi & puniendi delinquentes, quæ pro delictorum ratione ad capitale etiam supplicium inferendum sese extendit. Ergo non potest nec debet ita concludi: magistratus habet jus gladii in hæreticos, ergo omnes hæretici sunt gladio interficiendi; sed hoc duntaxat inferri debet, ergo potest hæreticos coërcere & punire, ac pro ratione delicti, si nimirum manifestæ blasphemiæ seditiones accedant, etiam capitali supplicio eos adficere. 3.) Quod si enim absolute & simpliciter eos omnes e medio tollere magistratui liceret, in quos jus gladii habet, consequens fuerit, etiam scortatores quosvis, contentiosos, heluones, &c. e medio esse tollendos. 4.) Qui *gladii* nomen stricte & determinate pro jure pœnas capitales inferendi accipiunt, respondent, distinguendum esse inter *hæreticos* & *reliquos facinorosos* pacis publicæ perturbatores. Dicitur enim magistratus *vindex in ira τῷ κακὸν πράσσοντι, mala facienti*, non autem *ψευδος διδάσκοντι, falsa docenti*, ut sic principaliter textus accipiatur, non de erroribus theoreticis, sed de peccatis mortalibus. 5.) Respiciendum autem perpetuo hujus sententiæ nostræ fundamentum. Magistratus non est conscientiarum dominus, ideo etiam mandatis ac pœnis suis conscientias cogere non potest nec debet, sed Deo liberum in illas relinquendum est imperium: in fortunas & corpora hominum accepit a Deo imperium. Ergo hæreticum simplicem non potest capitaliter punire, sed si hæreticus fuerit insuper seditiosus, rebellis erga magistratum, & pacis publicæ perturbator, tunc potest magistratus, utpote cui cura pacis publicæ commendata, contra talem hæreticum gladii aciem stringere. 6.) Quod Bellarminus addit, *hæreticos omnium judicio esse ecclesiæ rebelles, & pacis publicæ perturbatores*, id absolute & simpliciter acceptum experientiæ refragatur. Evangelicos in Germania Bellarminus habet pro hæreticis, at quidam illorum vivunt sub tutela pontificii magistratus, qui re ipsa deprehendit, non minorem fidelitatem & obsequium sibi ab illis præstari, quam ab iis, qui sunt Romanæ religioni addicti.

c.) *Conferuntur hæretici lupis, furibus, latronibus, &c.*

§. CCCLVIII. III.) Adducit *comparationes*, quibus Christus & Paulus utuntur: *Christus* (inquit) *& apostolus ejus compararunt hæreticos illis rebus, quæ sine controversia ferro & igne repelluntur.* Nam Matth. VII. ait: *Adtendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, Act. XX. *Ego scio, quoniam intrabunt post discessum meum lupi rapaces; nomine luporum certum est hæreticos intelligi debere, ut explicat Ambrosius in c. X. Lucæ. At lupi rapaces optimo jure occiduntur, si aliter abigi non possunt, pluris enim facienda est vita ovium, quam*

quam mors luporum. Item Joh. X. *Qui non intrat per ostium in ovile, sed adscendit aliunde, ille fur est & latro, ubi nomine furis & latronis intelliguntur hæretici, & omnes seductores ac sectarum inventores, ut Chrysostomus & Augustinus exponunt, fures autem & latrones quomodo puniantur, notum est. Item* 2. Tim. II. *hæresis comparatur cancro, qui non curatur medicamentis, sed ferro excindi debet, alioquin perpetuo serpit, & totum corpus corrumpit.* Idem argumentum urgent Ribadeneira lib. I. de princ. c. 26. p. 172. Gregorius de Valentia d. l. Costerus in ench. c. 2. *Non minus* (inquit) *est regum & principum eos compescere & tollere, qui novis dogmatibus reipublicæ nocumento sunt, quam qui furtis & homicidiis tranquillitatem & libertatem publicam violant.* Resp. 1.) A similibus non potest duci apodicticum aliquod argumentum, cum tantum illustrent, non autem probent. 2.) Similitudo non est extendenda ultra tertium, in quo fit comparatio. Chrysostomus in Matth. XX. *In parabolis* (& similitudinibus) *non sunt urgenda singula verba & membra præter & extra institutum, ad quod in scriptura adhibentur.* Idem in Rom. IX. *Non est extendenda similitudo ultra scopum dicentis, nec ex quolibet colligendum quodlibet.* Atqui si scopum Christi & apostoli intueamur, non instituitur comparatio hæreticorum cum lupis, furibus ac latronibus respectu *pœnæ*, quasi idem illis debeatur supplicium; sed tum respectu *naturæ & indolis*, quæ in utroque hominum genere ad nocendum unice propendet, tum respectu *damni*, quod ab illis metuendum, ut enim fures substantiam nostram, lupi & latrones vitam auferunt, sic hæretici thesaurum veræ doctrinæ nobis surripiunt, & animæ nostræ spiritualem vitam auferunt, tum respectu *fugæ*, qua ab utrisque cavendum. 3.) Progressus igitur fit ultra tertium comparationis, & fallacia causarum committitur, quando Bellarminus sic concludit: Hæretici comparantur lupis, furibus & latronibus. Ergo etiam eadem ratione, qua lupi, fures ac latrones, tractandi sunt ac puniendi. Possem enim eadem ratione argumentari: Pharisæi comparantur *viperis*, Matth. III. 7. & *serpentibus*; Matth. XXIII. 33. ergo eadem ratione, qua viperæ ac serpentes sunt puniendi, hoc est, obterendi & interficiendi. Magistratus crudeles, morosi patresfamilias comparantur vulpibus, lupis, leonibus, &c. Ezech. XXII. 27. Sophon. III. 3. Zach. XI. 3. Eccl. IV. 35, Luc. XIII. 32. 2. Tim. IV. 17. Quare cum animalibus illis insidiæ struantur, & si earum copia fieri potest, occidantur, etiam subditi crudelibus magistratibus, & servi morosis dominis insidiari, & si fieri potest, e medio illos tollere tenentur. Contrarium ostendit doctrina & praxis apostolorum Rom. XIII. 2. 1. Pet. II. 18. Item mali mores, prava colloquia, & omnis generis scandala serpunt instar *gangrænæ*. Ergo ob mores malos, prava colloquia, & scandala quævis homines sunt capitaliter puniendi. At consequentiam hanc ne ipse quidem Bellarminus concedet. 4.) Invertimus argumentum: Hæretici sunt lupi, fures & latrones spirituales, ergo etiam spirituali gladio sunt feriendi, id est, anathematizandi; quale enim est furtum ac latrocinium, tale quoque debet esse ejusdem supplicium propter perpetuum culpæ & pœnæ respectum. Hæresis est gangræna spiritualis, ergo etiam spirituali gladio præscindenda; qualis enim est morbus, tale quoque debet esse remedium. 5.) Protasi similitudinis apodosis ejusdem exacte debet respondere. Jam vero protasin similitudinis Bellarminus sic informat: lupi rapaces, si aliter abigi non possunt, optimo jure occiduntur; ergo apodosin eodem modo formare debet: hæretici, si aliter abigi non possunt, id est, si magistratui exsilium ipsis imperanti proterve resistant, & subditos ad seditionem concitent, tunc demum jure occiduntur. 6.) Hæretici qua tales, nisi accedant seditiones, non perturbant pacem politicam, sed duntaxat unitatem scindunt ecclesiasticam. Ergo non sunt capitali supplicio, tanquam politicæ pacis turbatores adficiendi, sed per excommunicationem ab ecclesiæ corpore resecandi, & ab ovili dominico per magistratum pellendi. Gangrænæ curatio fit per resectionem membri putridi & emortui, sic

hæretici tanquam putrida & mortua ecclesiæ membra per excommunicationem ecclesiasticam & relegationem civilem exscindi possunt, licet non penitus ex humana societate igne & gladio tollantur. 7.) In adlata similitudine hæreticorum cum lupis adparet quædam diversitas, quæ impedire debet, quo minus eodem plane modo cum utrisque agatur. Lupus est animal ferum & incorrigibile, quod naturam suam nunquam deponit, nec in ovem ut mutetur, sperari ulla ratione potest; sed hæreticus per verbum & legitima correctionis media emendari, & ad ovile dominicum reduci potest, proinde lupus merito statim interficitur, sed in hæretico conversionis tempus exspectatur. Gen. XLIX. 27. *Benjamin lupus rapax.* Vaticinium illud plerique veteres de Paulo apostolo exponunt, qui ex lupo & persecutore factus non solum ovis, sed & pastor. Act. IX. Gangræna correptum membrum non potest sanitati restitui, ac corpori per vitales spiritus iterum adglutinari; sed ecclesiæ membra hæresi infecta possunt unitati corporis ecclesiastici iterum restitui. 8.) Per fures & latrones aliunde quam per ostium intrantes Joh. X. 8. intelliguntur non solum hæretici, sed etiam illi, qui modis ac mediis illegitimis ecclesiasticum invadunt ministerium. Illos vero omnes gladio puniendos esse Bellarminus neutiquam concedet. 9.) Nec furibus nec latronibus ignis supplicium pontificii inferunt, quo tamen adversus hæreticos, & quidem promiscue adversus omnes non solum seductores, sed etiam seductos ordinarie utuntur.

3.) *Ex Christi & apostolorum exemplo.*

§. CCCLIX. IV.) Ab *exemplis Christi & apostolorum: Christus Joh. II. flagello coëgit negotiatores egredi templum. Petrus Act. V. Ananiam & Saphiram, quia mentiri ausi fuerint, Spiritui S. occidit, Paulus Act. XIII. falsum prophetam, qui proconsulem a fide impedire conabatur, cæcitate percussit*: Idem argumentum urget Beza d. l. p. 162. *Mirum* (inquit) *videri non debet, si ab ordinario Dei ministro gladius in convictos & factiosos religionis contemtores stringatur, cum Petrus in defectu christiani magistratus extra ordinem religionis contemtum, quamvis adhuc occultum & latentem, capitali supplicio punierit.* Resp. 1.) Ab exemplis heroicis singularibus & extraordinariis non potest duci quædam generalis regula. 2.) Maxima enim utrobique occurrit diversitas, qualis etiam hoc loco animadvertitur. Primo respectu *personarum*: Christus & apostoli ecclesiasticum ministerium in terris administrarunt, sed hic quæstio est de magistratu politico. Christus & apostoli motibus heroicis impulsi extraordinarie in illis pœnis prædicendis & infligendis egerunt; sed hic quæstio est de ordinaria pœna, qua magistratus in hæreticos animadvertere debeat. Apostoli pœnam illam non tam ipsi tulerunt, quam divinitus inferendam prædixerunt. Petrus enim non tulit sententiam judiciariam, sed Spiritu Dei plenus divinam avaris & mendacibus hominibus denunciavit vindictam. *Ecce*, inquit v. 9. *pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium sunt, & efferent te.* Paulus itidem cæcitatem non inferebat, sed prædicebat. *Ecce*, inquit v. 11. *manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus.* At hic quæstio est de pœna, cujus infligendæ potestas est in manu magistratus. Secundo respectu *objectorum*: Christo negotium fuit cum nummulariis & venditoribus boum, ovium ac columbarum templum Dei profanantibus; Petro cum avaris, fraudulentis ac mendacibus; Paulo cum homine mago. At hoc loco quæstio est de hæreticis, quid cum illis fit agendum. Tertio respectu *normæ*, juxta quam hæ actiones æstimandæ: Christus heroico illo facto implevit vaticinium vet. test, Joh. II. 17. *Recordati sunt discipuli ejus, quod scriptum est* Psalm. LXIX. 10. *Zelus domus tuæ me comedit.* At hæreticorum occisio pugnat cum vaticiniis de modo propagandæ ecclesiæ in nov. test. Petri & Pauli facta sunt singularia & extraordinaria, ideoque ad communem regulam non congruunt. At pontificii certam quamdam regulam de occidendis hæreticis in nov. test.

teſt. traditam eſſe ſtatuunt. Quarto reſpectu *cauſarum impulſivarum*, tum *internarum*, tum *externarum*: Chriſti, & apoſtolorum zelus, fuit divinus & heroicus a peculiari Spiritus ſancti impulſu profectus. Sed pontificiorum zelus a Spiritu mendacii & homicidii proficiſcitur, cum ſæviant etiam in eos, qui nihil minus ſunt, quam hæretici. Chriſtus flagellat nummularios & mercatores illos ob profanationem templi, Petrus Ananiæ & Saphiræ mortem prædicit ob fraudes & mendacia, Paulus Elymæ cœcitatem denunciat ob perverſionem viarum Domini. At pontificii ob ſimplicem mentis errorem etiam in ſeductos ab hæreticis ſæviunt. Quinto reſpectu *inſtrumentorum*: Chriſtus utitur flagello; pontificii igne & gladio. Apoſtoli utuntur verbo; pontificii ferro. Sexto reſpectu *factorum*: Chriſtus flagellat, & e templo ejicit. Papa homines maclat, & ex humana ſocietate per mortem penitus exterminat. Paulus Elymæ cœcitatem prædicit, non autem gladio vel igne occidit. Petrus crimen hominibus occultum in lucem protrahit, & miraculoſe puniendum oſtendit. In hæreticorum ſuppliciis omnia adparent contraria.

e.) *Tit. III. 10. hæreticum devita.*

§. CCCLX. Atque hæc ſunt, quæ ex nov. teſt. Bellarminus adfert. Thomas II. 2. q. 11. hæretici pœnam capitalem eſſe oportere, probat V.) ex dicto apoſtoli Tit. III. 10. *hæreticum poſt unam atque alteram admonitionem devita.* Sed error oritur ex figura dictionis; in Græco enim eſt παραιτε, *fuge & devita* eum, non autem e vita tolle. Johannes Bernhardinus Muſcatellus in pract. crim. c. *de crim. laſ. majeſt. divin.* n. 48. & 49. ſcribit, in regno Neapolitano & aliis provinciis obſervari, *ut hæretici vivi comburantur in conſpectu populi*, & præter alias doctorum auctoritates ad id probandum adducit

f.) *Joh. XV. 6. Si quis non manſerit in me, mittetur foras.*

VI.) dictum Chriſti Joh. XV. 6. *Si quis non manſerit in me, mittetur foras, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent.* Eundem locum pro adſtruendo capitali hæreticorum ſupplicio adducit Simanca in inſtit. c. 46. num. 45. & 46. Sed Didac. Covarruvias, ſcriptor Hiſpanus & pontificius lib. II. var. reſolut. c. 10. agnoſcit, *locum hunc non eſſe ad præſentem quæſtionem adcommodatum.* Idem fatetur Gundiſſalvius de Villadiego apoſtolici palatii auditor de hær. q. 15. num. 4. *Iſta auctoritas evangelii*, inquit, *loquitur non de igne materiali, ſed de igne infernali.* Quaſes enim palmites, qualis vitis, talis quoque ignis manet eos, qui a vera vite ſeſe abſcindunt. At ſpiritualis eſt vitis, ſpirituales ſunt palmites, de quibus Chriſtus loquitur. Ergo intelligitur etiam ignis ſpiritualis. Adde, quod non per hæreſin tantum, ſed per quodvis peccatum mortale contra conſcientiam commiſſum palmites a vite exſcinduntur, ergo vi hujus interpretationis omnes, qui peccatum mortale committunt, pœna ignis a magiſtratu eſſent adficiendi.

2.) *Ex legibus imperatorum.*

§. CCCLXI. *Alteram* argumentorum claſſem ducit Bellarminus ex *ſententiis & legibus imperatorum. Conſtantinus* I. ad petitionem Nicænæ ſynodi Arium cum aliquot ſociis in exſilium relegavit; Sozomenus libr. I. hiſt. c. 20. & Donatiſtas ſupplicio adfecit, ut refert Auguſtinus lib. I. cont. ep. Parmen. c. 7. & in ep. 166. ad Donatiſtas, ubi enumerat multos imperatores optimos, qui ſeveriſſimas leges tulerunt contra hæreticos, & unum ſolum Julianum apoſtatam hæreticis faviſſe. Deinde *Theodoſius*, *Valentinianus*, *Marcianus* & alii religioſiſſimi imperatores leges tulerunt in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exſilio & verberibus, interdum ultimo ſupplicio mulctare voluerunt, ut patet C. *de hæret.* l. *Manichæos* l. *Ariani* l. *Quicunque*. *Juſtinianus* apud Paulum diaconum lib. XVI. lege edita omnes hæreticos de finibus totius imperii ejecit, conceſſis trium menſium ad converſionem induciis, deinde *Michael imperator* apud eundem lib. XXIV. capitalem pœnam

in hæreticos constituit. Resp. 1.) Fatetur Gregorius de Valentia, usque ad tempora Marciani ac Valentiniani, Bellarminus, usque ad tempora Augustini, id est, usque ad annum 430. legem de interficiendis hæreticis nullam fuisse latam. Nam tempore Constantini magni decreta est illis pœna exsilii, ut adparet ex proœm. concil. Nicæn. & ex Sozomeno lib. I. hist. c. 20. addita deinde fuit tempore Theodosii imperatoris pœna pecuniaria, decem scilicet librarum auri, donec Marcianus & Valentinianus tandem ad graviora supplicia descenderent. Ergo melioribus illis ecclesiæ temporibus & apostolicæ ecclesiæ vicinioribus capitalis pœna hæreticorum non fuit usitata, nihilo tamen minus plurimæ & perniciosissimæ hæreses vigilantia piorum imperatorum & episcoporum sunt repressæ. 2.) Quamvis salutares christianorum imperatorum sanctiones minime damnemus, tamen ex verbo Dei de illis judicandum esse nemo diffitebitur, fuerunt illæ dissimiles, & ad statum temporum istorum adcommodatæ, ac proinde sæpius variantes, nos vero hoc loco, non tam de jure civili, quam de jure divino quærimus; unde Beza ipsemet fatetur p. 197. *ab istorum imperatorum temporibus christianos principes officii sui rationem adeo exacte mutuari non posse.* 3.) *Constantinus* Arium hæresiarcham cum sociis in exsilium relegavit, quod nostræ thesi non adversatur, neque enim de exsilio vel deportatione, sed capitali supplicio hæreticorum hoc loco quæritur. Monemus autem pontificios, ut, quemadmodum Arius ex scripturis in Nicæno concilio erroris est convictus, quod testatur ipse Bellarminus lib. II. de conc. c. 12. §. *sic etiam &c.* ita ipsi quoque ex scripturis hæreseos eos legitime convincant, quos pœnis hæreticorum subjicere laborant. 4.) In *Donatistas* capitale supplicium fuisse quandoque statutum concedimus, sed illi fuere seditiosi, & a se dissentientes interfecerunt, quin & exquisitis tormentis subjecerunt, ut constat ex ipsis illis Augustini locis, quæ a Bellarmino citantur. Sic enim scribit lib. I. contra epist. Parmen. (Donatistarum episcopi) c. 7. non longe a principio: *Et si quid temporalis molestiæ passi fuerint per certissimum atque rectissimum ordinem potestatum, cum ipsi privatis furiosorum agminibus multa graviora passim atque quotidie nulla regia, nulla ecclesiastica lege committant, nos corporum persecutores vocant, se animarum interfectores vocant, cum privata licentia nec corporibus* (nota) *parcant.* Et postea: *Cur ipsi, ubi possunt, templa subvertunt, & per furores circumcellionum talia facere aut vindicare non cessant? an justior est privata violentia, quam regia diligentia? &c. Multa eorum sævissima numerantur, imo numerari non possunt, quæ si pauciora essent, vel eos, in quos admittuntur, minus adfligerent, eo ipso certe essent graviora, quod non ab ordinatis potestatibus juberentur, sed extraordinariis furoribus admittuntur, &c. Multa quotidie agunt per furiosos ebriosorum juvenum greges, quibus principes constituunt, qui primum tantummodo fustibus, nunc etiam ferro se armare cœperunt, qui circumcellionum notissimo nomine per totam Africam vagantur, & sæva contra omnem ordinem legum potestatumque committunt.* Epist. CLXVI. ad Donatistas statim in principio: *Mandaverunt nobis quidam presbyteri partis vestræ dicentes, recedite a plebibus nostris, si non vultis, ut interficiamus vos.* Et postea: *Ubicunque vellemus prædicare veritatem, ut eam quisque securus audiret, & volens eligeret, nunquam permisistis per violentias & terrores vestros, &c. Recolite facta circumcellionum vestrorum & clericorum, qui duces eorum semper fuerunt, & videbitis, quæ causa vobis hoc excitaverit, unde injuste querimini, quia vobis omnia ista, ut juberentur, coëgistis,* cujus violentiæ ac tyrannidis specialia exempla complura subjicit. Ep. LXVIII. ad Januarium circa medium: *Pejora mala nobis vestri nunc faciunt, non tantum nos fustibus quassant, ferroque concidunt, verum etiam in oculos exstinguendos calcem mixto aceto incredibili excogitatione sceleris mittunt. Domus insuper nostras compilantes, arma sibi ingentia & terribilia fabricarunt, quibus*

bus armati per diversa discurrunt comminantes atque anhelantes cædes, rapinas, incendia, cæcitates, &c. Imperatores igitur huic Donatistarum crudelitati & furori obviam ituri capitale supplicium in ipsos statuerunt, non tam propter hæresin, quam seditiosa & crudelia ipsorum facinora. Quamvis vero Donatistæ hæresi talia flagitia conjungerent, tamen Augustinus apud judices pro illis deprecatus est, ne usque ad capitis supplicium animadversio in eos procederet, ut constat ex epist. L. ad Bonifacium de *moderate coërcendis hæreticis*; epist. CXXVII. ad Donatum Africæ proconsulem, *ut Donatistas coërceat, non occidat*; epist. CLVIII. ad Marcellinum, in qua rogat, *ut Donatistæ, qui respiscere nolint, castigentur, sed citra mortis pœnam*; epist. CLIX. ad eundem; epist. CLX. ad Apringium judicem, & fatetur ipse Bellarminus cap. 21. §. *Augustinus &c.* 5.) De *Theodosio* disertis verbis memorat Sozomenus lib. VII. c. 12. *magis terrendi causa capitalem pœnam in hæreticos legibus latis ipsum statuisse*, quam quod executioni easdem dederit. *Imperator* (inquit) *lege edixit, ut heterodoxi neque ecclesias colligerent, neque de fide docerent, neque episcopos aut alios ordinarent, & alii civitatibus & agris pellerentur, alii honoribus privarentur, nec eadem ut illis politia uterentur, ac legibus illis gravia supplicia adjecit, sed non est executus. Neque enim punire subditos, sed metu coërcere satagebat, quo illos in dogmate de divinitate Christi concordes redderet.* Idem de Constantini legibus contra Arianos habet Sozomenus lib. II. c. 32. & Nicephorus lib. VIII. c. 52. *Justinianus* etiam, quamvis eruentam legem adversus hæreticos tulerit, nuspiam tamen ex ea in quemquam vindicasse legitur, licet occasio ipsi non deesset in puniendo Anthemio, episcopo Constantinopolitano, Eutychiana hæresi infecto, ut & in Nestorianis, quos alia lege sancita ita compescere voluit, *ut episcopi Nestoriani ecclesiis ejicerentur, laici anathemate percuterentur*, ex quo ipso intelligitur, quod priorem legem in terrorem duntaxat hæreticorum tulerit. Cum enim persecutionibus ethnicorum imperatorum sopitis, & pace ecclesiæ reddita variarum hæresium colluvies cataclysmi instar eo tempore ecclesiam inundarent, & sic violentiæ tyrannorum succederet fraudulentia hæreticorum, sicut in edicto Theodosii & Valentiniani 32. prodigiosæ & monstrosæ hæreses enumerantur; pii imperatores judicarunt ecclesiæ saluti aliter consuli, aut proterviam hæreses in conciliis legitime damnatas propagandi cum seditione plerumque conjunctam aliter coërceri non posse, quam si de quibusdam pecunia mulctandis, aliis in exsilium pellendis, nonnullis etiam capitali supplicio adficiendis leges sancirent, atque hoc severitatis terrore pruritum omnia innovandi ac turbandi compescerent, quamvis nondum certum sit, capitali pœna propter hæresin quemquam ab illis adfectum fuisse. 6.) Inde est, quod Wesenbecius in paratitl. ex ipsis verbis legum demonstrare nititur l. 1. tit. 5. Cod. sanctionem illam *de ultimo supplicio* hæreticis irrogando, vel non ad omnes promiscue hæreticos, sed duntaxat ad Manichæos & similes, qui ad *imam usque scelerum nequitiam pervenerunt*, de quibus etiam l. *Quicunque* expresse loquitur, pertinere; vel ultimum illud supplicium non de supplicio mortis naturalis, sed de *cassatione ultimarum voluntatum & morte civili, videlicet deportatione*, esse accipiendum. Quod dicitur l. 4. C. de hæret. contra Manichæos *inquisitionem in mortem extendi, hoc* (inquit) *non ad supplicium capitis, sed ultimarum voluntatum cassationem, item ad hoc, ut mortuus adcusari, & memoria ejus damnari possit, spectare, ipse textus ostendit & glossa* d. l. 4. verb. subire l. 2. infr. de apostat. l. 1. in fin. C. de summ. Trinit. *nisi dicamus singulare fuisse in Manichæis & similibus, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt, ut ultimo supplicio jure traderentur, tametsi & has constitutiones interpretari fas sit, non de amissione vitæ, sed de deportatione, quæ & ipsa ultimum ac capitale supplicium dicitur* l. Sancimus C. de exsecut. & exact. l. 12. (quamquam J. C. improprie fateor l. ultimum 21. de

de pœn. loqui videatur) *cum hæc conjungantur in d. l. 4. l.* quicunque 8. h. t. *Manichæis etiam de civitatibus pellendis, & ultimo supplicio adficiendis, quomodo enim potuerunt civitate expelli, & quid illa verba operabuntur, si interpretemur supplicium de amissione vitæ ac non potius de deportatione? Quamobrem & reliquas leges, l. 2. infr. ne sanct. bapt. quam nisi sic interpretere, pugnabit cum l. ult. eod. tit. l. pen. de apostat. Et hæc pœna cum ecclesiastica congruit, quod enim hic est excommunicatio, id in imperio & politia civili est bannum seu exsilium. Item quæ canonibus pœna perpetui carceris impœnitentibus hæreticis præstituitur* c. pen. §. ult. extra eod. *ea in foro seculari est deportatio.* l. 5. de interd. & releg. *Nec ultra hunc gradum olim in hæreticos sævitum fuisse, & sic imperatorum constitutiones acceptas, exsilium Arii ac similium docet. Est etiam humanius, licet JC. proprietatis verborum servantissimi, ultimum supplicium de morte naturali interpretentur.* l. ultimum de pœn. l. qui cum 14. §. 2. de bon. l. l. penul. de pœn. *tamen in pœnalibus cum aliud verbis legis diserte nihil admodum est expressum, supplicium seu pœnam capitis potius de deportatione, quam amissione vitæ interpretari, ut pœnæ, quoad ejus fieri potest, benigna interpretatione molliantur* l. pen. de pœn. *& ad minimum adcommodentur* l. semper in obscur. de R. J. *præsertim cum error animi & opinionis non sit ex genere capitalium, imo potius, quæ per se capitalia sunt, mitiget* l si quis adulterum. §. 1. de adulter. idque probat l. quicunque 8. h. t. *ubi pœna deportationis initio præstituta post adpellatur supplicium capitale.* v. ult. *etiam (quæ particula illatoria se refert ad pœnam superiorem) supplicio coërceantur, quæ aliter accepta sibi non constaret, ut contraria, seque ipsam corrigeret, velut lex secunda & tertia,* infr. ne sanct. bap. *quod non est præsumendum.* Hæc Wesenbecius. Sed quia l. 21. ff. de pœn. expresse dicitur, *ultimum supplicium solam mortem interpretamur,* & l. sancimus C. de exsecut. & exact. non de ultimo, sed *perpetui exsilii supplicio* fit mentio, ideo adcuratius dispiciendum, an Wesenbecii interpretatio subsistere possit? 7.) Conjungatur praxis ecclesiæ temporibus illorum imperatorum recepta, quæ manifeste testatur, a quibusdam imperatoribus religionum diversitatem fuisse toleratam, quosdam in hæresiarchas quidem animadvertisse, sed ad sanguinis effusionem non fuisse progressos, verum exsilio duntaxat contentos. Sic Nestorius a Valentiniano & Marciano (quorum decretum Bellarminus vel maxime urget) non interfectus, sed in exsilium pulsus ac proscriptus est. Evagrius lib. II. c. 4. Liberatus in breviario c. 13. &c. Quod si vel maxime sequentibus temporibus tale quid a quibusdam imperatoribus tentatum, illud episcoporum impulsui potius, quam ipsorum voluntati tribuendum, quippe qui ambitione turgidi sanguinarium illum ecclesiæ propagandæ modum imperatoribus bello occupatis, & scripturarum non adeo gnaris persuaserunt, quem pii principes e scriptura rectius edocti imitari non tenentur, quod monet Brentius in lib. *Quomodo magistratus religionis curam gerere debeat?* 8.) Leges imperatoriæ in illos hæreticos pœnas statuunt, qui legitimo juris processu hæreseos sunt convicti, sed pontificia Hispanicæ inquisitionis tyrannis processum illum penitus negligit. Wesenbecius d. l. *Magistratus in hæreticos convictos ac impœnitentes æque animadvertere potest, atque in reliquos facinorosos, ita tamen, ut legitimus criminalium rerum ordo servetur, præmissa denunciatione, & si ea nihil proficitur, instituta adcusatione, vel inquisitione, etiam absque diffamatione præcedente, in qua etsi non omnia judiciorum solennia ad amussim servari necesse est, tamen substantialia legitimæ cognitionis omitti non possunt, ut sunt citatio partis, examinatio causæ idonea, admissio defensionum, probationum, ab utraque parte per confessionem testes saltim duos omni exceptione majores, nam plures requiruntur, si minus idonei sunt, qui & hic recipiuntur, item per literas, instrumenta, libros improbatæ lectionis, etiam tormenta (ut quidam volunt, sed nimis hic quidem periculose*

lose tanquam cruce innocentibus etiam fixa) ex indiciis tamen sufficientibus. Probatione vero contra hæresin impleta, quæ hic urgentissima & validissime concludens esse debet, etiamsi nonnulli non recte leviores sufficere putent, adhibito sapientum consilio & exquisito eorum, qui de doctrina ecclesiæ ac contraria illi hæresi recte judicare possunt, judicio sententia delatoria in hæreticum est ferenda, qua declaratur hæreticus, & ideo illis subjectus pœnis, quae ipso jure huic generi imponuntur, &c. quæ omnia ex fundamentis juris ibidem probat; sed ubi vel quando a pontifice legitimus ille & ordinarius processus observatur?

3.) *Ex legibus ecclesiæ.*

§. CCCLXII. *Tertiam* argumentorum classem petit Bellarminus ex *legibus ecclesiae* cap. *ad abolendam* & cap. *Excommunicamus extra de haereticis*, & in sexto *de haereticis* cap. *super eo, definit ecclesia haereticos incorrigibiles seculari potestati tradendos, ut ab eis debito modo puniantur. Item Constantiense concilium sess. XV. damnavit sententiam Johannis Hussi & ipsum Hieronymum de Praga tradidit seculari potestati; a qua ambo exusti fuerunt. Denique Leo X. articulos Lutheri damnavit.* Resp. 1.) Auctoritate juris pontificii ecclesia Dei obstringi non potest. 2.) Canones non irrogant aliam pœnam, quam excommunicationem, reliquam potestati & arbitrio judicis secularis committunt, quæ arbitria regulariter ad mortem extendi non debet. l. *hodie de pœnis.* Boer. decis. 254. n. 13. Alex. vol. II. consiliorum, 283. Wesenbecius d. l. quapropter hujus erit, pœnam legis, hoc est, deportationem non transgredi. 3.) Canonistis, qui ad ignis pœnam hæreticorum supplicium extendunt, merito hoc opponitur, quod genus illud supplicii nunquam decerni debet, nisi cum lege diserte est expressum. l. *unic.* ubi Salic. C. *de agger. Nili rump.* l. *capitalium* 28. §. 1. *qui cremantur* l. *aut damnum* 8. §. *hosti* l. *si quis* 38. §. 1. *de pœn.* 4.) Concilium Constantiense est recentius, quam ut ordinariam hæreticorum pœnam capitis supplicium esse debere, ex eo probari possit. Si id recte statuit Constantiense conciliabulum, consequens fuerit, prioribus conciliis omnibus illud esse præferendum, quippe quorum nullum adduci potest, quod capitalem pœnam hæreticis irrogandam esse decreverit. Piggius in hierarch. de hoc concilio scribit, quod *contra legem naturae, contra manifestas scripturas, contra vetustatis auctoritatem, & contra catholicam ecclesiae fidem decreverit.* Bellarminus ipse lib. I. de concil. c. 8. §. *quintum &c.* illud refert inter *concilia partim confirmata, partim reprobata.* 5.) Mitiores illi canones, quos superius adduximus, cum sint antiquiores, præferendi sanguinariis Romanorum pontificum constitutionibus. 6.) Damnatio Johannis Hussi & Hieronymi Pragensis in illo concilio non fuit legitima, quippe petita non ex scripturis sacris, sed ex traditionibus pontificiis. Idem de damnatione articulorum Lutheri a Leone X. profecta dicimus. Non defuit huic pontifici promtissima voluntas Lutherum ad ignem rapiendi, unde etiam Romam ab ipso evocatus fuit, sed Deus a crudelitate ista Lutherum præservavit, & ex ore leonis ipsum liberavit 2. Tim. IV. 17.

4.) *Ex testimoniis patrum.*

§. CCCLXIII. *Quartam* argumentorum classem deducit ex testimoniis patrum Cypriani, de exhort. martyr. c. 5. Hieronymi, in c. V. Gal. Augustini, epist. XLVIII. & L. Leonis, epist. XCI. ad Turbium, Optati Milevitani, lib. III. adv. Parm. Gregorii, lib. I. ep. LXXII. & Bernhardi, ser. LXVI. in Cant. *Resp.* 1.) Ex patribus pro nostra sententia superius adduximus testimonia clarissima. 2.) Et fatetur ipse Bellarminus c. seq. resp. ad arg. 16. *Ecclesiam initio solum excommunicasse haereticos, deinde addidisse pœnam pecuniariam, tum amissionem bonorum, postea exsilium, tandem vero ad supplicium capitale devenisse.* Item, *tempore Augustini nondum exstitisse ullam legem imperatorum, qua haeretici jubberentur occidi, Augustinum ipsum semper existe-*

pisse supplicium mortis c. 21. arg. 4. Ergo agnoscit, primis illis & melioribus primitivæ ecclesiæ temporibus capitalia supplicia in hæreticos non fuisse statuta. 3.) Dicta illa patrum nobis non adversantur: a.) Cyprianus non de interficiendis hæreticis, sed de fugienda idololatria agit, quando legem Deut. XIII. proposito suo accommodat. b.) Hieronymus de coërcendis & repellendis, non autem trucidandis hæreticis loquitur, hæreses exstinguendas & resecandas dicit, sed hæreticos per gladium & ignem e medio tollendos esse, nuspiam adserit. c.) Leo non de ense proprie dicto, sed de ense metaphorico legum publicarum, cujus terrore coërcendi & prosternendi sint hæretici, agit. Ibidem addit, *ex lenitate ecclesiasticorum haereses prius fuisse disseminatas*; ex quo adparet dissimile studium illius temporis & pontificiorum ecclesiasticorum, illi enim cruentas ultiones refugerunt, hi magistratum ad sanguinem hæreticorum fundendum exstimulant. Præterea in specie de Priscillianistis agit, quos magos fuisse & fœtidissimæ scelerum sentinæ immersos adserit, cum quibus quid tandem commune habent, quos pontificii ut hæreticos tractant? Denique ipse Leo exponit causam severioris pœnæ in Priscillianistas statutæ: *Videbant* (inquit) *omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset*, quæ verba a Bellarmino sunt omissa. d) Optatus Milevitanus loquitur de peculiari quodam facto Macarii orthodoxi, qui duos ex Donatistis occiderat, ac primo quidem illud improbat, quod solus ecclesia nesciente id fecerat, postea utcunque excusat, quia Donatistis provocantibus sit factum, & quia singulari aliquo zelo ad exemplum Mosis, Eliæ & Pinees fieri potuerit. Atqui ex *facto singulari* regulam generalem inferendam, & quod in seditiosos Donatistas licuit, in omnes hæreticos statuendum esse, nemo facile dixerit. e) Gregorius itidem in specie de facinorosis ac seditiosis Donatistis loquitur, quos armis contra ecclesiam insurgentes armis reprimendos esse, recte statuit. f) Bernhardus nostram potius sententiam confirmat; sic enim verba immediate præcedentia, & a Bellarmino studiose omissa habent: *Hæretici palam impietatem adstruentes, & pro ea mortem subire parati, nec minus parati inferre, qui adstabant. Itaque irruens in eos populus, novos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ martyres dedit. Adprobamus zelum, sed factum non suademus, quod fides suadenda est, non imponenda.* Postea subjicit ea, quæ Bellarminus adducit: *Melius procul dubio gladio coërcerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trajicere permittantur.* Procedit Bernhardus ex comparatis: videri quidem melius coërcere hæreticos gladio, præsertim si non fiat a tumultuante populo, sed a legitimo magistratu; verum hoc non esse suadendum, quod probat ratione generali, quæ & magistratum & populum spectat, quia *fides suadenda est, non imponenda.* Sic ergo nullum in patribus præsidium Bellarminus invenire potuit.

§. CCCLXIV. *Quintam* & ultimam argumentorum classem petit ex *ratione naturali*; atqui in quæstionibus fidei & religionis non adtendenda est humana ratio, sed divina revelatio. Videamus tamen, quid adferat? *Primam* rationem petit ex *pœnæ ecclesiasticæ & politicæ comparatione*: *Hæretici jure possunt excommunicari. Ergo & occidi. Probatur consequentia, quia excommunicatio major pœna est, quam mors temporalis*, teste Augustino lib. I. cont. adversus legis & prophet. c. 17. Resp. 1.) per inversionem: Quod in ecclesia est excommunicatio, id in politia est exsilium sive deportatio. Ergo ut inter pœnam ecclesiasticam & politicam sit conformitas, hæretici a magistratu politico non sunt interficiendi, sed in exsilium pellendi. 2.) Per deductionem ad absurdum: Si illi, qui possunt ab ecclesia excommunicari, a magistratu

5.) *Ex ratione naturali.*

a.) *A pœnæ ecclesiasticæ & politicæ comparatione.*

ſtratu etiam poſſunt occidi; conſequens fuerit, ſcortatores, heluones, contentioſos, &c. cum propter pertinaciam in delictis poſſint excommunicari, debere etiam a magiſtratu occidi. 3.) Repugnat hoc argumentum praxi Chriſti & apoſtolorum. Chriſtus eum, qui *eccleſiam non audierit, ut ethnicum & publicanum habendum eſſe*, docuit, ſed interficiendum eſſe nuspiam ſignificavit. Paulus inceſtuoſum Corinthium excommunicat, & ſatanæ tradit, ſed carnifici ad mortem eum tradendum eſſe, nuspiam ſuadet, quin imo pro ipſo intercedit, ut acta pœnitentia in eccleſiæ conſortium iterum recipiatur. 4.) Pugnat cum hypotheſi ipſius Bellarmini. Is enim lib. III. de eccleſ. milit. c. 6. §. 8. agnoſcit, *poſſe aliquem injuſte excommunicari, & talem animo quidem eſſe adhuc in eccleſia, quod illi ſufficiat ad ſalutem.* Atqui ſi ab excommunicatione ad capitis ſupplicium recte concluditur, etiam injuſte excommunicatus capitis pœnam luere cogeretur, qua ratione eccleſia excommunicatione ſua gravius peccaret. 5.) Confundit diverſa pœnarum genera. Excommunicatio eſt pœna eccleſiaſtica, ſed capitale ſupplicium eſt pœna politica. Valet argumentum a majori ad minus in eodem genere pœnæ. E. g. qui in genere pœnæ corporalis rotam meritus, is multo magis gladium ac fuſtigationem tanquam pœnas minores promeruiſſe cenſendus: qui in genere pœnæ ſpiritualis excommunicationem majorem meritus, is multo magis excommunicationem minorem promeruiſſe judicandus. Sed non licet ſaltum facere ex uno pœnæ genere in aliud, quandoquidem ut fora ſunt diſtincta, ſic pœnæ quoque toto genere invicem differunt. 6.) Committit fallaciam a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Major & gravior pœna eſt excommunicatio, quam occiſio corporalis non abſolute ac ſimpliciter, ſed ratione eventus, nimirum ſi non ſequatur excommunicati reſipiſcentia, tunc enim æterna damnatio huic pœnæ eſt conjuncta, juxta effatum Chriſti: *Quae ligata ſunt ſuper terram, erunt etiam ligata in cœlis*, Matth. XVI. 19. Joh. XX. 23. interim tamen minor eſt ſupplicio capitali reſpectu finis, & certi cujusdam accidentis. Ideo enim excommunicatus *traditur ſatanæ, ut ſpiritus ſit ſalvus in die Domini noſtri Jeſu Chriſti*, 1. Cor. V. 5. hoc eſt, ut ex ejusmodi pœna, pudore, dolore, triſtitia & pœnitentia exorta, caro ſeu vetus homo, quæ in hoc præcipitium ipſum abripuit, dometur, crucifigatur & interimatur, contra vero ſpiritus interior, ſeu novus homo, qui in certamine illo ſuccubuit, reviviſcat, ſeſe erigat, & ſuperſtes maneat. Sed corporale ſupplicium ideo infligitur, ut homo penitus e civili ſocietate & e medio tollatur. Excommunicatio ergo locum adhuc relinquit inſtitutioni & informationi, ſed corporale ſupplicium hæretico pœnitentiæ tempus atque occaſionem penitus amputat.

b.) *Ab experientiæ teſtificatione.*

§. CCCLXV. *Secundam* rationem petit ab *experientiæ teſtificatione. Experientia docet, non eſſe aliud remedium. Nam eccleſia paulatim progreſſa eſt & omnia remedia experta, primo ſolum excommunicabat, deinde addidit mulctam pecuniariam, tum exſilium, ultimo coacta eſt ad mortem venire, quia reliqua media & remedia, videlicet excommunicatio, mulcta, carcer, exſilium, &c. ab hæreticis contemnuntur.* Reſp. 1.) per *inficiationem*: illa remedia adcommodatiſſima judicanda, quæ cum verbo Dei & primitivæ eccleſiæ praxi congruunt. Nobis quidem videtur adcommodatum remedium, vi & ſuppliciis cogere homines ad fidem, ſed meminerimus, hoc eſſe contra naturam fidei, quæ ſuadenda non imponenda, contra naturam nov. teſt. in quo eccleſia non ferro, ſed verbo propaganda, contra naturam caritatis, quæ errores interficit, homines diligit. Quod ſi qui violentis mediis ad fidem converſi videntur, illud totum eſt ex accidenti, quatenus poſt coactionem rectius fuere informati, & ſponte errores ſuos abjecerunt, ideoque non tam violentæ coactioni, & armorum ſuppliciorumque illationi, quam placidæ informationi converſio illorum adſcribenda, quæ ſi

desit, non nisi hypocritica oris professio per violentiam extorquetur. 2.) Per *concessionem*: plenaria & omnimoda ecclesiæ ab hæresibus repurgatio in hac vita sperari, vel a magistratu obtineri nequit; 1. Cor. XI. 19. ergo si vel maxime mitioribus illis mediis ac remediis, quæ infra capitis supplicium subsistunt, hæreticorum omnium conversio obtineri nequeat, tamen solemur nos promisso Christi, quod in fine seculi *missurus sit angelos, qui ex regno suo omnia zizania colligant*, Matth. XIII. 30. & *aream suam plene purgaturus*. Matth. III. 12. 3.) Per *inversionem*: Experientia teste comprobatur, persecutionibus & suppliciis hæreticos non converti, sed potius magis inflammari, ut multis probat Thuanus in præf. operis sui historici. Primis quatuor ecclesiæ christianæ seculis complures hæreses sine corporali gladio & igne ab episcopis felicissime sunt repressæ & jugulatæ. Quod pontificii gradibus illis pœnarum in primitiva ecclesia usitatis non sunt contenti, id a primitivæ ecclesiæ doctrina & praxi secessionem ipsos fecisse, manifeste arguit. Monstret vero nobis Bellarminus hæresin aliquam, quæ superiori seculo pontificis gladio & igne penitus exstingui potuerit? 4.) Per *quamdam ad absurdum deductionem*: si ideo hæretici sunt interficiendi, quia reliqua media ad hæreses exstirpandas non videntur sufficere; consequens erit, eos, qui in moribus sunt incorrigibiles, ut contentiosos, heluones, libidinosos, &c. tandem occidendos esse, cum pœnas reliquas contemnere videantur.

c.) *Ex hæreticorum cum falsariis collatione.*

§. CCCLXVI. III.) Ex *hæreticorum cum falsariis collatione: falsarii omnium judicio merentur mortem; at hæretici sunt falsarii verbi Dei.* Resp. 1.) per *inversionem*: in crimine falsi pœna regularis & summa est *deportatio*, nisi in casibus quibusdam exceptis l. *ubi in fin.* C. *de fals.* l. 1. §. *fin.* ff. *ad* l. *Cornel. de fals.* sic in hæreseos crimine summus pœnæ gradus regulariter sit deportatio vel relegatio. Wesenbecius in parat. C. *de hæret.* num. 6. 2.) Per *distinctionem*: hæretici sunt falsarii non politici, sed spirituales & ecclesiastici. Ergo non debent adfici supplicio in falsarios politicos constituto, sed pœna ecclesiastica. Quale est delictum, talis quoque pœna. Sed falsatio verbi est delictum spirituale, non ad forum soli, sed ad forum poli proprie & directe pertinens, nisi seditio accedit. Ergo non puniendum est pœna capitali civili, sed sufficit exclusio hæretici a patria cœlesti, Apoc. XXII. 19. in foro civili catenus coërcetur, quatenus ecclesiæ pacem perturbat. 3.) Per *deductionem ad absurdum*: si falsarii verbi divini capitis pœna adficiendi, tum doctores pontificii non erunt a gladio & igne liberi, quia plurima scripturæ dicta violentis & peregrinis suis glossis pervertunt, & crimen falsi sæpius committunt.

d.) *Ex quadam Augustini ratiocinatione.*

§. CCCLXVII. IV.) Ex *Augustini ratiocinatione*: ep. L. *Gravius est non servare fidem hominem Deo, quam fœminam viro. Sed hoc punitur morte, cur non & illud?* Resp. 1.) Si hoc argumentum obtinere debet, non solum hæretici, sed omnes omnino peccatores, qui fidem in baptismo Deo datam non servarunt, sed variis transgressionibus violarunt, e medio tollendi erunt. 2.) Vt distincta sunt duo illa fora, ecclesiasticum ac politicum, ita quoque distinctæ sunt utriusque fori pœnæ. Hæresis est gravius delictum, quam adulterium, in foro scilicet ecclesiastico, sed adulterium gravius est delictum, quam hæresis in foro politico, quod externam locomotivam & reipublicæ incolumitatem potissimum respicit l. *cogitationes de pœnis.* Ergo ex gravitate delicti in foro ecclesiastico non debet processus fieri ad gravitatem pœnæ in foro politico. 3.) Quinimo cum hæresis gravius sit delictum adulterio, ideo etiam gravius puniri debet, videlicet non pœna corporali capitali, sed spirituali, excommunicatione scilicet, quam sequitur pœna æterna, nisi ea antevertatur resipiscentia. 4.) Augustinus d. l. non tam de *modo*

do pœnæ in ſpecie, quam de *jure irrogandæ pœnæ in genere* diſputat, hoc eſt, non probat, capitaliter eſſe puniendos hæreticos, ſed a magiſtratu jure eos puniri poſſe. Cum enim oſtendiſſet, imperatores neceſſitate compulſos fuiſſe, ut Donatiſtarum furori obſiſterent, poſtea ſubjicit: *Cur cum datum ſit homini divinitus liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacrilegia permittantur? an fidem non ſervare animam Deo levius eſt, quam fœminam viro?* Opponit ergo invicem pœnam adulterii & ſacrilegii impunitatem, at nec hæreſin nec ſacrilegia a magiſtratu impunita eſſe cupimus. 5.) Si a gravitate delicti in foro eccleſiaſtico recte procedi poſſet ad gravitatem pœnæ in foro politico, poſſem ex eodem principio inferre: Idololatria gravius peccatum eſt, quam hæreſis ſimplex, ut conſtat; at avaritia eſt idololatria, & avari ſunt idololatræ: ergo avari gravius puniendi, quam hæretici.

e.) *Ex cauſarum, propter quas capitalia ſupplicia irrogantur, enumeratione.*

§. CCCLXVIII. V.) Ex *cauſarum, propter quas capitalia ſupplicia irrogantur, enumeratione. Tres* (inquit) *cauſæ ſunt, propter quas ratio docet homines eſſe occidendos, quas enumerat Galenus in lib.* quod mores animi ſequantur temperamentum corporis; 1.) *ne mali bonis noceant, neve innocentes a nocentibus opprimantur;* 2.) *ut paucorum ſupplicio multi corrigantur, & qui noluerunt prodeſſe reipublicæ vivendo, proſint moriendo;* 3.) *quia ipſis hominibus, qui occiduntur, ſæpe utile eſt occidi, quando videlicet ſemper fiunt pejores, & non eſt probabile, unquam eos ad ſanitatem mentis reverſuros. Hæ autem rationes omnes ſuadent, haereticos eſſe occidendos:* 1.) *nocent proximis magis, quam ullus pirata vel latro, quandoquidem animas occidunt, imo tollunt fundamentum omnis boni, & rempublicam tumultibus replent.* 2.) *Plurimis prodeſt eorum ſupplicium, multos enim, quos impunitas faciebat torpentes, ſupplicia propoſita excitant, ut cogitent, qualis ſit haereſis, quam ſequantur.* 3.) *Quo diutius vivunt haeretici, eo plures errores excogitant, plures pervertunt, & majorem ſibi damnationem adquirunt.* Reſp. 1.) Quæ de homicidis, latronibus, furibus, & aliis facinoroſis politice reis a Galeno & aliis recte diſputantur, ea non poſſunt nec debent transferri ad hæreticos eccleſiaſtice reos, ſi a ſeditione adverſus magiſtratum & aliis politicis delictis ſibi temperent, confunduntur enim ea, quæ ſunt adcurate diſtinguenda, forum ſcilicet eccleſiaſticum & forum politicum. 2.) Invertimus igitur argumentum: Vt magiſtratus politicus in facinoroſos pacem reipublicæ turbantes utitur gladio corporali, ſic eccleſia in hæreticos pacem eccleſiæ turbantes utatur gladio ſpirituali; nequaquam vero confundantur pœnæ eccleſiaſticæ & politicæ. 3.) Si hæ rationes neceſſariam inferendi vim haberent, ex iisdem colligi poſſet, avaros, libidinoſos, contentioſos, ebrioſos &c. eſſe a magiſtratu occidendos, quia exemplo ſuo aliis nocent, multi ſupplicio ipſorum corrigi poſſent, & hæc occaſio in ſalutem ipſis cederet, quia ulterius peccandi occaſio illis adimeretur. 4.) De tanta re, videlicet capitali ſupplicio hæreticorum non poteſt nec debet ex noſtris ratiocinationibus, ſed ex verbo Dei aliquid ſtatui, ne ab ipſius præſcripto recedatur. Jam vero de capitali hæreticorum in nov. teſt. ſupplicio non poteſt evidens aliquod ſcripturæ teſtimonium adferri. 5.) Gladius corporalis non hæreticas opiniones ex animis evellit, ſed corpora tantum interimit. Quamvis ergo terrorem ſpectatoribus incutiat, tamen niſi ex verbo rectius edoceantur, ab hæreſi eos haudquaquam revocat, ſed ad eamdem potius animat. Quod ſi omnino alii ab hæreſi pœnis deterrendi, utique etiam reliquis pœnis infra capitales ſubſiſtentibus finis iſte obtineri poteſt, carcere ſcilicet, exſilio, deportatione, &c. 6.) *Hæretici ideo occiduntur*, inquit hoc loco Bellarminus, *quia plus nocent proximis, quam ullus pirata vel latro.* Sed lib. III. de laicis cap. 22. dicit: *Tametſi haretici eccleſiæ nocere videantur, tamen revera non nocent, ſed eam exercent, &*

in sapientia ac potentia proficere faciunt. 7.) Non beneficium est, sed maximum potius damnum, si hæretici gladio jugulentur, antequam ab errore ad veritatis cognitionem perducantur. Si Augustinus in Manichæorum hæresi adhuc hærens e medio fuisset sublatus, ecclesia insigni doctore, ipse vero felicitate æterna privatus fuisset.

f) *Ex juris naturalis institutione.*

§. CCCLXIX. Atque hæc sunt, quæ ex ratione naturali Bellarminus protulit. Gregorius de Valent. p. 531. & Beza p. 167. addunt VI.) argumentum ex jure naturæ: *Omnibus gentibus ratione duce hos usurpatum fuit, ut qui religionem violarent, quam illi colerent, acerbissimis suppliciis mulctarentur*, ut est apud Platonem lib. X. de legibus, & Livius scribit lib. IX. decad. 4. *jam inde a Romanæ reipublicæ initiis negotium fuisse magistratibus datum, ut sacra externa fieri vetarent, sacrificulos vatesque foro, urbe, circo prohiberent, vaticanos libros conquirerent comburerentque, & omnem disciplinam sacrificandi præterquam more Romano abolerent.* Resp. 1.) De jure naturæ judicandum ex norma juris divini & verbi revelati. 2.) Consuetudo puniendi hæreticos capitaliter non fuit apud omnes populos ubique & semper recepta; multi enim diversitatem & varietatem religionum tolerarunt, & adhuc tolerant. 3.) Populi illi, apud quos capitalia supplicia adversus dissentientes in religione fuere usitata, potuerunt eam consuetudinem mutuari ex legibus Mosaicis, quæ cum in nov. test. abrogatæ sint, frustra gentilium quorumdam consuetudo opponitur. 4.) Ex illis gentilium legibus & exemplis nihil aliud colligi potest, quam coërcendos & puniendos esse, qui religionem violant, sed modus pœnæ ex illis peti nequit, quia is pro circumstantiarum ratione apud diversos populos fuit varius ac diversus. 6.) Gentilem illum morem sæviendi ad mortem usque in eos, qui a communiter recepta religione dissentiunt, graviter taxant Lactantius, Arnobius & alii ex veteribus, qui contra gentiles disputant, frustra igitur capitali hæreticorum supplicio patrocinium ex eodem quæritur.

SECTIO VI.

DE OFFICIO MAGISTRATVS ERGA HOSTES.

Ratio ordinis.

§. CCCLXX. Expositum fuit hactenus, quomodo magistratus *erga Deum, erga se ipsum, erga familiares & domesticos, erga vicinos populos, & erga subditos suos* sese gerere debeat, restat, ut explicetur, qualem *erga hostes* sese præstare conveniat, qui rempublicam evertere, & subditos perfundare adlaborant. Pari ratione dictum a nobis fuit hactenus, quomodo magistratus apud subditos suos obtinere possit ac debeat, ut εὐσεβῶς καὶ δικαίως, *pie ac juste* vivant; explicandum igitur porro, quomodo obtinere possit, ut ἡσυχῶς, *pacifice* & ab aliorum injuriis ac oppressionibus secure vivant. Diximus de *legitima subditorum gubernatione*; superest, ut de *justa reipublicæ ac subditorum defensione* in posterum differamus. Quod enim conveniat magistratui, ac officii ratione ipsi incumbat, subditos fidei suæ commissos tutari ac defendere, hostibus reipublicæ fortiter resistere, ac sedulo providere, ut subditi ab aliorum insultibus & injuriis liberi pacatam & tranquillam vitam agant, id probatur 1.) ex *manifestis scripturæ dictis*: 1. Tim. II. 1. *Hortor igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* v. 2. *Pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, &c.* Si preces, quas pro magistratu fundunt subditi, hunc debent propositum habere scopum, ut sub tutela magistratus quietam & tranquillam agant vitam, utique etiam ad officium magistratus pertinet sedulo

dulo providere, ut subditi ab hostium injuriis securi ac liberi tranquille vivant. Finis precum complectitur etiam magistratus officium. Huc pertinent cognata dicta: Jer. XXIX. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum*, (ut Dei & magistratus beneficio ab hostium incursionibus sit tuta & tranquilla) *quia in pace illius erit pax vobis.* Baruc. I. 11. *Orate pro vita Nabuchodonosoris, regis Babylonis, & pro vita Balthasar filii ejus, ut sint dies eorum, sicut dies cæli super terram*, v. 12. *& ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, ut vivamus sub umbra Balthasar filii ejus, & serviamus eis multis diebus.* 2.) Ex *elogiis & encomiis*, quæ magistratibus tribuuntur. Vocantur enim *dii*; Exod. XXII. 28. Psal. LXXXII. 1. Vt ergo Deus ecclesiam suam non solum regit ac gubernat, sed etiam defendit ac tuetur: ita quoque magistratus rempublicam, tanquam Dei vicarius, non solum regat ac gubernet, sed etiam tueatur. Vocantur *patres*; Gen. XLI. 43. 1. Sam. XII. 15. XXIV. 12. ut ergo pater liberos suos non solum nutrit, fovet, educat in disciplina, sed etiam patrocinium eorum suscipit: sic magistratus subditis defensionem præstet. Vocantur *clypei seu scuta terræ*, Psal. XLVII. 10. Hos. IV. 18. propter defensionem ac protectionem, quam officii sui ratione debent subditis. Comparantur *portis*; Psalm. XXIV. 7. CXLVIII. 13. ut enim portæ ac muri sunt munimentum urbis, sic magistratus est præsidium & munimentum subditorum. Comparantur *montibus* Mich. VI. 2. propter robur & fortitudinem, quia in montibus arces, castella & munitiones regionum solent collocari: sic magistratus est præsidium subditorum, ad quem in periculis velut ad montem firmum confugiunt. Vocantur *salvatores & opitulatores*, Jud. III. 9. 2. Reg. XIII. 5. quia salutem & auxilium ab hostibus populo præstant. Vocantur *pastores*; Esa. XLIV. 28. Jer. XLIX. 19. Vt ergo pastor gregem suum ab incursibus luporum defendit: Joh. X. 12. 1. Sam. XVII. 34. sic magistratus rempublicam ab hostibus tueatur. Quo etiam referri potest visio Dan. IV. 8. & seqq. ubi beneficia, quæ a magistratu erga subditos proficiscuntur, sub *specie arboris excelsæ* umbram bestiis præstantis describuntur, quia magistratus subditis defensionem & quietam habitationem procurat. 3.) Ex *probatis regum exemplis*. De *Salomonis* pacifico imperio dicitur 1. Reg. IV. 25. *habitabat Israël & Juda absque timore ullo unusquisque sub vite sua & sub ficu sua*; nimirum quia potentia ipsius terrori erat hostibus, & regnum suum in statu pacato & tranquillo conservabat. *Alphonsus* rex pro insigni gerebat pelicanum rostro pectus fodientem, & sanguine occisos suos pullos vivificantem additis hisce verbis: *Pro lege & pro grege.* Huc pertinent omnia bella defensiva, quæ reges ac duces Israëlitici gessisse memorantur, eorum enim finis fuit pax & tranquillitas populi, quam hostes turbare conati fuerunt.

An magistratui bella gerere liceat adversus hostes?

§. CCCLXXI. Ex eo enim, quod magistratus subditis defensionem præstare tenetur, porro colligimus, licitum esse magistratui bella gerere adversus hostes, (*) qui pacem reipublicæ turbare, & subditorum incolumitatem labefactare conantur;

(*) Paucis heic notamus, non unam omnium de bello esse sententiam. Fuerunt jam inter antiquissimos cœtus christiani doctores, qui omnia bella christianis illicita esse pronunciarunt, veluti Tertvllianvs atque Origenes, ille quidem in *libr. de idololatria cap. XIX.* & *de corona militis cap. II.* hic vero *libr. VIII. contra Celsum p. 425. seqq.* Hisce ex recentioribus præter Anabaptistas, Weigelianos, Socinianos, seu Photinianos, quos vocant, supra a Gerhardo notatos, Desiderivs Erasmvs, Roterodamensis in libello *de militia christiano*, Jo. Fervs in *lib. de pace tenenda*, apud Sixtvm *Senensem libr. VI. biblioth. sanctæ, adnotat. CLI.* suum adjecerunt calculum. Ast veram sententiam, quod bella licita sint, erudite solideque defendit Hvgo Grotivs *libr. I. de jure belli ac pacis cap. II.* ubi argumenta quoque dissentientium refellit. Quod speciatim ad Anabaptistas attinet, de iis legi meretur Jo. Mvllervs *de anabaptismo*, ubi ex instituto contra eos disputat. Jungi meretur

tur; id vero antequam contra Anabaptistas ac Photinianos immotis demonstremus argumentis, notari jubemus, distinguendum esse 1.) inter bellum *spirituale & corporale*. Spirituale ratione principii & instrumenti sic dicitur, quod spiritus noster armis spiritualibus gerit adversus satanam, carnem & mundum. 2. Cor. X. 5. Eph. VI. 12. corporale, quod armis corporalibus, sive ut apostolus loquitur, carnalibus adversus hostes externos geritur. De spirituali bello h. l. non quæritur, sed de corporali. 2.) Inter *bellum & prælium*, πόλεμον καὶ μάχην. Bellum est hostilis & publica dissensio, qua edicto magistratus vi & armis scelera reprimuntur, ut homines pacate & tranquille vivere possint. (*) Prælium est ipsa pugna & conflictus eorum, qui inter se dissident. De utroque h. l. quæritur. 3.) Inter *bellum justum & injustum*, *legitimum & illegitimum*; nemo enim existimet, quando contra Anabaptistas & Photinianos bella defendimus, probari a nobis quævis bella, sed distinguendum esse dicimus inter *bella injusta*, *temeraria & illegitima*, quæ ex ambitione & avaritia, sine justa & necessaria causa ad fines imperii ampliandos suscipiuntur, ac inter *bella justa*, *necessaria & legitima*, quæ adversus hostes, subditorum libertatem, facultates & vitam petentes, ac veram religionem ipsis eripere conantes magistratus auctoritate geruntur. (**) Illa ex animo detestamur, tanquam latrocinia, nec dubitamus adfirmare, auctores ejusmodi bellorum gravissimam aliquando Deo reddituros esse rationem pro cædibus, rapinis, incendiis, stupris, devastationibus, adeoque pro omnibus, quæ occasione talium bellorum fuerunt gesta: hæc vero non in vet. solum, sed etiam in nov. test. licita esse adserimus, idque sequentibus probamus fundamentis.

Bella esse licita probatur I.) ab auctoris eorum principalis denominatione.

§. CCCLXXII. I.) Ab *auctore bellorum principali*. Quod Deo auctore suscipitur, id per se & in se non est vitiosum aut prohibitum. Bella necessaria & defensiva Deo auctore suscipiuntur. Ergo in se ac per se non sunt vitiosa aut prohibita. *Adsumtum* multis confirmari potest scripturæ dictis, historiis & exemplis. 1.) Qui bella præcipit, eo auctore bella geruntur. Deus præcipit bella legitima. De bello Abrahæ contra quatuor reges gesto dicit Dominus Esa. XLI. 4. *Quis hæc operatus est & fecit? ego Dominus.* Num. XXXI. 2. dicit Dominus ad Mosen: *Vlciscere prius filios Israël de Midianitis, & sic colligeris ad populum tuum*; v. 3. statimque Moses dixit ad populum: *Armate ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Midianitis.* Jos. I. 6. dicit Dominus ad Josuam: *Confortare & esto robustus, tu enim hæreditate distribues terram populo*; ubi præcipit Josuæ, ut bellum inferat Cananæis gentibus, ac solatur eum, ne robur & potentiam earum pertimescat, sed de auxilii divini præsentia certus alacriter & forti animo bella gerat. Jos. X. 2. dicit Dominus ad Josuam: *Tolle tecum multitudinem pugnatorum, adscende in oppidum Hai.* v. 8. præcipit Dominus eidem, ut Gabao-

tur b. Buddei dissertatio *de concordia religionis christianæ statusque civilis, cap. V. §. V.* Erasmi vero, nec non Roberti Barclaji argumenta, quæ is in *apologia theolog. vere christianæ* in medium attulit, sub examen vocavit Christ. Kortholtvs in dissert. *de studio belli & pacis.*

(*) Albertus Gentilis lib. I. de jure belli c. 2. *Bellum est justa publicorum armorum contentio.* Kirchnerus de rep. disp. 21. thes. 1. *est vis reipublicæ legitima adversus hostem.* Gerhardvs.

(**) Pavlvs Laymannvs in *theologia morali libr. II. tr. 3. cap. XII. n. 5.* decem enumerat justas belli causas, quas vero alii, Pvfendorfivm secuti, tribus includunt capitibus. Scilicet *justæ* istæ causæ, ut laudatissimi viri verbis utamur, „huc „redeunt, ut nos & nostra servemus ac tueamur „contra injustam aliorum invasionem; aut ut, quæ „nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, adsera„mus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cau„tionem in posterum obtineamus.„ Vid. ejusdem *libr. II. de officio hominis & civis, cap. XVI. §. 2.* Nec desunt, qui omnes istas causas unico momento defensionis sui contra injurias includi posse statuunt. Vid. Treverym in *adnotat. ad h. l. p. 605.*

Gabaonitis adversus hostes succurrat. *Ne timeas*, inquit, *in manus enim tuas tradidi illos.* Jud. I. 1. eligit Deus Judam, ut *pugnet pro Israëlitico populo contra Cananæos.* Jud. III. 1. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israëlem & omnes, qui non noverant bella Cananæorum, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Jud. VI. 14. Deus Gideoni mandat: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Midian, scito, quod miserim te.* 1. Sam. XV. 2. Deus ad Saulem dicit: *Recensui, quæcunque fecit Amalek Israëli, quomodo restitit ei in via, cum adscenderet de Ægypto.* v. 3. *Nunc ergo vade, & percute Amalek, & anathema fac universa ejus.* 1. Sam. XXX. 7. David per Abiathar sacerdotem consulit Dominum, an *Amalekitarum exercitum insequi, & bello adversus eos experiri debeat*, cui Dominus respondet: *Persequere, comprehendes enim eos, & excuties prædam.* De Cyro dicit Dominus Esa. XLV. 1. *Adprehendi dextram ejus, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum discingam.* Ergo Deo auctore bella legitima geruntur. 2.) Quæ spiritu Dei impellente fiunt, Deo auctore suscipiuntur. Bella legitima Spiritu Dei impellente dicuntur facta: Jud. III. 9. *Clamaverunt Israëlitæ ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, & liberavit eos*, Othonielem scilicet, v. 10. *& factus est super eum Spiritus Domini, egressusque est ad pugnam, &c.* Jud. VI. 34. *Spiritus Domini induit Gideonem, ut bello Midianitas aggrederetur.* Jud. XI. 29. *Factus est super Jephte Spiritus Domini, ut pugnaret contra Ammonitas.* Jud. XV. 14. *Spiritus Domini irruit in Samsonem, ut Philistæos hostes populi Dei percuteret.* Ergo bella legitima Deo auctore suscipiuntur. 3.) Qui belligerandi rationem & leges belli præscribit, eo auctore etiam bella geruntur. Deus belligerandi rationem, & leges belli præscribit. Num. X. 9. *Si exieritis ad bellum in terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis tubis ululantibus, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.* Num. XXXI. 27. *de prædæ bello captæ divisione* Deus statutum facit. Deut. XX. 3. *Adpropinquante prælio stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israël, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, &c.* v. 10. *Si accesseris ad expugnandam urbem, offeres ei primum pacem.* v. 19. *Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, quia de illis vesceris, nec securibus per circuitum debes vastare regionem, quoniam lignum est & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* Jos. VIII. 2. dicit Dominus ad Josuam: *Pone insidias urbi Hai post eam.* 2. Sam. V. 23. dicit Dominus ad Davidem: *Non adscendas contra Philistæos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso pyrorum.* v. 24. *Et cum audieris sonitum vocis incedentis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philistæorum.* Ergo Deo auctore bella legitima geruntur. 4.) Qui belli gerendi peritiam heroibus concedit, eo auctore bella geruntur. Deus belli gerendi peritiam heroibus concedit: 2. Sam. XXII. 35. Psalm. XVIII. 35. *Qui docet manus meas ad prælium, & intendere facit, ut arcum æreum brachia mea.* v. 36. *Dedisti mihi clypeum salutis, & dextra tua suscepit me.* Psalm. CXLIV. 1. *Benedictus Dominus, petra mea, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* In bello gerendo opus est patientia in ferendis laboribus, fortitudine in periculis, industria in rebus adeundis, celeritate in negotiis conficiendis, consilio in providendis, quæ certe non possunt nisi Dei dono haberi. Huc pertinet, quod Esa. III. 2. Deus pœnæ loco minatur, quod *virum fortem & bellatorem auferre velit*; utique ergo bellandi robur ac peritia est Dei donum. 5.) Qui mirabiles victorias bellantibus concedit, eo etiam auctore bella geruntur; nisi enim bella probaret, victoriam belli-

gerantibus neutiquam concederet. Deus mirabiles victorias bellantibus & certantibus concessit. Ergo &c. Gen. XIV. 20. ad Abrahamum, victorem ex bello Sodomitico reversum, inquit Melchisedecus: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui possidet cælum & terram. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Esa. XLI. 2. de hac Abrahæ victoria dicitur, quod *Deus dederit in conspectu ejus gentes, ut etiam regibus dominaretur*, id est, quod in manum ejus dederit quatuor potentes reges gentium, quos exigua manu adgressus, in fugam conjecit. Exod. XVII. 9. Moses jubet contra Amalekitas aciem a Josua instrui, ipse interim virgam Dei in manu habens *adscendit super verticem collis, & levans manum ad Dominum pro victoria obtinenda preces facit, sic ergo debilitavit Josua Amalek, & populum ejus in ore gladii, ædificavit postea Moses altare, & vocavit nomen ejus, Dominus vexillum meum.* Huc pertinent innumera exempla mirabilium victoriarum, quas Israëlitæ in bellis ex hostibus suis reportarunt, quarum auctorem & largitorem scriptura prædicat Deum, qui est verus אִישׁ מִלְחָמָה, *vir belli*, sive bellator, *der rechte Kriegsmann*: Exod. XV. 3. שַׂר־צְבָא יְהוָה, *Princeps exercitus Domini*, Jos. V. 14. qui promittit Deut. VII. 20. quod *crabrones velit mittere in gentes Cananæas*, consternatas eas reddere consternatione magna, tradere reges earum in manus populi sui &c. Jos. X. 13. sol in medio cœli ad preces Josuæ constitit, ut posset se de hostibus vindicare, eosque internecione delere, quin & Deus ipse misit super hostes populi sui *lapides magnos de cælo, & mortui sunt plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israël.* Et quis possit victorias illas omnes enumerare, quas reges & duces Israëlitici divino beneficio ex hostibus reportarunt? sufficiat in genere adnotare dicta, in quibus victoria bellica Deo auctori expresse tribuitur. Deut. XXXIII. 29. dicit Moses ad populum Israëliticum: *Deus est scutum auxilii tui, & gladius excellentiæ tuæ.* Lutherus: *Er ist das Schwerdt deines Siegs.* Jud. III. 10. *Othniel egrediebatur ad pugnam, ac Deus dedit regem Syriæ in manus ejus.* Jud. V. 8. *Nova elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit.* v. 20. *De cælo dimicatum est contra eos, stellæ in ordine & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* 2. Sam. X. 12. Joabus belli eventum in manu Dei esse agnoscit: *Esto*, inquit ad Abisai, *vir fortis, & confortemus nos pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri, Dominus autem faciat, quod est bonum in oculis ejus.* Psal. XLIV. 4. *Non in gladio suo possederunt terram*, (Israëlitæ) *& brachium eorum non salvavit eos: sed dextra tua & brachium tuum & illuminatio vultus tui, quia beneplacitum habuisti in eis.* v. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo conculcabimus insurgentes contra nos.* Psalm. CXLIV. 10. *Qui das salutem regibus.* Lutherus: *Der du den Königen Sieg giebst; qui redemisti servum tuum David de gladio maligno.* Prov. XXI. 31. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* Judith. IX. 8. *Tu es Deus noster, qui conteris bella ab initio, Dominus est nomen tibi.* v. 13. *Non in multitudine est virtus tua, neque in equorum viribus voluntas tua est.* 1. Macc. III. 18. inquit Judas: *Facile est concludi multos in manus paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cæli liberare in multis & in paucis.* v. 19. *Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* 2. Macc. XIII. 15. Judas dat suis hoc symbolum: *Dei est victoria*, cap. XV. 21. invocat Deum, *qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.* 6.) Quæ bella vocantur *bella Domini & ultiones Domini*, ea etiam Deo auctore geruntur. Sed legitima bella vocantur *bella Domini, ultiones Domini, & pugna Dei*: Num. XXI. 14. XXXI. 3. 1. Sam. XVIII. 17. XXV. 28. 1. Paral. V. 22. 2. Paral. XX. 15. (*) Ergo bella legitima Deo auctore geruntur.

§. CCCLXXIII.

(*) Adde dictum Eccl. III. 8. *Est tempus dilectionis & odii, tempus belli & tempus pacis.* At si bella

Exceptio Photinianorum, pertinere hæc ad vet. teſt.

§. CCCLXXIII. Excipiunt Anabaptiſtæ & eorum progenies, Photiniani, *hæc omnia pertinere ad vet. teſt. aliam vero eſſe nov. teſt. rationem, in quo ſimpliciter prohibitum ſit belligerari.* Oſtorodus in inſtit. cap. XXVII. fol. 180. *Argumenta eorum, qui bellum adprobant, hac vice non expendemus, quia omnia fere ex vet. teſt. ſunt deſumta, ac proinde ad rem parum faciunt.* Socinus in lib. *Quod evangelici Photinianis ſe adjungere debeant.* c. 3. num. 2. p. 24. *Si dixerint evangelici ſub vet. teſt. ubi non minus, quam ſub novo præceptum humani ſanguinis non fundendi vigebat, licuiſſe tamen vim hoſtium, etiam cum ipſorum occiſione, propulſare; reſpondemus, id propterea tunc licuiſſe, quod Deus multis modis id declaraverat, ſe id tunc temporis non improbare &c. at ſub nov. teſt. nulla ratione unquam vel per Chriſtum vel per ejus apoſtolos declaravit, ſe hoſtium invadentium propulſationem cum ipſorum nece conjunctam adprobare.* (*) Reſp. 1.) Negamus in nov. teſt. belligerari eſſe ſimpliciter prohibitum; quæ pro adſtruenda theſi contraria Photiniani & Anabaptiſtæ proferunt, ſuo inferius exponentur loco. (**) 2.) Non ſolum ex vet. ſed etiam ex nov. teſt. noſtræ ſententiæ fundamenta adducimus, ut ex ſeqq. argumentis conſtabit. Principii igitur petitio in hac adverſariorum exceptione committitur. 3.) Quæ ad legem moralem & jus naturæ pertinent, ea in nov. teſt. non ſunt abrogata, quia lex moralis & lex naturæ eſt perpetua atque invariabilis; jam vero legitima defenſio eſt juris naturæ. Ergo etiam legitima bella, quæ defenſionis cauſa geruntur, non ſunt in nov. teſt. abrogata. 4.) Chriſto & apoſtolis in nov. teſt. non fuit propoſitum, formare novam politiam, ſed ex genere humano per prædicationem evangelii eccleſiam colligere, & ſpirituale regnum inſtituere; abſit ergo, ut ſtatuamus, a Chriſto & apoſtolis abrogata eſſe ea, quæ ad politiarum conſervationem ac defenſionem ſpectant, in quorum numero cum ſint bella legitima, in nov. teſt. eadem

ſa gerere ſimpliciter eſſet malum, & contra dilectionem proximi pugnaret, tum nullum foret præliandi tempus, adeoque falſum ſcripſiſſet Eccleſiaſtes. Nam quorum eſſe debet tempus, ea non ſunt ἀσεωδῆ mala, ſed per ſe licita vel indifferentia & contra. GERHARDVS.

(*) Socinus d. l. *Inter cætera præmia iis in vet. teſt. propoſita, qui legem ſervaſſent, hoc etiam erat, quod ſi hoſtes adverſus ipſos inſurrexiſſent, cæſos ante illos corruere viſuri eſſent.* Deut. XXVIII. 7. *Nec mirum; populo enim ſuo Deus ſub vet. teſt. vel promiſerat, vel aſſignaverat & dederat terrenum regnum terrenamque promiſſionem, quam ab ipſis defendi ac conſervari volebat, quod fieri non potuiſſet, ſi hoſtes in ſe irruentes armis propulſare, & ad internecionem etiam interdum occidere non licuiſſet: at in nov. teſt. nullam ſuo populo terrenam poſſeſſionem Deus dedit &c.* GERHARDVS.

(**) Breviter hoc loco notetur: 1.) Si bella gerere ſimpliciter pugnaret cum caritate proximi, Deus nullo tempore ea adprobaſſet. 2.) Deus etiam in nov. teſt. declaravit multis modis, ſe bella non improbare, ut conſtat ex noſtris argumentis. 3.) Cauſa Socini, cur Judæis licitum fuerit militare, nempe ob aſſignatam terram Canaan, non eſt utilis, nec nobis adverſa. Non illud, quia Abraham in terra peregrina non ob poſſeſſiones ſuas, ſed tantum ob liberationem Lothi primum inter ſanctos bellum ſuſcepit, Geneſ. XIV. neque Judæi tantum pugnaverunt cum gentibus ob defenſionem terræ promiſſæ, ſed etiam cum fratribus, non propter regni terreni, ſed propter publicæ honeſtatis & juſtitiæ conſervationem Jud. XX. Non hoc, quia & chriſtianis ſuæ ſunt poſſeſſiones ac regiones, quas merito contra vim hoſtium tuentur. 4.) Nulla eſt conſequentia: *Deus in nov. teſt. juſſit cœlum inquirere terra poſthabita, ergo hoſtium propulſationem non adprobat.* Nam hæc ſunt ὑπάλληλα, non ἐνάντια, etiam pii Iſraëlitæ ante omnia cœlum quæſiverunt, & quærere debuerunt, neque tamen hinc inferri poteſt, quod iſtis vim hoſtium propulſare non licuerit. 5.) Quinimo ideo reſiſtendum eſt hoſtibus, ut pacem habeat eccleſia, publicumque religionis exercitium vigeat, ut plures, poſthabitis terrenis, ad Deum converti, & ad vitam æternam præparari poſſint. 6.) Quod in nov. teſt. de rebus bellicis in ſpecie nihil invenitur ſcriptum, cauſa non eſt divina improbatio, quia Deus legem naturæ non abolevit; ſed a) quia in vet. teſt. ea de re ſatis multa fuerunt propoſita: b) quia chriſtiani in iſtis eccleſiæ initiis non habuerunt rempublicam aut magiſtratus, ideoque injurias propulſare non poterant. Vide infra §. 394. GERHARDVS.

simpliciter abrogata & prohibita esse neutiquam statuendum. 5.) Qui magistratum confirmat, is confirmat etiam ea, quæ ad officium magistratus spectant. Christus & apostoli in nov. test. magistratum confirmant Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 1. 1. Pet. II. 13. &c. Ergo etiam confirmant ea, quæ ad officium magistratus spectant. Jam vero ad officium magistratus pertinet subditos adversus injustam violentiam defendere, quod sine bello quandoque fieri nequit. Ergo legitimum bellum ipso facto a Christo & apostolis fuit confirmatum.

§. CCCLXXIV. Addimus ergo

II) *A Johannis baptistæ in nov. test. adprobatione.*

II.) argumentum primo cognatum a *Johannis baptistæ in nov. test. adprobatione.* Quod a Johanne baptista adprobatur, illud in se ac per se vitiosum esse, ac Deo displicere nequit. Sed legitima bella a Johanne baptista in nov. test. adprobantur. Ergo &c. *Adsumtum* probatur ex Luc. III. 14. *Interrogabant eum & milites dicentes: Quid faciemus nos? & ait illis: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*; ex quo loco sic colligit Augustinus epist. V. ad Marcellin. circa medium: *Si christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.* Idem lib. XXII. cont. Faust. c. 74. circa medium: *Nisi bella a bonis suscipi possent, Johannes eum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? responderet eis, arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: Neminem concusseritis &c.* Observa 1.) Johannem baptistam eos, qui ad baptismum suum venerant, exhortatum fuisse, *ut facerent fructus pœnitentia dignos* v. 8. qua concione excitati etiam milites interrogarunt, quomodo & ipsi fructus pœnitentia dignos facere, & exitium impœnitentibus paratum effugere possent? quibus Johannes baptista eo modo respondet: *Neminem concutiatis &c.* ex quo intelligitur, officium militum cum vera pœnitentia, & consequenter cum pietate consistere posse. 2.) Adprobatione exempli in subjecto adprobari rem in genere, & a concretis ad abstracta in tali negotio legitimam necti consequentiam. Vt ergo recte concludo: Christus conjugatos ad apostolatum vocavit, ergo conjugium in personis ecclesiasticis adprobat; ita quoque recte infero: Johannes baptista recipit milites in officio manentes, ergo adprobat militiam. 3.) Qui improbat duntaxat adhærens rei vitium, illum non improbare rem ipsam, sed eamdem potius a vitio separare. Johannes improbat duntaxat vitium, quod militibus adhærere solet, videlicet quod consueverint provinciales seu cives, quorum defensioni destinati sunt, variis violentiæ modis vexare, ac posti victoriam per calumniam innoxios ad principes deferre, quasi seditiouis, læsæ majestatis & aliorum criminum reos, ut hac ratione facultatibus exuant, denique stipendia aleis, scortis, compotationibus &c. dilapidare, & rapinis alia corradere. Hæc ergo vitia Johannes taxat verbis ex 1. Sam. XII. 3. fere petitis; interim non improbat ipsam militiam ac statum militum, sed eumdem potius tanquam honestum, necessarium & Deo placentem a vitiis illis separat. 4.) Johannem fuisse præcursorem Christi, qui viam ipsi præparare debuerit evangelii prædicatione in cordibus hominum. At hoc officio divinitus sibi demandato non fuisset rite & fideliter perfunctus, si eos, qui in statu damnabili vivebant, in eodem confirmasset, nec suasor ipsis exstitisset, ut ex eodem discederent. 5.) Johannem, cum consilium illud militibus daret, & vitæ regulam ipsis præscriberet, jamdum introduxisse

xisse novi test. ritum, videlicet baptismum; proinde non potest cogitari, hæc verba Johannis baptistæ ad homines vet. test. duntaxat pertinere.

§. CCCLXXV. Hisce probe observatis in fumum abeunt, quæ contra Augustini argumentum ex hoc loco ductum a Photinianis adferuntur. Smalcius contra disp. VI. poster. Franzii de reb. civilib. p. 395. sic excipit: *Verba Johannis baptistæ quid ad nos christianos pertinent, ut ex illis vivendi normam petamus? Non erat Johannes baptista illa lux, quæ nos illuminare debebat, sed Christus est illa lux vera, quæ illuminat omnem hominem. Johannes baptista initium fecit evangelii, pœnitentiam tantum, eamque ex parte prædicabat, nedum ut quid omnino novo Christi populo sequendum esse, doceret. Qui minor est in regno cælorum, major est Johanne baptista, hoc est, unusquisque christianus plus habet cognitionis divinæ voluntatis, quam Johannes baptista, qua baptista; quemadmodum & Johannes major erat omnibus prophetis, quia plus cognitionis divinæ voluntatis habebat, quam omnes ante eum prophetæ, quomodo igitur a Johanne & doctrina ejus vivendi normam petant christiani?* Idem cont. disp. VII. priorem de bonis operibus p. 243. *Non potest id, quod Johannes baptista milites jubet esse contentos stipendiis suis, regulam vivendi cuique præscribere, Johannes enim non erat illa lux, sed ut testaretur de luce. Christus erat illa vera lux, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum veniens. Christus est evangelii, adeoque novi vivendi generis auctor, ab hoc igitur omnia, quæ ad vitam recte pieque ducendam pertinent, discenda sunt.* Hanc exceptionem mutuatus est Smalcius ab Anabaptistis, qui pari modo excipiunt, *Johannem permisisse bellum Judæis, ut imperfectis, Christum autem longe aliter docuisse*; referente Philippo Melanchthone in locis communibus. *Resp.* 1.) Acceptamus, quod concedit Smalcius argumenti *minorem*, Johannem baptistam scil. adprobasse militiam. 2.) Perquam vero absurdum esse dicimus, quod Smalcius negat argumenti *majorem*. Quomodo enim id potest in nov. test. esse prohibitum, quod Johannes baptista adprobavit? Fuit Johannes baptista *præcursor Christi*, qui prædicatione pœnitentiæ viam ante ipsum paravit, Luc. I. 76. qui institutione novi ritus, sacramenti scilicet baptistici & publica evangelii prædicatione de Messia exhibito initium nov. test. fecit; Marc. I. 1. & seqq. qua igitur veritatis specie negari potest, conciones Johannis baptistæ ad nos christianos pertinere, ut ex illis vivendi normam petamus? num præcursor Domini & ipse Dominus contraria docent? num is, qui viam præparat per pœnitentiæ prædicationem, adprobare potest quidpiam, quod cum vera pœnitentia & pietate pugnat? certe id ex Smalcii hypothesi evidenter sequitur. Num is, qui instituit ritum ad nov. test. unice spectantem a ministris nov. test. excludendus? num is, qui viam Christo præparare debuit, id permisisse censendus, quod Christus ipse mox sustulit & damnavit? 3.) Si Johannis baptistæ verba non pertinent ad nos christianos, ut vivendi normam ex illis petamus, ergo etiam reliquæ conciones Johannis non pertinent ad nos christianos, ut vel credendi vel vivendi normam ex illis petamus. Nihil ergo ad nos adtinebunt suavissimæ illæ conciones baptistæ, in quibus medulla evangelii proponitur: Joh. I. 15. *De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia.* v. 17. *Quia lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christum Jesum.* v. 18. *Deum nemo vidit unquam, Filius est, qui in sinu Patris, ipse enarravit nobis.* v. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Joh. III. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudet propter vocem sponsi.* v. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* v. 36 *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Nihil etiam ad nos adtinebunt graves illæ cohortationes ad pœnitentiam agendam: Matth. III. 2 *Pœnitentiam agite, adpropinquavit enim regnum cælorum.* v. 8. *Facite fructus*

fructus pœnitentia dignos. v. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.* 4.) Frustra regerit Smalcius, *Christum esse evangelii novique vivendi generis auctorem*, hoc est, ut alibi mentem suam clarius exponit, *Christum novas quasdam leges tradidisse, & præceptis Mosaicis quædam perfectiora mandata addidisse*; id enim adhuc in quæstione est, & suo loco contrarium luculente demonstratur. Nos hoc loco contra Smalcium sic concludimus: Quæ est ratio thesεos, eadem etiam ratio est hypothesεos thesi subjectæ. Sed thesεos illius, quam Johannes baptista proponit Luc. III. 8. *Facite fructus pœnitentia dignos.* v. 9. *Securis ad radicem arborum posita est; omnis ergo arbor non faciens fructum bonum exciditur, & in ignem mittitur*, illius, inquam, thesεos ratio ea est, ut ad christianos in nov. test. pertineat, ac vivendi normam illis præscribat. Ergo eadem est ratio hypothesεos huic thesi subjectæ, quæ triplex est: *prima* concernit turbam; v. 11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat*; ubi more Hebræis usitato doctrinam generalem de dilectione proximi, quæ est veræ pœnitentiæ fructus, uno æque altero exemplo de vestimentis & cibis complectitur: *altera* concernit publicanos v. 13. *Nihil amplius, quam quod vobis constitutum est, exigatis*: *tertia* milites spectat v. 14. *Neminem concutiatis nec calumniam faciatis &c.* Quia enim Essæorum opinio erat, illis, qui Dei cultores esse vellent, deserendam vitæ civilis societatem, ac Pharisæi suas observationes sanctiores esse contendebant, quam vulgaria vitæ communis opera, Judæi etiam quædam vitæ genera, ut publicanorum ac militum prorsus damnabant, ideo Johannes baptista a publicanis & militibus ad baptismum accedentibus interrogatus ita respondet, ut ostendat, *evangelium honestas ordinationes politicas non improbare aut damnare, sed omnes ordinationes politicas & omnia vitæ genera ad decalogum esse exigenda, & si huic consentanea sint, posse quemque bona conscientia in sua vocatione manere.* Chemnitius cap. 16. harm. p. 319. 5.) Verba Johannis evangelistæ: *Non erat ille* (baptista) *vera lux, sed Christus est vera illa lux illuminans omnem hominem*, insigniter detorquet Smalcius. Evangelista nequaquam *absolute* & simpliciter negat Johannem baptistam fuisse etiam φῶς aliquod, sive lucem aliquam, alias contradiceret ipsi Christo, qui in genere de apostolis dicit Matth. V. 14. *Vos estis τὸ φῶς τῦ κόσμυ*, & in specie de Johanne baptista inquit Joh. V. 35. *ipse erat ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων*; sed *determinate* negat, baptistam fuisse *τὸ φῶς*, illam lucem, de qua v. 4. & 5. dixerat, hoc est, quia plerique Johannem baptistam Christo æquabant, vel etiam præferebant, ideo evangelista ostendit differentiam inter Dominum & ministrum. Johannes fuit homo, Christus λόγος, Deus, vita & lux. Johannes non fuit missus, ut esset ipsa lux, sed ut de Christo, qui unus & solus est vera illa lux depellens tenebras ignorantiæ, peccatorum ac mortis, testificaretur. Ex eo igitur non potest nec debet inferri, quod Johannes nullo modo fuerit lux, & quod Johannis doctrina nec in fide, nec in vita lucem nobis præstet, ut Smalcius contendit, quia ipse evangelista contrarium subjicit: v. 7. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum*; hoc est, ministerium baptistæ fuit salutare & efficax organum, per quod divina virtus homines ad agnitionem & fidem Christi adduxit & illuminavit, per quod ad veram pœnitentiam & fructus pœnitentia dignos faciendos ipsos instruxit & invitavit. Falsissimum igitur est, quod Smalcius ex eo colligit, *baptistam nequaquam docuisse, quid omnino novo Christi populo sit sequendum.* 6.) Ejusdem monetæ etiam illud est, quod addit, *Johannem tantum ex parte pœnitentiam prædicasse*, contra quem errorem hunc producimus syllogismum: Qui essentiales pœnitentiæ partes docet, is integram pœnitentiam docet. Johannes baptista essentiales pœnitentiæ partes docuit, quia auditores ad agnitionem peccatorum ex lege deduxit,

seriam

seriam contritionem ab illis exegit, proponendo ipsis iram divinam & comminationes pœnarum, monstravit etiam agnum Dei, qui tollit peccata mundi, ac hortatus est, ut facerent fructus pœnitentia dignos. Matth. III. 7. 10. 12. Luc. III. 7. 8. 9. Joh. I. 29. & 36. Quid, quando Jonannes serio hortatus est, ut pœnitentiam agerent, Matth. III. 2. num existimabimus ad dimidiatam, imperfectam & insufficientem pœnitentiam ipsum fuisse hortatum? Et quis unquam patietur sibi persuaderi, remissionem peccatorum & liberationem a ventura ira absque integra & salutari pœnitentia locum habere posse, cum effectus non possit esse absque causa integra? Jam vero Johannes baptista *prædicavit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, Marc. I. 4. & eos, qui ad baptismum suum venerunt, *fugere a ventura ira* testatus est Matth. III. 7. Ergo integram & salutarem pœnitentiam prædicavit. 7.) Verba Christi Matth. XI. 11. Luc. VII. 28. *Qui minor est in regno cœlorum vel in regno Dei, is major est Johanne baptista*, diversimode ab interpretibus explicantur. Quidam enim referunt ad *angelos;* novissimus angelorum Deo in cœlis ministrantium major est Johanne. Quidam ad *electos*, minimus sanctorum, qui ex corporis ergastulo liberatus in Dei regno vivit ac triumphat, major est præstantissimis sanctis, qui carnis peccatricis onus in hac vita adhuc circumferunt. Quidam ad ipsum *Christum* referunt, ut sit sensus, Christum, qui minor est exinanitione & externa specie, Psalm. VIII. 6. XXII. 7. esse majorem baptista respectu dignitatis, majestatis, personæ, officii & ministerii. Quidam denique, quos Smalcius sequitur, existimant, comparationem institui inter Johannem baptistam & novissimum aliquem *ex ministris ecclesiæ*, qui post Christi adscensionem evangelium sit prædicaturus, qui sit major baptista non ratione donorum, sed ratione ministerii, quia prædicat regnum Dei non a longe venturum, ut prophetæ, nec tantum adpropinquasse, ut baptista, sed jam venisse, & in eo tanquam dispensator mysteriorum Dei in suo ministerio versatur. Sed si vel maxime hanc postremam interpretationem repudiatis reliquis acceptemus, nihil tamen accedit sententiæ Smalcii. Neque enim ex distinctis gradibus revelationis inferri potest, baptistæ doctrinam ad christianos in nov. test. non pertinere, vel etiam Christi & apostolorum doctrinæ esse contrariam, cum gradus revelationis non mutent ipsam doctrinam, nec contrarietatem aliquam inter ea, quæ gradu differunt, introducant. Erasmus in c. III. Luc. eodem modo excipit: *Hæc dicti non christianis, sed ethnicis, aut certe profanissimis Judæis*; postea addit: *hæc dicti militibus, non ut ea servantes bene viverent, sed ut minus male viverent*, in quam sententiam etiam Theophylactus videtur propendere. *Resp.* 1.) Johannes paulo ante in genere dixerat: *Facite fructus pœnitentia dignos;* postea in specie a militibus interrogatus, quomodo in suo officio fructus pœnitentia dignos facere possint, respondet: *Neminem concutiatis &c.* Ergo pertinet hæc institutio ad bene vivendi præcepta. 2.) Immediate præcedit comminatio: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exscinditur, & in ignem mittitur*, cui comminationi subjicitur hæc institutio. Ergo præscribit fructum bonum, quem facere debent, qui ab igne infernali sibi metuunt. 3.) Theophylactus facit duntaxat certos virtutis gradus, non autem bellum vocat malum. Johannem dicit *hortatum esse turbas, quæ erant innocentes ad opera bona, hoc est, ad bona cum aliis communicanda; publicanos autem & milites, qui non erant hujus perfectionis capaces, hortatum esse, ut a malo desisterent.*

§. CCCLXXVI. III.) Ex *causa instrumentali.* In vet. test. bella gesserunt homines pii & sancti, heroës divinitus excitati, qui nihilominus in Dei gratia manserunt, & ipsi placuerunt. Ergo bella legitima non pugnant cum pietate, nec excludunt homines a Dei gratia & regno cœlorum. *Antecedens* probatur:

III.) *Ex causa instrumentalis conditione.*

batur: 1.) *Abraham* gessit bellum contra quatuor reges, Gen. XIV. 14. cum quo Deus peculiare fœdus gratiæ init, Gen. XVII. 2. *qui est pater omnium credentium*, Rom. IV. 11. quinimo post suum ex bello reditum a Melchisedeco laudatur, benedicitur & honoratur. Gen. XIV. 19. 2.) *Jacobus patriarcha* bellum gessit, ut colligitur ex Gen. XLVIII. 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Quidam ex Hebræis exponunt de armis spiritualibus, videlicet de Jacobi precibus. Quidam accipiunt in futuro, do tibi terram, quam mei posteri arcu & gladio suo ab Amorrhæis capient. Quidam existimant, patrem sibi vindicare, quod Simeon & Levi filii gladio sibi adquisiverant; Gen. XXXIV. 29. sed simplicissimum est, quod alii ex Hebræis dicunt, vicinos Sichemitarum contra Jacobum & ipsius familiam bellum movisse propter illud Simeonis ac Levi factum, sed in eo Jacobum divino auxilio victorem evasisse. 3.) *Moses* cum Amalekitis bello decernit, Exod. XVII. 9. reges Arad, Sehon & Og in prælio vincit. Num. XXI. 1. 24. & 34. Deut. II. 31. III. 2. 4.) *Josua*, dux populi divinitus electus, quanta bella gesserit contra Cananæos, ostendit liber Josuæ, Sap. VI. 8. 10. 11. 12. 5.) *Judices* divinitus excitati populum Israëliticum ab hostium servitute & tyrannide liberant, utpote *Judas*, Josuæ successor, Jud. I. 4. *Othoniel*, c. III. 10. *Aod*, v. 29. *Barac*, c. IV. 7. *Gideon*, c. VII. 20. &c. 6.) *Reges* Israëlitici *Saul*, *David*, *Ezechias*, *Josaphatus &c.* Dei mandato bella gesserunt, ejusque beneficio ex hostibus victorias retulerunt. 7.) *Duces* Maccabæi quoties bello dimicarunt? quam gloriosas victorias reportarunt! Hebr. XI. 34. de sanctis compluribus dicitur, quod διὰ πίστεως, *per fidem fortes facti sint in bello, & castra verterint exterorum.* Ergo bellum potest esse fidei exercitium. Illos vero omnes impietatis damnant, qui legitima bella improbant.

§. CCCLXXVII. Neve excipere possint adversarii, *aliam esse veteris, aliam vero novi testamenti rationem*; ideo subjungemus exempla eorum, qui in novo test. militari officio perfuncti fuere, nec tamen hoc nomine a Christo & apostolis sunt rejecti. 1.) *Centurio Capernaiticus* Matth. VIII. 8. fuit ad Christum vera fide conversus. Idem expresse dicit v. 9. *quod habeat sub se milites, imperio suo obsequentes*; neque tamen hoc nomine a Christo fuit rejectus, vel ab hoc vitæ genere revocatus, sed egregio potius fidei testimonio ornatus: v. 10. *Non inveni tantam fidem in Israël.* Ergo status militaris & vera in Christum fides possunt in uno eodemque subjecto consistere. 2.) *Centurio cruci Christi adstiens*, Matth. XXVII. 54. agnoscit Christum esse vere Dei Filium; ergo etiam ex statu militari quidam vocantur ad salutarem cognitionem & consortium regni Christi, nec legitur hic centurio ab officio suo vel vitæ genere revocatus, ergo officium militare non pugnat cum fide in Christum. Neve excipere possint Photiniani, quod in simili quæstione facit Smalcius contra disp. VI. poster. Frantz. de reb. civilib. p. 392. *Multa facta fuisse Jesu in terris degente, quæ nunc nullo modo salva conscientia fieri possint*; ideo adjungimus 3.) *centurionem Cæsarienſem:* Act. X. 1. is vocatur *religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas populo & deprecans Deum semper*, v. 2. ac Deus angeli adparitione ipsum dignatur, v. 4. quin & Petrum ad eum mittit, ut ad pleniorem evangelicæ doctrinæ cognitionem perducatur v. 20. Num vero Petrus ad hunc centurionem veniens a militari vitæ genere ipsum & domesticos ejus milites dehortatur? Nihil minus, sed baptismum ipsis confert v. 48. & diserte testatur, *in omni gente, qui Deum timet & justitiam operatur, esse illi acceptum* v. 35. 4.) Denique Act. X. 7. Cæsarienſis ille centurio στρατιώτην εὐσεβῆ ad Petrum mittit. Atqui si genus vitæ militare esset simpliciter repudiandum; nec hic miles pietatis nomine commendaretur, nec centurio ejus opera in legatione ad Petrum fuisset usus

§. CCCLXXVIII.

IV.) *Ab officii magistratui incumbentis exsecutione.*

§. CCCLXXVIII. A *magistratus officio:* Magistratus *non gerit gladium frustra, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit*; Rom. XIII. 4. *ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, v. 5. *ideo enim & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes.* v. 6. Ex hoc loco varia nobis nascuntur argumenta. 1.) Cui ad vindictam malorum datus est gladius, ille etiam potest bella gerere. Magistratui ad vindictam malorum datus est gladius. Ergo &c. *Major* probatur, quia legitima bella sunt pars vindictæ publicæ. Si magistratus jure plectit latrones, quorum injuriæ in paucos tantum sunt progressæ; multo magis jure animadvertit in eos, qui totam rempublicam & regionem latrociniis adfligere & vastare conantur. Quid aliud sunt hostium bella illegitima, quam publica latrocinia? quod si ergo recte facit magistratus, cum latronem aliquem ad pœnam quærit, quosdam ex civibus convocando & armata manu eum adgrediendo; utique etiam recte facit, quando publicæ hostium violentiæ resistit, latrocinia eorum coërcet, & hoc fine armatam civium atque militum manum sibi adjungit. Certe Petrus, quando 1. epist. II. 14. dicit, magistratum constitutum esse εἰς ἐκδίκησιν κακοποιῶν, in *plurali* loquitur, nec facit differentiam, an pauci an plures sint malefactores. 2.) Cui ad subditorum defensionem gladius est datus, ille etiam potest bella pro subditorum defensione gerere. Magistratui ad subditorum defensionem datus est gladius. Ergo &c. *Non frustra magistratus gladium gerit*, inquit apostolus. At frustra eum gereret, si in casu necessitatis, quando nulla alia pacis media suppetunt ad subditos defendendos, eumdem stringere non posset. Psalm. LXXXII. 4. ad Deos sive magistratus dicitur: *Eripite pauperem & egenum, & de manu impiorum eruite.* Conjunge Prov. XXIV. 11. At hoc fine bello quandoque fieri nequit. Si ergo licet magistratui defendere subditos a furibus, latronibus, raptoribus & aliis facinorosis, qui publicam tranquillitatem interius turbant, fortunis & vitæ subditorum insidiantur, ac reipublicæ salutem ex parte evertere laborant; utique etiam licebit magistratui gladio defendere subditos ab hostibus externis, qui majori impetu totam rempublicam & omnium civium salutem labefactare cogitant. 3.) Cui ad legum & disciplinæ custodiam datus est gladius, is jure ac merito gladio illis resistit, qui leges & disciplinam pessundare conantur. Sed magistratui ad legum & disciplinæ custodiam divinitus datus est gladius. Ergo jure ac merito illis resistit, qui leges & disciplinam pessundare conantur. Tales vero sunt hostes, bella offensiva temere moventes, quietem subditorum turbantes, vi eosdem opprimentes & legum ac disciplinæ repagula proterve perrumpentes. Bella legitima sunt pars politicæ gubernationis & exsecutio justitiæ adversus rebelles & contumaces. 4.) Cui eo fine a subditis tributa præstantur, & præstari etiam divino mandato debent, ut gladio vindictam adversus malum agentes exercendo partes officii sui impleat, is si vindictam exerceat, & gladium adversus turbatores reipublicæ stringat, nihil agit, quod vel Deo sit adversum, vel ab officio suo alienum. Magistratui eo fine a subditis tributa præstantur, & præstari etiam divino mandato debent, ut gladio sibi tradito vindictam adversus malum agentes exercendo partes officii sui impleat. Ergo si magistratus vindictam in bello exerceat, & gladium adversus reipublicæ turbatores ac hostes stringat, nihil quidquam agit, quod Deo sit adversum, vel ab officio ejus alienum. Quo pertinet mandatum Christi de dandis cæsari tributis, Matth. XXII. 21. qui iisdem milites præsidiarios ad reipublicæ defensionem alebat.

Exceptiones Photinianorum ad locum Rom. XIII.

§. CCCLXXIX. Excipit Smalcius contra Franzium pag. 395. 1.) locum Rom. XIII. *agere de magistratu in genere, vel potius infideli, qui cum sub Christi jugo non sit, possit*

sit etiam per bella vindicare injuriam sibi & subditis illatam; inde vero non sequi, quod idem liceat christiano magistratui. Sed frivolam hanc exceptionem superius §. 299. penitus protrivimus. 2.) *Apostolum non loqui de publica vindicta adversus hostes exercenda; quid enim ad rem faceret: Timendus est magistratus, quia potest bella gerere? sed de privata, quam adversus subditos magistratus, præsertim infidelis, exercere potest. Resp.* Si vel maxime demus, de tali duntaxat vindicta apostolum loqui, quam magistratus erga privatos propter facinora & mala opera exercet, quam Smalcius non satis commode privatam vocat; nihilo tamen minus ex textu apostolico argumentum pro nostra sententia petere possumus. Si enim magistratus jure ac merito plectit latrones, quorum injuriæ in paucos tantum sunt progressæ, multo magis jure animadvertit in eos, qui totam regionem & rempublicam latrociniis affligunt, ut habet illatio ex textu paulo ante adducta. Sed non concedimus Smalcio hanc hypothesin *exclusivam*, quod apostolus *tantum* de tali vindicta loquatur, verba enim sunt generalia: *Magistratus non sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex in iram illi, qui malum agit.* Nec est, quod *connexionis* rationem in textu apostolico hæreticus desideret, quæ est omnino optima & commodissima. Timendus est magistratus, ne malum faciamus, quia magistratui divinitus datus est gladius, quo vindictam Dei nomine & loco exerceat adversus malum agentes, sive sint pauci, sive plures, sive in quosdam duntaxat subditos injurii sint, sive totius reipublicæ hostes ac perturbatores. 3.) *Dandum quidem esse cæsari, quod est cæsaris, sed ex eo non posse concludi, quod liceat bella gerere. Quid enim si ista omnia cæsar consumat in alios usus? Quid si bellum nunquam velit gerere, & tamen tributa imperet, num ideo essent neganda? Certe nullius respectu habito præter solam potestatem cæsaris, quam tunc in Judæos exercebat, jubet Christus dare cæsari, quod est cæsaris, quemadmodum etiam hodie posset aliquis consilium dare christianis, qui sub Turca degunt, ut quod est Turcæ, dent Turcæ, etiamsi nihil minus cogitet Turcæ, quam ut christianos, qui in ejus sunt dominatu, defendat. Resp.* Argumentum ex verbis Christi Matth. XXII. deductum est ipsius Augustini, lib. XXII. contra Faust. cap. 74. *Quia Manichæi* (inquit) *Johannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum Dominum Jesum Christum audiant, hoc stipendium jubentem reddi cæsari, quod Johannes dicit debere sufficere militi. Reddite*, inquit, *cæsari, quæ sunt cæsaris, & Deo, quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessario militi stipendium præbeatur.* Non autem est ita nude ac solitarie ponendum, sed robur illi addendum ex verbis apostoli Rom. XIII. 6. *Ideo etiam tributa præstatis*, διὰ τοῦτο, *propter hanc causam*, sine eo atque intuitu, *ministri enim Dei sunt* (magistratus) *in hoc ipsum*, εἰς αὐτὸ τοῦτο, *servientes*; ubi diserte apostolus testatur, magistratui ideo deberi tributa, ut subditis defensionem præstare, ac vindictam adversus pacis publicæ perturbatores exercere possint. Quod si ergo jure divino non *solum propter iram*, sed etiam *propter conscientiam* subditi magistratui ex necessitate ea ratione sunt subjecti, ut ad tributa præstanda obligentur, & vicissim si propter hoc jure divino ad tributa magistratui præstanda obligati sunt, ut Dei nomine vindictam in malum agentes & reipublicæ pacem perturbantes exercere possit; utique etiam juri divino & voluntati divinæ congruum est, a magistratu puniri malos, sive numero pauci illi sint, sive plures, cum non desinat esse malus, qui cum pluribus talis est, nec latro esse desinat, qui cum pluribus latrocinetur. Frustra igitur adfertur id, quod est *facti*, magistratum scilicet tributum a subditis præstitum quandoque in alienos usus convertere; ex eo enim non labefactatur id, quod est *juris*, videlicet magistratui propterea deberi tributa a subditis, ut milites in defensionem reipublicæ alere, & turbatores pacis publicæ ac hostes reipublicæ coërcere possit, quod ipsum si faciat, officii

ficii sui partes exsequitur, & gratum Deo ministerium præstat, si facere negligat, Deum judicem ac vindicem habebit.

V.) *A juris naturalis obligatione.*

§. CCCLXXX. V.) *A juris naturalis debito*: Defensio est juris naturalis civilis ac divini. Est enim opus legis scriptum in cordibus, sicut nemini nocendum, ita proprium corpus contra injustam vim tuendum, vel auxilio magistratus. vel defensione propria, quando magistratus opitulari non potest. Ita Cicero lib. I. offic. prima juris naturalis principia describens inquit: *Principio omni animantium generi a natura tributum est, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videntur.* Idem pro Milon. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* Leges etiam civiles rectæ rationi consentientes casum defensionis concedunt & adprobant; sanciunt enim, ut in subita & manifesta violentia, quando magistratus abest, & opitulari non potest, quilibet se & suos tueatur, l. is qui C. ad l. Corn. de sicariis. l. Si quis eod. ubi dicitur, *defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.* l. ut vim. ff. de justit. & jure. *jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure feciſſe existimetur.* l. itaque ff. ad legem Aquiliam. *Si servum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero, nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere.* l. 45. §. 4. eod. *Vim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt.* Lex divina idem comprobat Exod. XXII. 2. *Si effringens vir domum in ipsa perfossione vel cum instrumento perfossorio deprehensus fuerit, & accepto vulnere moriatur, percussor non erit reus sanguinis*; præsumitur enim animo grassandi venisse, ideo conceditur adversus ipsum defensio. Quamvis vero leges judiciales nos in nov. test. non obligent, recte tamen inde sumitur hæc dijudicatio, quæ leges politicæ consentiant juri naturæ & legi æternæ in mente divina. Exstat etiam ante legem Mosaicam casus necessariæ defensionis Gen. XIV. 14. ubi Abraham ad defensionem Lothi nepotis sui armat familiam, hostes insequitur, eosdem trucidat, & Lothum ac reliquos captivos liberat. Quod si ergo ex præcepto de dilectione proximi manifestam violentiam a proximo depellere possumus ac debemus; utique etiam proprii corporis defensionem ex eodem præcepto suscipere recte possumus, quia lex dicit: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Hæc defensionis fundamenta adducit Chemnitius part. II. loc. cap. *de vindicta.* p. 357. ex quibus porro concludimus: Si privatus jure divino, naturali ac civili injustam & manifestam violentiam a se repellere, & vitam ac corpus suum defendere potest; multo magis incumbet magistratui, personam publicam gerenti, & gladium divinitus sibi datum portanti, ut a se & subditis suæ curæ ac fidei commissis injustam & manifestam violentiam repellat, & vitam, corpora ac fortunas subditorum tueatur, ut conatibus & injuriis hostium obsistat, qui religionem & regionem everſam cupiunt, ac publicum bonum, cujus cura magistratui commissa est, e medio penitus sublatum expetunt. Sed verum prius. Ergo & posterius. *Connexio* probatur, quia ut privata vitæ ac corporis defensio jure concessa; sic magistratui subditorum ac reipublicæ defensio jure commendata est. Vt paterfamilias in ædium oppugnatione familiam ac suos defendere, ac vim illatam propulsare jure potest: sic magistratus in hostili reipublicæ invasione subditos defendere, ac violentiam repellere omni jure potest. Privato in casu necessariæ defensionis inde atque ideo injustam & manifestam violentiam vi repellere licet, quia magistratus auxilium implorare nequit, & mora seu exspectatio cum manifesto vitæ periculo est conjuncta; ergo multo magis concessum est magistratui adversus suos ac reipublicæ hostes gladio sese defendere.

Exceptiones Photinianorum.

§. CCCLXXXI. Excipit Smalcius: 1.) *Evangelium tam temporibus, quæ ante legem, quam iis, quæ sub lege fuerunt, opponi, & nihil nunc licere, quod evangelio adversetur, etiamsi ab initio usque mundi licuerit, idque Deo auctore*; disp. VI. contra Frantz. p. 390. At hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, probandum enim est, jus naturale ac morale pugnare cum evangelio. Christus non venit in mundum, ut sua doctrina & prædicatione jus naturæ & leges rectæ rationi consentaneas aboleret, magistratus officium destrueret, ac novam aliquam politiam constitueret; sed tradit doctrinam spiritualem de regno cœlorum, & explicat legem moralem ac naturalem, sicubi notitia hujus per peccati originalis tenebras obscurata, illius vero doctrina per pharisaicas corruptelas depravata. Vt evangelium usu solis, lunæ, aëris, aquæ & aliis ad hanc vitam pertinentibus nobis haud interdicit: sic nec prohibet, quo minus jure naturali & honestis legibus reipublicæ, in qua vivimus, utamur. 2.) *Nec religionis nec regionis defendendæ causa bellum esse gerendum. Religio* (inquit) *bello illato tolli nequit. Viro enim forti non potest vis fieri, manebit semper eadem religio in eo, qui vere Deo confidit, sive sit pax sive bellum, imo majorem in religione fervorem esse tempore seditionum & bellorum, quam pacis, res ipsa testatur. Imperare quidem potest hostis religionem falsam & idololatricam, sed vi eam nemini potest obtrudere. Nam qui Dei amans est, mavult vitam perdere, quam religionem mutare, præter vitam autem nihil potest hostis eripere. Et quid præstat vitam profundere defendendo religionem armis, quod sæpe fit, (nam non omnes vincunt, qui armis se defendunt) quam defendere religionem profundendo sanguinem? certe in hoc nullum est salutis periculum, ibi vero ex nostro sensu certum est, ex omnium autem sensu periculum saltem esse potest.* Eodem fere modo Socinus in lib. quod evangelici Photinianis se adjungere debeant cap 3. pag. 25. *Mirum est*, (inquit) *quod evangelici tunc potissimum humanum sanguinem fundere populo christiano permittunt, vel potius præcipiunt, cum maxime homines vere christiani non alienum, sed suum sanguinem fundere (idque non armis carnalibus præliando, sed spiritualibus tantum armis, hoc est, fide, patientia, constantia, spe utendo) parati esse debent, tunc videlicet cum divinæ veritatis hostes nolunt illis permittere, ut Deum & Christum pure colant, sed vi & armis illos ad impios cultus adigere volunt. Resp.* Confundit adversarius distinctas quæstiones. Alia enim quæstio est de privatis personis & mere subditis, an illi religionem adversus ordinarium suum magistratum armis defendere debeant? alia vero de magistratu, an is subditos suos ob religionis professionem bello ab hoste impugnatos armis defendere possit? Illis denegatum id esse dicimus, ideo si a magistratu ordinario ob veræ religionis professionem adfligantur, non prosiliant ad arma, sed vitam potius ac sanguinem suum profundant, si precibus, intercessionibus, fuga, aliisve mediis legitimis sibi aliter consulere non possunt; alia vero est ratio magistratus, cui gladius divinitus est datus, & cura subditorum ac utriusque decalogi tabulæ custodia ratione officii commissa. Quod si ergo hostis aliquis vel ob religionem, vel ob aliam quamcunque causam, nec sufficientem nec justam subditos bello adgreditur, tum officii ratione magistratui incumbit, ut injustam violentiam a subditis repellat, & turbatores reipublicæ vindice gladio coërceat, ut piorum regum Israëliticorum exempla testantur. (*) Deinde alia quæstio est de interiore Dei cultu ac privata religionis professione; alia vero de publico externo divini cultus ac religionis exercitio. De interiore Dei cultu & privata reli-

(*) Exemplum hujus distinctionis suppeditat historia Maccabæorum. Privati, quibus decrat tutela, moriebantur promte pro lege patria, nec Antiocho audebant propria vi reluctari. 2. Macc. VII. Duces autem Maccabæi recte arbitrati sunt, sibi tanquam publico magistratui defensionem divini cultus presique populi incumbere, unde merito sumserunt arma. GERHARDVS.

religionis professione discursus ille Smalcii recte procedit, quod religio bello illato tolli nequeat, quod viro forti non possit vis fieri, quod religio nemini possit vi obtrudi; sed de externo & publico divini cultus ac religionis exercitio haudquaquam procedit: quia si hostis propter religionem subditos oppugnanti a magistratu non eatur obviam, nec conatibus & violentiæ ejusdem resistatur, tandem subjugabit subditos, & publicum sinceræ religionis exercitium abolebit. Cornheertius in epit. process. de non occid. hæret. cap. 3. & ex eo Hortlederus in disp. de just. bell. Germ. adfert. II. eodem fere sensu monet, quando quæritur, an religio armis defendi possit? *Tunc religionis nomen non accipi in abstracto, pro ut notat cultum ipsum divinum, quo Deus hominem sibi religat ac devincit; is enim cultus ut est invisibilis & spiritualis, ita nec visibilibus ac corporalibus suppositus esse potest injuriis, nec capax visibilis & externæ cujusdam defensionis: sed in concreto, prout in hominibus eam profitentibus consideratur, qui homines ut visibiles ac corporei sunt, ita & propter religionem externis obnoxii injuriis ac defensionis capaces esse possunt.* Quando igitur quærit Smalcius, *quid præstet vitam profundere defendendo religionem armis, quam defendere religionem profundendo sanguinem?* respondemus, utrumque esse honestum & pium, sed in diversis casibus ac temporibus diversis; quando enim magistratus arma capere subditos jubet adversus hostem ob religionem ipsos impugnantem, tunc honestum & pium est vitam profundere defendendo religionem armis: sed quando magistratus subditos, puta eos, qui sunt mere subditi, & quibus non est fides data de religionis libertate, propter religionem persequitur & oppugnat, tunc pium & honestum est, si alia ratione vitæ consuli nequit, religionem defendere profundendo sanguinem. 3.) Sed nec regionem armis defendere licitum esse, sic probare conatur Smalcius d. l. *Non est certum*, (inquit) *an is sit regionem obtenturus, qui armis eam defendit. Multos enim videre est, qui hac ratione & se & suos & omnia sua perdiderunt, ita ut si aliter se gessissent, regnare possent, qui nunc extrema sunt mancipia. Nonne igitur præstat varios tentare modos, quibus regio conservetur præter bellum, quales sunt fœderum pactio, de jure suo quodammodo cessio, addo etiam tributorum solutio, & tandem ipsius etiam regionis, si aliter nullo modo fieri possit, spontanea deditio, quæ omnia fieri possunt absque jactura salutis, vitæ, fortunarum, & nonnunquam etiam illi ipsi tamen regnant, qui ita agunt cum hostibus suis, ut exemplis multorum principum in orbe etiam christiano ad oculum demonstrari posset, si necessitas id requireret. Præstat enim semper, si aliter fieri prorsus nequeat, hostem suum pro domino agnoscere, & ita eum sibi certo devincire, quam incerto prælii eventui & victoriæ fallaci committere omnes suas fortunas & ipsam vitam. Resp.* Confunduntur denuo distinctæ quæstiones. Alia enim quæstio est de magistratus officio, alia de officii eventu. Ad officium magistratus pertinet, subditos adversus injustam hostium violentiam defendere, ab eo igitur non debet statim relilire ac desistere propter incertum belli exitum; sed cum Joabo dicat 2. Sam. X. 12. *Confortemus nos pro populo nostro & pro urbibus Dei nostri, Dominus autem faciat, quod est bonum in oculis ejus.* Testatur historia sacra, pios reges, qui pro religione & regione adversus hostes bella gesserunt, parva manu gloriosam ex potentissimis hostium copiis victoriam sæpius retulisse, quæ exempla magistratus intueatur, & subditorum suorum defensionem alacri ac forti animo adversus publicos latrones suscipiat. Deinde & hæ sunt quæstiones distinctæ, an in quibusdam casibus ac temporibus satius sit pactione fœderum, cessione de jure, solutione tributorum & spontanea deditione regionis pacem quærere, quam bellum pro libertatis & regionis defensione gerere? quod nos facile concedimus; & an nulla ratione liceat adversus hostes regionem bello oppugnantes armis se defendere? quod Photinianus frustra ex eo conatur inferre:

prior quæstio de eo agit, quid sit magis utile ac consultum; posterior de eo, quid fas sit ac licitum. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,* inquit apostolus 1. Cor. VI. 12. X. 23. *& τὰ πάντα πᾶσι συμφέρει* Eccl. XXXVII. 31. Posset imperator Romanus bello repetere ditiones ad imperium Romanum pertinentes, sed an in hoc rerum statu id sit e re imperii, alterius atque altioris est considerationis. Refero huc Christi parabolam Luc. XIV. 31. *Quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus ad se venit,* v. 32. *alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Denique etiam hæ sunt distinctæ quæstiones, an magistratus omnia pacis media solicite quærere debeat, antequam bello sese implicet? & an nullo unquam tempore arma adversus hostes capere debeat? prius facile concedimus, quinimo etiam sedulo illud urgemus; posterius vero negamus, quia hac ratione quorumvis ludibrio ac libidini magistratus sese exponere cogeretur, ac conspirantibus quorumvis furum ac latronum manipulis de solio dejici posset. Contradictoria omnino sunt, magistratum posse geri ab homine christiano, & non licere christiano magistratui bellum gerere, cum incidere possit tempus ejusmodi, ut christianus magistratus statum ac locum suum absque bello tueri minime possit. 4.) Osterodus in inst. c. 28. p. 192. eamdem exceptionem repetit, sed addit: *Si magistratus cum subditis est vere Dei populus, hoc est, si Deo confidit, & debitam obedientiam præstat, Deum vi promissionis suæ in pace & quiete etiam absque bello & sanguinis effusione eos conservaturum*: Jer. XVIII. 7. Apoc. III. 10. *sola pœnitentia peccatorum pœnas, ad quas etiam eversiones regionum & rerumpublicarum pertinent, averti posse*: Matth. XI. 23. *bellis absque conversione nihil profici, nec decreta Dei de transferendis regnis impediri*: Dan. II. 21. Esa. XXXVII. 26. *Resp.* Hæc omnia suo loco recte dicuntur, sed interim non sunt negligenda media divinitus concessa, agenda est omnino seria pœnitentia, invocandum Dei auxilium, in solo Deo, non in militum copiis confidendum; interim tamen magistratus suo non desit officio, nec subditorum defensionem divinitus sibi commendatam negligat, sin vero hostium potentiæ resistere nequeat, divinæ voluntati humiliter ac patienter sese subjiciat.

VI.) *A bellorum justorum fructificatione.*

§. CCCLXXXII. VI.) A *belli fine & effectu.* Cujus fines & effectus sunt utiles ac necessarii, illud modo in se ac per se vitiosum non sit, simpliciter improbari nequit. Belli legitimi fines & effectus sunt utiles ac necessarii, nec in se ac per se est vitiosum. Ergo bellum legitimum non debet improbari. *Adsumtum* probatur ex inductione utilitatum, quas præstat bellum. Illæ vero sunt: 1.) *reipublicæ conservatio.* Nihil est in omnibus totius universi partibus, quod non habeat suum hostem, quodque non exerceat aliis cum rebus inimicitias, quas *ἀντιπαθείας* physici adpellant. Eccl. XXXIII. 16. *Intuere in omnia opera altissimi. Duo contra duo & unum contra unum.* c. LXII. 25. *Omnia duplicia, unum contra unum, & non fecit quidquam deesse,* hoc est, creaturæ ita sunt a Deo conditæ, ut constituant quasi quoddam antitheton, & una alteri quodammodo sit opposita, ut aqua igni, medicamenta venenis: ita quoque nullum est imperium, quod non habeat suos hostes, quorum insultibus & conatibus nisi consilio & armis resistatur, funditus illud brevi interire necesse est. Sine bellis nulla respublica poterit firmari, nulla amplificari, nulla conservari, nulla ab interitu vindicari. 2.) *Pacis adquisitio.* Augustinus epist. CCV. *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax adquiratur;* quod citatur in jure canonico, cap. *Noli &c.* 23. q. 1. Sine bello in pace vivere, pietati & virtuti operam dare, honestati studere, rem familiarem curare, & cætera

tera pacis munia obire minime possumus; hunc ergo finem qui adpetunt, bellum simpliciter improbare non possunt. 3.) *Hostium repressio.* Nemo audet provocare eum, quem novit esse promtum & expeditum ad sui defensionem: sic militaria & bellica exercitia vicinos & exteros populos reprimunt, ne contra nos insurgere audeant. (*) Politici scriptores addunt etiam alias bellorum utilitates, utpote quod bella inutili & ignava turba rempublicam liberent: (*nullum majus remedium est, homines otio turpi, inertia, voluptatibus diffluentes e civitate tollendi, ac veluti pravis & corruptis humoribus plenum corpus vacuandi, quam ad bellum eos emittere*; Bodinus lib. V. de rep. c. 5. num. 365.) quod magistratus ac subditos a vitiis illis avocent, quæ diuturniorem pacem & deses otium comitari consueverunt: quod domesticas seditiones & intestinas dissensiones prohibeant: quod ad amplificandum imperium, ad parandas opes, gloriam & nominis immortalitatem plurimum faciant &c. Sed hæ ac similes utilitates nunquam tanti æstimandæ, ut bellum propter eas consequendas suscipiatur, nisi fines reliqui, videlicet reipublicæ conservatio, pacis adquisitio & hostium repressio belligerandi necessitatem imponant. Quod in *minore* additur, *bellum in se ac per se vitiosum non esse*, constare potest ex superioribus argumentis; hoc loco illud duntaxat urgemus: Quod in se ac per se vitiosum est, illud semper ac perpetuo tale, quia καθ' αὐτὸ præsupponit κατὰ παντὸς. Jam vero belligerari non est semper ac perpetuo vitiosum, quia in vet. test. ex concessione adversariorum fuit licitum. **Ergo** in se ac per se non est vitiosum.

Novum argumentum ex Luc. XIV. 31. desumtum.

§. CCCLXXXIII. Quidam ex nostris argumentum ducunt ex verbis Christi Luc. XIV. 31. *Quis rex iturus committere bellum adversus regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus ad se venit.* Illos vero falsè irridet Smalcius contra Frantz. disp. VI. p. 395. *Hic* (inquit) *risum teneatis amici! Christus parabolam narrat, & per eam, quomodo ad deserenda carissima & omnia adversa perpetienda paratissimus esse debeat, quicunque sibi militare cogitet, docere proponit. Frantzius Christum leges belli gerendi repetiisse, & tacite commendasse adfirmare non dubitat. Hac ratione ego probabo, Christum docuisse, quomodo qui alienas curant familias, dominos suos fraudare, & de facultatibus illorum intervertere multa pro futura necessitate possint, & alia huic similia non pauca monstrosa dogmata vel potius impietates. Resp.* 1.) Distinguendum inter *qualemcunque theseos illustrationem*, & *primariam ejusdem probationem*; nos enim hac parabola non primariæ probationis, sed qualiscunque collationis & illustrationis gratia utimur. 2) Conjungimus eidem dictum apostolicum 1. Cor. IX. 7. *Quis militat unquam suis stipendiis?* ubi ex aliis similitudinibus subjunctis adparet, apostolum loqui de talibus rebus, quæ sua natu-

(*) Bella, si respectu omnium causarum considerentur, nihil iniquitatis includunt. Sunt illa *inimicitiæ publicæ*, quibus edicto magistratuum vi & armis scelera reprimuntur, ut homines pacate & tranquille ex justitia possint vivere. *Causa efficiens* est magistratus, qui, dum bello reprimit hostes, eo ipso agit patrem patriæ, & satisfacit officio divinitus mandato, unde legitima bella dicuntur *prælia Domini* 1. Sam. XVIII. 17. XXV. 28. *Causæ impulsivæ* sunt scelera & injuriæ publicæ, quas magistratus debet ulcisci. *Causa formalis* determinat modum, quia bella non tantum juste vel ob justas causas suscipienda, sed etiam juste vel legitimo modo gerenda sunt. *Causæ finales* sunt conservatio ecclesiæ & cultus divini, Jos. XXII 31. Neh. IV. 9. cohibitio eorum, qui restituunt justitiæ publicæ, Jud. XX. 11. depulsio servitutis ac violentiæ, emendatio hostium, conservatio libertatis, vitæ & tranquillitatis publicæ. Adnumerandum & hoc bellorum commodis, quod per illa consulitur hostium utilitati, licet non voluntati, quia coërcentur, ut peccare desinant, & pœnitentiam agant, quam alias non egissent. Vt ergo medicus phreneticum ligans & pater indisciplinatum filium cædens non peccant contra caritatis leges, sed potius ex caritate agunt: sic princeps hostium ferociam frenat, non ex odio, sed christiana caritate, illique benefacit etiam invito, dum peccandi licentiam minuit. GERHARDVS.

natura non sint vitiosæ: *Quis plantat vineam,* (inquit) *& de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* v. 10. *Qui arat, debet in spe arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Quemadmodum ergo vineam plantare, gregem pascere, terram colere, & hac ratione sibi suisque victum quærere, non est in se ac per se vitiosum; sic alienis mereri stipendiis non est in se ac per se illicitum censendum. Interim non sumus nescii v. 13. mentionem fieri eorum, *qui in sacrario operantur; & altari deserviunt*, quod ex vet. test. petitum, nec nisi certa ratione & conditione ad nov. adplicari potest. Addimus igitur locum 2. Tim. II. 4. *Nemo militans implicat se negotiis secularibus, ut placeat principi rei militaris*; ubi spiritualibus Christi militibus exemplum terrenorum militum ad imitationem proponitur. 3.) Est ergo dispar ratio parabolæ *de œconomo injusto & de rege armis occurrente suo adversario.* Fatemur non esse omnia ejusdem generis, quæ in parabolis proponuntur, cum quandoque ex illis, quæ *facti* sunt, non *juris*, exempla in vita spirituali petantur, sed alia est militiæ ratio, quam in se ac per se illicitam non esse, jam ante demonstravimus. Addunt nonnulli ex nostris argumentum ex dicto Christi Matth. XXVI. 52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, quæ verba non tam narrationem ac prædictionem, quid fieri soleat, quam adprobationem, quid juste & per Dei judicium fiat, hoc est, pœnæ divinitus immittendæ denunciationem continent, ut suo loco ostendimus, adeoque innuitur, jure illos interfici, qui aliorum vitæ insidiantur juxta legem antiquissimam, Gen. IX. 6. quam Christus hic confirmat. Sic ergo concludimus: Qui gladium accipiunt, & alios occidere cogitant, illis licet, juxta Christi sententiam, resistere auctoritate publica, ut sic rursus gladio humano pereant. Sed hostes accipiunt gladium, & alios occidere cogitant. Ergo licet illis juxta Christi sententiam resistere auctoritate publica, ut sic rursus gladio pereant.

Consensus ecclesiæ primitivæ.

§. CCCLXXXIV. Adjungimus etiam secundarii argumenti loco *consensum primitivæ ecclesiæ*, quem colligimus 1.) ex *dictis veterum.* Osiorodus in inst. Germ. c. 27. num. 4. p. 177. *fere omnes patres, adeoque ipsum etiam Augustinum in ea opinione fuisse* adserit, *quod christiano bellum gerere sit prohibitum;* sed contrarium intelligitur ex seqq. dictis. Tertullianus in apolog. c. 42. *Navigamus & nos vobiscum, & militamus & rusticamur & mercamur.* Nazianzenus orat. III. de pace: *Licet utriusque temporis habenda sit ratio, quandoquidem juxta illius legem atque auctoritatem præclare interdum bellum suscipitur, quamdiu tamen licet, propensiores ad pacem esse debemus, hoc enim sublimius est & divinius.* (*) Chrysostomus in evang. de nuptiis Joh. II. *Militiam prætexis & dicis: non possum esse pius. Centurio nonne miles erat, nihilque nocuit illi sua militia?* Ambrosius lib. I. de officiis c. 27. *Fortitudo, quæ vel in bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus sucios, plena est justitiæ.* c. 40. exempla virtutis bellicæ adducit & commendat. Conf. ser. VII. & in orat. de obit. Theod. Augustinus epist. CCV. ad Bonif. *Noli putare neminem Deo placere posse, qui armis bellicis ministrat. In his erat sanctus David, cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium, qui inquit: Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. In his erant illius*

(*) Basilius epist. CXXV. *Hoc mihi videtur munus esse principis, ut opem ferat virtuti, militiam vero impugnet, sive id interuento principatu, sive cum gladio aut vinculis faciat.* Cyrillus tom. III. de recta fid. magistratum multis commendat, & ita compellat: *Militum vestrorum multitudo & militaris disciplinæ peritia vincere semper solita, mundum subjecit.* Synesius lib. de regno: *Ut bona civitatis & telluris serventur, rex propugnat & deligit, qui pugnare debeant.* Augustinus lib. I. de civ. Dei c. 21. *Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt.* Gerhardvs.

illius temporis plurimi juſti. In his etiam erat ille centurio, de quo inquit Chriſtus: In Iſraël non inveni tantam fidem. Adde epiſt. V. ad Marcel. lib. XXII. contra Fauſt. c. 74. *Quid in bello culpatur? an quod moriuntur homines, quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum eſt, non religioſorum &c.* Lib. VI. quæſt. in Joſuam q. 10. *Juſta bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum, vel reddere, quod per injurias eſt ablatum. Hoc etiam belli genus ſine dubitatione juſtum eſt, quod Deus imperat, apud quem nulla eſt iniquitas, & novit, quid cuique fieri debeat.* Serm. XIX. de verb. Dom. ſecundum Matth. in principio: (in Ambroſii ſermonibus exſtat ſerm. VII.) *Nonnulli fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu publico conſtituti ſunt, cum graviter peccant, hac ſolent a peccatis ſuis prima ſe voce excuſare, quod militant, & ne bene aliquando faciant, occupatos ſe malis actibus conqueruntur, perinde quaſi militia hominum, non voluntas in culpa ſit, ita quod ipſi gerunt, officiis ſuis aſcribunt. Non enim militare delictum eſt, ſed propter prædam militare peccatum eſt.* Gregorius lib. I. epiſt. 73. ad Gennad. *Si non ex fidei merito, ex chriſtianæ religionis gratia tanta excellentiæ veſtræ bellicorum actuum proſperitas evenerit, non ſummopere miranda fuerat, ſed cum futuras (Deo largiente) victorias non carnali providentia, ſed magis orationibus præveniſtis, fit, ut hoc in ſuperem veniat, quod gloria veſtra non terreno conſilio, ſed Deo deſuper largiente deſcendat.* Bernhardus ſerm. ad milites c. 3. *At Chriſti milites ſecuri prœliantur prœlia Domini ſui, nequaquam metuentes aut de hoſtium cæde peccatum, aut de ſua nece periculum, quandoquidem mors pro Chriſto vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis & plurimum gloriæ mereatur.*

§. CCCLXXXV. 2.) Ex *probatis exemplis piorum. Conſtantinus, Theodoſius, Valentinianus, Carolus magnus* & alii *imperatores, reges ac principes chriſtiani* bella geſſerunt, nec ab epiſcopis hoc nomine reprehenſi leguntur, quinimo Ambroſius Theodoſium a laude bellica commendat in orat. de ipſius obitu. Euſebius lib. VIII. hiſt. eccl. c. 4. mentionem facit quorumdam chriſtianorum in exercitu Veturii, qui ob conſtantiam in fide chriſtiana jacturam honoris fecerunt, quidam etiam ſanguinem ſuum fundere non dubitarunt. Baſilius in orat. de laudibus 40. martyrum refert, *multos ſanctorum fuiſſe in caſtris gentilium imperatorum.* (*) Referenda huc ſunt miracula a chriſtianis militibus facta, & victoriæ

(*) Tota legio ex Thebæis Ægyptiis chriſtianis compoſita militavit ſub Mauritio tribuno militum, quæ in Seguſianis propter Chriſti fidem a Maximino imperatore fuit occiſa. (†) Sub Decio chriſtianos fuiſſe milites teſtatur Euſebius lib. VI. c. 41. & 42. cent. III. Magd. c. 3. col. 18. In quarto ſeculo militiam exercuiſſe chriſtianos, patet inde, quia dignitatibus ſuis a Diocletiano ſpoliari leguntur milites chriſtiani apud Euſebium lib. VIII. c. 3. Sub Licinio quadraginta chriſtianos milites in ſtagno Sibaſtæ martyrio adfectos eſſe, teſtatur Nicephorus lib. XIV. c. 10. Sozomenus lib. IX. c. 2. GERHARDVS.

Subnota *Editoris.*

(†) Celeberrima eſt hiſtoria martyrii *legionis Thebææ*, ſive MAVRITII & ſociorum, quam pauciſſimis verbis hoc tetigit GERHARDVS. In adſignando tempore rei geſtæ non conveniunt ſcriptores. Plerique eandem ad annum CCXCVII. referunt. Summa hujus hiſtoriæ, prout iſta commemorari ſolet, hæc eſt: legionem quandam *Thebæam*, conſtantem militibus delectis 6666. ex ultimo oriente Romam a DIOCLETIANO fuiſſe miſſam, in ſupplementum copiarum MAXIMIANI in Galliam properantis, ad motus in ea exortos comprimendos. Hancce legionem in itinere ab epiſcopo Hieroſolymitano ad Chriſti fidem converſam, &, mox Romæ a MARCELLINO confirmatam, ſuperatis Alpibus in partes Valleſiæ ad lacum Lemannum perveniſſe, ubi omnes copias luſtrari easdemque ad aras deorum jurare juſſerit MAXIMIANVS, ſe fortiter pugnaturos. Noluiſſe vero hocce flagitio ſe contaminare legionem Thebæam, totam ex chriſtianis compoſitam, cujus dux MAVRITIVS erat. Quare bis eam MAXIMIANVS decimaverit, id eſt, decimum quemque militem ſupplicio adfici voluerit, tandem vero, cum hæc ſeveritas ejus-

ctoriæ miraculosæ christianis imperatoribus divinitus concessæ. Eusebius lib. V. hist. c. 5. „Marcum Aurelium, Antonini fratrem, ru„mor est, cum in Germanos & Sarmatas ex„peditionem movisset, & exercitus ejus siti „adflictaretur, in rerum desperatione fuisse „constitutum. Milites vero legionis, quam „Melitinam vocabant, fide tum semel atque „iterum percitos, genua in ipsa acie contra „hostes ad terram usque curvasse, & ad sup„plicandum Deo esse conversos. Cum autem „hostibus spectaculum hoc insolens adpareret, „ferunt aliud quiddam insolentius etiam sub„secutum, fulmen scilicet, quod hostes in „fugam & exitium expulerit, & imbrem ad „refocillandum exercitum, qui jam totus siti „propemodum periturus cœleste Numen im„ploraverat. Hæc autem historia fertur qui„dem etiam ab illis commentatoribus, qui „alieni sunt a nostra doctrina, (Dione & Clau„diano) quibus curæ fuit ea, quæ jam dictos „concernebant, describere: exposita vero est „& a nostris, verum ab exteris historicis tan„quam a fide alienis positum quidem est ipsum „miraculum, id autem expressum non est, „quod nostrorum hoc precibus evenit, a no„stris vero tanquam veritatis amicis simplici„ter & candide, quod gestum est, traditur.„ Postea subjicit locum ex Apollinario, quod hæc legio ab imperatore postmodum dicta fuerit κεραυνοφόλος, *fulminea*, (*) & ex Tertulliano in apolog. c. 5. ubi provocat ad literas Aurelii imperatoris, quibus illam Germanicam sitim christianorum forte militum precationibus impetrato imbre discussam contestatur. Idem Eusebius lib. IX. hist. eccl. c. 9. miraculosam Constantini victoriam ex bello contra Maxentium reportatam describit: lib. I. de vita Constantini c. 2. "Cum sol ad me„dium cœlum adscendisset, die in pomeridia„num tempus paululum inclinante, Constan„tinus crucis signum ex lucis splendore figu„ratum in ipso cœlo soli imminens manifesto „oculis adspexit, inque eo inscriptionem con„signatam, quæ hæc verba complectebatur: „In hoc vinces.„ (**) Socrates lib. VII. c. 18.

ejusdem constantiam frangere haud potuerit, eandem, immisso exercitu, internecione deleverit. — Dubitant tamen multi eruditorum de veritate hujus historiæ, soli Evcherio Lugdunensi, seculi V. scritori memoratæ, vetustioribus haud recensitæ. Ex instituto eandem impugnavit Jo. Dubordieu peculiari libello, qui Amstelod. MDCCV. in 8. hoc indice prodiit: *dissertation critique sur le martyre de la legion Thebeenne.* Hujus exemplum triennio post secutus est Jo. Jac. Hottingervs, in *historia ecclesiast. Helvetiæ tom. I. libr. II. §. 23. seqq.* ejusdemque argumenta novis rationibus, iisque minime contemnendis, adauxit. Equidem post longam triginta quinque annorum moram defensionem hujus historiæ in se suscepit Josephvs de L'Isle, abbas S. Leopoldi Nancejensis, edito *Nanci* 1741. libello gallico, cui titulus: *defense de la verité de la legion Thebeenne, pour repondre à la dissertation du Ministre du Bordieu.* Sed confutavit eundem auctor epistolæ Gallicæ, quæ in *bibliotheque raisonnée, tom. XXXVI. p. 427. seqq.* legitur. Hunc insecutus est Lovsivs Boehat, luculenterque ostendit, historiam de martyrio legionis Thebææ inter pias fallacias referendam esse. Vid. ejus *memoires critiques sur l'histoire ancienne de la Suisse vol I. anno 1747.* edit. *p. 557. seqq.* Conferenda, quæ de hac controversia adnotavit b. Mosheimvs in *commentario de rebus christianor. ante Constantinum M. p. 565. seqq.*

(*) Constat equidem ex antiquitatum monumentis, jam Augusti ætate cognomen *fulminatricis* fuisse notum. Patet id ex Dionis Cassii suffragio, qui *libro LV. p. 804.* Augusti legiones recensens, duodecimæ in Cappadocia, ejusdemque *fulmineæ* disertam facit mentionem. Exstant etiam apud Gruterum aliosque, vetustæ inscriptiones, in quibus pariter legio *fulminea* commemoratur. Verum, licet exinde colligi queat, non demum ex mirabili pluviæ eventu nomen *fulminatricis* primam suam habuisse originem, nihil tamen obstat, quo minus dicamus, legionem istam, cujus precibus exercitus Romanus fuit servatus, singulari quadam ratione cognomen illud accepisse. Plura hanc in rem non addimus, cum hoc a scopo nostro prorsus sit alienum. Evolvat, cui volupe est, scripta a viris doctissimis, speciatim Larroquiano, Frickio, Herm. Witsio, Moylio, Woolstono, Moshemio, Baumgartenio aliisque *de legione fulminatrice* in lucem publicam edita, atque a Jo. Alb. Fabricio in *salutari luce evangelii cap. VII. p. 139.*

(**) Hanc narrationem ex Eusebio repetit Sozomenvs *libr. I. hist. ecclesiast. cap. III.* Sunt & alii inter

c. 18. "Cum Constantinopolitani (propter ma„ximas Persarum copias) anxio & solicito „animo essent, & propter incertam belli for„tunam ancipiti cura distracti, angeli Dei in „Bithynia nonnullis, quos negotia necessaria „Constantinopolin ire cogebant, adparentes „jubent renunciare Constantinopolitanis, ut „bono animo sint, precibus se dedant, & fir„mam in Deo spem ponant, Romanos victo„res fore, se enim administratores belli a „Deo missos esse dicebant, idque eventu se„liciſſimo fuit postea comprobatum.„ Augustinus lib. V. de civ. Dei c. 23. refert, *exercitum Honorii divino miraculo incredibilem de Gothis victoriam retulisse.* Ejusmodi exempla complura in historia ecclesiastica adnotata exstant. Coronidis loco monemus, Photinianos cum sua opinione non posse solide conciliare sequentes hypotheses: 1.) Concedunt, *licere christiano magistratum gerere*; interim negant, a christiano magistratu bellum geri posse, cum incidere possit tempus ejusmodi, ut ad statum suum defendendum magistratus cogatur bellum suscipere. 2.) Concedunt *in vet. test. bella fuisse licita, in novo* dicunt *prohibita*; cum disertum aliquod interdictum adferre nequeant. 3.) Concedunt, *defensionem esse juris naturalis*, quod est immutabile & perpetuum; interim negant bella defensiva esse licita. 4.) Concedunt, *si quis aliter sese alere nequeat, tractare talia artificia*, quorum opera arma parantur; interim negant, bella gerere esse licitum, cum finis talium instrumentorum proprie defensionis usum spectet.

§. CCCLXXXVI. Hactenus nostram confirmavimus sententiam; sequitur, ut in antithesi examinemus opinionem & argumenta eorum, qui bellum absolute & simpliciter improbant. I.) *Manichæi* bellum ex natura sua illicitum esse dicebant, ideoque Mosen, Josuam, Davidem & alios vet. test. sanctos, qui bella gesserunt, impietatis adcusabant, uti refert Augustinus lib. XXII. contra Faust. c. 74. & alibi passim. II.) *Quidam ex veteribus* quandoque satis incommode loquuntur. Tertullianus lib. de corona militis post med. c. 11. p. 183. 184. „Credimusne humanum sacramentum divino „superinduci licere, & in alium dominum „respondere post Christum? licebit in gladio „versari Domino pronunciante gladio peritu„rum, qui gladio fuerit usus? & prælio ope„rabitur filius pacis, cui nec litigare conve„niet?„ (*) Origenes lib. II. cont. Celsum, *Christum in nov. test. omnia bella sustuliſſe* disputat. Idem hom. XV. in Jos. & citatur c. *Nisi &c.* caus. 23. q. 1. "Nisi bella ista carnalia „figuram spiritualium bellorum gererent, nun„quam, ut opinor, Judaicarum historiarum „libri discipulis Christi, qui venit pacem tra„dere, legendi in ecclesiis ab apostolis fuis„sent traditi. Quo enim eis bellorum profi„ceret ista descriptio, quibus dictum a Chri„sto, pacem meam do vobis &c.„ Lactantius lib. VI. divin. instit. instit. c. 19. circa med. p. 365. "Cum occidere Deus vetat, „non tantum latrocinari prohibet, quod ne „per leges quidem publicas licet, sed ea quo-

Antitheſis eorum, qui bella ſimpliciter improbant.

inter veteres scriptores, qui eandem rem confirmant, licet in circumstantiis quibusdam recensendis haud prorsus inter se consentiant. Copiosius eandem edisserunt ex recentioribus Sam. Basnagius, *tom. II. annal. polit. ecclesiast. p. 630.* & Steph. Balvzius in *not.* ad Lactantivm *de mortibus persecutorum p. 94.* De veritate atque indole hujus prodigii non una omnium est sententia. Plerique statuunt, evenisse illud, atque miraculis accensendum esse. Alii contra ea, quæ de signo crucis a Constantino in cœlo viso narrantur, in fabulis numerant, existimantque, rem ab Eusebio, vel ipso imperatore Constantino M. fuisse confictam. Summam argumentorum, quibus utuntur dissentientes, exhibet b. Walchivs in *histor. eccles. nov. test. p. 1565. seqq.* ubi & eorum facit mentionem, qui visum hoc ad caussas naturales referunt, ac suspicantur fuisse illud phœnomenon naturale, quo crux lucida in halone solari cum porheliis conspici solet.

(*) Adde eumdem de idololat. c. 19. p. 157. 158. edit. Francker. Gerhardvs.

„que ne fiant, monet, quæ apud homines „pro licitis habentur. Ita neque militare „justo licebit, cujus militia est in ipsa justitia, „neque vero adcusare quemquam crimine ca„pitali, quia nihil distat, utrumne ferro an „verbo potius occidas, quoniam occisio ipsa „prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nul„lam prorsus exceptionem fieri oportet, quin „occidere hominem sit semper nefas, quem „Deus sanctum animal esse voluit.„ Hieronymus in epist. ad Ageruchiam de monogam. „Olim bellatoribus dicebatur, adcinge gla„dium tuum super femur tuum potentissime, „nunc Petro dicitur, converte gladium tuum „in vaginam.„ Leo in epist. XC. ad rusticum, & habetur in cap. *Contrar. &c.* dist. 5. de pœnit. *Contrarium est ecclesiæ regulis post pœnitentiæ actionem redire ad militiam secularem.* Respicit Leo ad decretum concilii Nicæni can. XI. ubi *pœnitentia iis injungitur, qui militiam, cui renunciaverant, repetierint.* (Balsamon & Zonaras hunc canonem exponunt de illis, qui cingulum ambiebant, fidem negare parati.) Plura hujusmodi dicta ex patribus adducit Erasmus in adnotat. cap. III. & cap. XXII. Luc. quæ commoda interpretatione ad bonum sensum revocare conatur Bellarminus lib. III. de laicis cap. 16. quod an in omnibus fieri possit, merito dubitamus. III.) Nostro seculo *Anabaptistæ* cum aliis erroribus contra magistratus officium pugnantibus etiam hunc amplexi sunt, non licere in nov. test. bellum gerere, uti Phil. Melanchthon in locis cap. *de magistr.* Wigandus in Anabapt. & alii referunt. Quanta tamen eorum in Monasterienst obsidione fuerit crudelitas, describit Sleidanus lib. X. comment. In libro, quem durante obsidione scripserunt sub *restitutionis* titulo inter cætera docent, *etsi nullum habuerint apostoli mandatum usurpandæ jurisdictionis, tamen eos, qui nunc sunt, ecclesiæ ministros debere sibi sumere jus gladii, perque vim constituere novam rempublicam.*

§. CCCLXXXVII. IV.) Anabaptistarum vestigiis insistunt *Photiniani.* Socinus in libro, *quod evangelici Photinianis se adjungere debeant.* cap. 3. p. 24. inter ea, quæ in evangelicorum religione cum Christi præceptis pugnant, etiam hoc refert, quod *vim vi repellere ac hominem etiam interficere liceat, si aliter vis repelli nequeat, præsertim vero cum bellum injustum nobis infertur.* Et postea: *Mirum est, quod evangelici tunc potissimum humanum sanguinem fundere populo christiano permittunt, vel potius præcipiunt, cum maxime homines vere christiani non alienum, sed suum sanguinem fundere, idque non armis carnalibus præliando, sed spiritualibus tantum armis, hoc est, fide, patientia, constantia, spe utendo, parati esse debent, tunc videlicet, cum divinæ veritatis hostes nolunt illis permittere, ut Deum & Christum pure colant, sed vi & armis illos ad impios cultus adigere volunt;* quem vocat maximum & pernicioſissimum in christiana religione errorem. Ostorodus in instit. Germ. cap. 27. num. 4. p. 177. *Wir bekennen, dass es eine schwere Frage sey, welche vielen gottsfürchtigen und gelehrten Leuten je und allwege viel zu schaffen gemacht, ob der Krieg einem Christen frey und erlaubet sey? Denn es etliche dafür gehalten, dass der Krieg einem Christen nicht verbotten sey, etliche aber das Gegenspiel. Und ob wol die ersten die meisten Stimmen haben, sowol bey Gelehrten als Ungelehrten, so haben doch auch die andern nicht wenig gottsfürchtige und gelehrte Leute gehabt, die ihre Meynung approbirt haben.* Pag. 178. *Wir geben denen Beyfall, so den Krieg improbiren, nicht für gut halten, ob wir wol wissen, wie viel diess für den Kopf stossen wird, die wol um dieser einigen Meynung willen die ganze Confession selber leichtlich verwerfen sollten. Denn es wird sie dünken, dass diese unsere Meynung das unterste zu oben kehre, und allerding eine Confusion anrichte. Was sollen wir aber thun? Wir können nicht wider unsere conscientiam etwas weder reden noch verschweigen, sintemal es um den Gehorsam der Gebot Christi, und consequenter um die ewige Seligkeit zu thun ist;* quæ verba posteriora probe sunt notanda,

tanda, innuunt enim *esse errorem cum periculo salutis conjunctum, si quis asserat, bellum gerere ulla ratione esse licitum*; sed pag. seq. 180. Osiorodus contrarium subjicit: *Wir verdammen niemand bald, der diss anders, denn wir verstehen, meynet.* Contra sic infero: Qui propugnat errorem cum obedientia mandatorum Christi pugnantem, is errorem damnabilem amplectitur, siquidem ex hypothesi Osiorodi, obedientia mandatorum Christi ad salutem simpliciter est necessaria. Evangelici jus belli magistratui asserentes propugnant errorem cum obedientia mandatorum Christi pugnantem ex ejusdem Osiorodi hypothesi. Ergo amplectuntur errorem damnabilem. Smalcius contr. Frantz. disp. VI. de rebus civil. p. 393. "Quod bella gerere li„ceat, negamus, & indignum christiana pie„tate esse contendimus;„ adde eumdem contra priorem disp. VII. de bon. operib. p. 243. V.) Photinianorum vestigia premit *Weigelius* Suencfeldianus in postill. in explic. evangel. dom. XXII. post Trinit. p. 329. ubi itidem bella defensionis ergo suscepta improbat. VI.) Quidam ex pontificiis bella etiam legitima videntur damnasse. (*) Erasmus in adnot. c. III. Luc. pag. 126. "Ridiculum est, quod „ quidam ex verbis baptistæ: Neminem con„cutiatis &c. probare nituntur bellum, quasi „Johannes hæc dixerit christianis, ac non po„tius ethnicis, aut certe profanissimis Ju„dæis&c. Quis negat Judæis permissum fuisse „bellum, sed iisdem, quibus permissum fuit „odium inimici? Bellabant Judæi, sed jussu „numinis, an ob id volumus christianos con„tra Christi jussum belligerari?„ In adnot. cap. XXII. Luc. p. 157. "Augustinus multis locis christiane bellum detestatur &c.„ Interim p. 158. quandam correctionem addit; „Neque vero cum hæc dico, jus adimo prin„cipibus gerendi belli, modo christiane ge„ratur.„ (**) Cornelius Agrippa de van. scient. cap. 79. *artem bellandi a Christo prohibitam esse* affirmat. Addit Bellarminus Joh. Ferum, qui lib. IV. comm. in Matth. XXVI. itidem bellum improbet; sed Ferus disertis verbis magistratui jus gladii ibidem concedit: collegit autem id Bellarminus ex illis Feri verbis, in quibus negat, evangelium armis secularibus & humana ope defendendum esse, quod respectu privatorum & ecclesiæ ministrorum est omnino verissimum.

An Lutherus bellum contra Turcam gerendum esse negaverit?

§. CCCLXXXVIII. VII.) Bellarminus lib. III. de laicis c. 16. Luthero tribuit, quod inter alia paradoxa defendere conatus fuerit, *non licere christianis contra Turcas bellum gerere*, idque probat ex art. 34. in bulla Leonis damnato; sed respondemus: 1.) Bellarminus ipse agnoscit, Lutherum in lib. de visit. Saxon. contrarium docere: "Clamant (inquit) aliqui prædicato„res temerarie, non resistendum esse Turcæ, „hic sermo seditiosus est, qui neque ferri „neque permitti debet; tenentur potestates „resistere Turcis, qui non solum cupiunt pro„vincias devastare, uxores ac liberos violare „& interficere, verum etiam jura provinciæ, „cultum Dei, omnemque ordinationem bo„nam abrogare ac tollere &c.„ Similia passim apud ipsum occurrunt in lib. de bello contra Turcam edito anno 1528. tom. IV. Jen. Germ. fol. 399. *Den Kayser und die Fürsten*

(*) Gregorius VII. papa Romanus c. Falsas dist. 5. de pœnit. *Illi, qui exercent negotium, quod sine peccato non potest exerceri, non sunt capaces pœnitentiæ, nisi negotio ejusmodi renuncient*, ubi exemplum ponitur de milite. GERHARDVS.

(**) Danæus in relp. ad hanc controv. Erasmum excusare conatur, quasi bella christianorum principum inter se tantum exsecretur, idque probat ex his Erasmi verbis, quæ sub finem suæ in belligerantes invectivæ subjunxit in adnot. c. XXII. Luc. p. 158. *Neque vero cum hæc dico, jus adimo principibus gerendi belli, modo christiane geratur. Laudantur Ambrosio cæsares, qui se pro tuenda christiana evangallitate adversus barbaros ceu murum opposuere, & tamen idem negat hoc esse puritatis evangelicæ. Sed quid hæc ad nos, qui sacerdotes ipsi sine sine belligeramur, idque pro imperio, pro præda, pro mundana gloria.* Confer eumdem Erasmum in cap. III. Luc. p. 126. & seqq. apolog. adversus Rhapsodias calumniosa um querimoniarum Alberti Pii, quondam Carporum principis, p. 272. & seq. GERHARDVS.

ſien ſolt man vermahnen ihres Amts und ſchuldiger Pflicht, daſs ſie gedächten mit Fleiſs und Ernſt ihre Unterthanen im Friede und Schutz handzuhaben wider den Türken, &c. ſie treiben, und ihre Gewiſſen aufs höchſte beſchweren, wie ſie GOtt ſchuldig ſeyn, ihre Unterthanen nicht ſo jämmerlich laſſen verderben, und wie ſie ſo groſſe treffliche Sünde thun, daſs ſie ihr Amt hierinne nicht bedenken, und denjenigen, ſo mit Leib und Gut unter ihrem Schutz leben ſollen, und mit Eyden und Hulden verbunden ſeyn, nicht mit Rath und Hülf erſcheinen nach allem ihrem Vermögen. Et poſtea: *Alſo ſolte ein Legat (von Rom) auf dem Reichstage mit den Reichsſtänden handeln, GOttes Gebot fürhalten, und eine undvermeidliche Noth daraus machen, und ſagen: Lieben Herren Kayſer und Fürſten, wolt ihr Kayſer und Fürſten ſeyn, ſo thut als Kayſer und Fürſten, oder der Türck wirds euch lehren durch GOttes Zorn und Ungnade. Deutſchland oder Kayſerthum iſt euch von GOtt gegeben und befohlen, daſs ihrs ſchützen, regieren, rathen und helfen ſolt, und nicht allein ſolt, ſondern auch müſſet, bey Verlierung euer Seelen Seligkeit und göttlichen Hulde und Gnade. Nun aber ſiehet man wol, daſs euer keinem Ernſt iſt, noch ſolches gläubet, laſſet eure Unterthanen, ſo euch von GOtt befohlen, ſo jämmerlich plagen, wegführen, ſchänden, plündern, würgen und verkaufen, &c.* (*) 2.) Ergo non ipſum bellum, ſed belli gerendi modum improbavit Lutherus, quod absque prævia vera & seria pœnitentia bellum contra Turcas ſuſcipiatur, quod bullis & indulgentiis papalibus expeditionem ſuſcepturi nimium tribuant, quod ſub prætextu belli Turcici Germania a Romanis harpyis expiletur, quod epiſcopi in aciem procedant &c. ſic enim loquitur Vlr. Hutenus in notis ad art. XXXIV. a Leone damnatum. tom. I. Lat. p. 478. "Vobis quidem pontificibus „hoc præliari contra Turcas ſæpe jam magno „fuit lucro, dum pecuniam exegiſtis in Ger„mania, quantam libuit, qua expeditionem „hanc, quod nunquam ſerio cogitaſtis, pro„ſequeremini. Nam ſi ſemel debellarentur „Turcæ, quem hoſtem fingere velletis tan„topere oppugnandum?„ Lutherus ipſe mentem ſuam clariſſime exponit in adſert. artic. a Leone damnatorum art. XXXIV. tom. II. Latin. p. 310. "Tot jam annis (inquit) paſſi „ſumus nos deglubi per impoſtores & legatos „Romanos toties ad bellum Turcarum indul„gentiis ac facultatibus impudentiſſime ven„ditis, pecuniam & ſubſtantiam noſtram de„vorantes, quam vidimus non ſolum non ve„niſſe, quo mendaces illi & fallaces homines „venturam promiſerunt, ſed etiam in turpiſ„ſimas eorum libidines & pompas profuſam.„ Et poſtea: "Quanto rectius faceremus, ſi pri„mum orationibus imo totius vitæ mutata ra„tione Deum propitium faceremus? tum ido„lo illi Romano cæſar & principes modum „ponerent tyrannidis, illuſionis, perditionis „animarum„ Et adhuc clarius in Germanica articulorum damnatorum adſertione tom. I. Jen. Germ. fol. 429. & tom. VII. Witeb. fol. 131. *Nun hab ich dieſen Artikel nicht alſo geſetzt, daſs wider den Türken nicht zu ſtreiten ſey, wie der H. Ketzermacher der Pabſt mir allhie auflegt, ſondern wir ſolten zuvor uns beſſern, und einen gnädigen GOtt machen, nicht hinein plumpen, aufs Pabſts Ablaſs*

(*) Tom. VI. Witeb. p. 585. *So iſts auch gewaltiglich gnug beweiſet, daſs Kriegen und Würgen von GOtt eingeſetzt iſt, und was Kriegslauf und Recht mit ſich bringet. Was iſt Krieg anders denn Unrecht und Böſes ſtrafen? Warum krieget man, denn daſs man Friede und Gehorſam haben will? Obs wohl nun nicht ſcheinet, daſs Würgen und Rauben ein Werk der Liebe iſt, derohalben ein Einfältiger denket, es ſey nicht ein chriſtlich Werk, ziemt auch nicht einem Chriſten zu thun, ſo iſts doch in der Wahrheit auch ein Werk der Liebe.* Confer tom. III. Jenenſ. Germ. in ſcripto, cui titulus: *Ob Kriegsleute in einem ſeligen Stande ſeyn.* fol. 343. & ſeqq. tom. V. Jen. *Warnung an ſeine liebe Deutſchen* f. 290. b cum duob. ſubſequent. ſcriptis. Tom. VI. *Zwo Schriften D. M. L. an Herzog Johanns Churfürſten zu Sachſen, &c. die Gegenwehr belangend, die eine* fol. 31. a. *die ander* f. 325. tom. VII. de eodem argumento f. 386. & ſeqq. usque ad fol. 395. GERHARDVS.

lass verlassen, wie er bishero die Christen verführet, und noch immer verführet. (*) Videatur etiam liber Germanicus de bello contra Turcas tom. IV. Jen. Germ. fol. 391. & tom. II. Witeb. fol. 524. ubi causas hujus assertionis latius exponit: *Solches (dass ich diesen Artikel setze, den der Pabst Leo X. verdammt hat) thät ich so viel desto lieber, dass ich der Römischen Büberey den Schalkdeckel nehme, denn die Päbste hattens nie mit Ernst im Sinn, dass sie wider den Türken kriegen wollten, sondern brauchten des Türkischen Krieges zum Hütlein, darunter sie spieleten, und das Geld mit Ablass aus Deutschland raubeten, so oft sie es gelüstet, wie das alle Welt wohl wuste, aber nun auch vergessen ist. Also verdammeten sie meinen Artikel nicht darum, dass er dem Türkischen Krieg wehret, sondern dass er solch Helkkäpplein abriss, und dem Geld gen Rom die Strasse legete, denn wo sie mit Ernst wider den Türken hätten wollen kriegen, hätte der Pabst und die Cardinäl so viel von den palliis, Annaten und andern unsäglichen Zugang, dass sie solche Schinderey und Raubens in Deutschlanden nicht bedurft hätten, &c. So gefiel mir auch das nicht, dass man so treib, hezte und reizte die Christen und Fürsten, den Türken anzugreifen und zu überziehen, ehe denn wir selbst uns besserten, und als die rechten Christen lebeten, welche alle beyde Stük, und ein jegliches insonderheit gnugsam Vrsach ist, allen Krieg zu widerrathen.* fol. 392. ostendit, distincta esse principis & episcopi officia, nec competere episcopis, ut gladio corporali contra Turcam pugnent. Reliqua, quæ ex Luthero Vngersdorffius in sua gratulatione adfert, solide explicat Zœmannus in refut. maledici illius scripti part. II. cap. 8. pag. 136. 3.) Videat vero Bellarminus, quomodo pontificem Romanum a præpostero erga Turcam favore excusare possit. Adrianus VI. in literis ad proceres imperii Romani Norinbergæ congregatos anno 1522. datis, quæ exstant tom. II. Jen. Germ. Lutherus fol. 167. inter cætera sic scribit: *Wenn wir gleich vermöchten die fremden Feinde (den Türken) zu bekriegen, so würde es doch eine vergebliche Arbeit und Unkost, auch unserer Seelen Heil unnütz seyn, dass man auswendig die Feinde überwinde, und daheim mit Ketzereyen, Schismaten und Zertrennung beschweret seyn.* (Intelligit autem doctrinam evangelicam, quam exstirpatam prius cupiebat, ut ex præcedentibus adparet.) Reginaldus Polus cardinalis pro unit. eccles. defens. libr. III. fol. 78. tale consilium profert: *Si Romanus imperator Constantinopoli imminens victoriam in manibus haberet, se tamen ipsum revocaturum atque auctorem ipsi futurum, ut Turcicum semen in Germania exortum prius evelleret.* Testantur historiæ, eo tempore, quo Italia instinctu Gregorii III. ab imperatore defecit, & divulsum fuit in partes Romanum imperium, Turcarum vires augeri, christianorum autem imperium labefactari cœpisse. Crantzius libr. I. metropol. cap. 14. refert, Innocentium IV. tanto zelo in Fridericum II. provectum, ut non modò christianos principes illi opponeret, sed etiam misso nuncio ad Soldanum Ægypti illum a familiaritate ejus nisus sit avertere. Eumdem Fridericum adversus Saracenos fortiter & feliciter pugnantem Gregorius IX. malitia domum retraxit, & præclarissimam victoriam ei ex manibus eripuit. *Vicarius Christi*, inquit Fridericus apud Matthæum Paris in Henr. III. p. 484. *Præter impedimenta, quæ nobis in Syria præparavit per nuncios & legatos, qui Soldanum literis suis, quas nos captis ipsarum latoribus in testimonium reservamus, ne nobis terram divino cultui & Hierosolymitani regni juribus debitam redderet, monuerunt, regnum nostrum Siciliæ violenter intravit &c.* Vnde idem imperator lib. II. epist XXX. scribit: *Reve-*

(*) Tom. III. Jen. Germ. fol. 359. b. in fine tractatus, cui titulus: *Ob Kriegsleute auch im seligen Stande seyn können?* ubi expressam eorum mentionem facit, qui objecerant ipsi verba, quibus bellum contra Turcam dissuasisse videbatur. Adde tom. VII. Germ. Jen. in adhortat. ad preces contra Turcam fol. 445. b. & seqq. GERHARDVS.

Revera imperialis felicitas papali semper impugnatur invidia. Idem Gregorius IX. cruce signatos, qui in auxilium imperatoris in Syriam profecturi erant, ne mare trajicerent, prohibuit & impedivit, teste Aventino in annal. Boibr. quin & christianos, qui se contra Turcam pugnaturos voverant, adversus imperatoris præsidia pugnare coëgit; Matth. Paris in Henr. III. p. 497. qua ratione & christiani inter se commissi & Saraceni omissi, & victoria, quæ in manibus christianorum erat, ejus perfidia fuit erepta. Alexander III. effigiem Friderici Barbarossæ Sultano Turcico misit, insligans ipsum, ut imperatorem, quem ex transmissa effigie agnoscere possit, captivum duci curaret. Balæus & Barnus in Alex. III. Vide librum Germanicum, cujus titulus: *Pabsts Treu* Hadriani IV. *und* Alexandri III. *gegen Kayser Friederich Barbarossa geübt*, quem b Lutherus præfatione ornavit tom. VIII. Jen. Germ. fol. 230. Schardius lib. I. de fide pontif. erga imperat. Rom. & Turcopapismum lib. I. cap. 12.

Anabaptistarum argumenta.

1.) *Ex dictis vet. test.*

a) *Num. XXXI. 50. Adferunt præfecti donaria ad expiandas animas.*

§. CCCLXXXIX. Argumenta *Anabaptistarum*, quibus contra bellum pugnant, facilem habent ex illis, quæ superius dicta sunt, explicationem. I.) Num. XXXI. 50. *Præfecti exercitus post victoriam a Midianitis reportatam adferunt donaria Domino ad expiandum animas suas. Ergo agnoscunt se in bello gerendo peccasse. Resp.* 1.) Deus ipse distertis verbis præceperat, ut contra Midianitas pugnarent v. 1. quomodo igitur obsequendo huic divino mandato peccarunt? 2.) Bellum illud vocatur *ultio Domini* v. 3. 3.) Deus miraculosam victoriam ex Midianitis ipsis concesserat. 4.) Ideo autem donariis *animas suas expiare* cupiunt, quia ex Mose intellexerant, *se peccasse vivificando*, hoc est, in vita conservando *fœminas* Midianiticas v. 15. ergo non solum sacrificia eucharistica propter victoriam impetratam, sed etiam sacrificia pro peccatis offerunt. b) *Deut. XXXII. 35. Mea est ultio.* II.) Deut. XXXII. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam eis, quod repetitur.* Eccles. XXVIII. 1. Rom. XII. 19. Hebr. X. 30. *jam vero bella sunt species vindictæ. Resp.* 1.) Non minus in vet. quam in nov. test. vindictam sibi Deus vindicat, jam vero concedunt anabaptistæ, in vet. test. bella fuisse licita. Ergo dictum illud non potest opponi bellis legitimis. 2.) Apostolus Mosaicum dictum Rom. XII. repetens, sequenti statim cap. XIII. 4. jus gladii magistratui intactum relinquit; jam vero ad jus gladii etiam pertinet belli gerendi potestas, quin imo diserte additur, quod *magistratus sit minister Dei vindex in iram illi, qui malum agit.* 3.) Distinguendum igitur inter vindictam *licitam & ordinatam*, quæ legibus est concessa, utpote si quis vim manifestam a se suisque repellat, si magistratus ratione officii hostes reipublicæ coërceat; & inter vindictam *illicitam & inordinatam*, quæ contra leges privata cupiditate exercetur, utpote si quis ab alio læsus non confugiat ad auxilium legum & magistratus, sed iræ flammis percitus pœnas ab adversario sumat. Illam vocant publicam, hanc vero privatam: ubi tamen notandum, quod *publicam vindictam quandoque etiam privatus exerceat*, quando scilicet in subita violentia & oppressione, ubi magistratus auxilium implorari & haberi nequit, latronem interficit; eo enim in casu leges & jura gladium privato tradunt, & vicissim quod *privatam vindictam quandoque etiam persona publica exerceat*, quando scilicet magistratus præter & contra leges innocentes opprimit, non Dei judicium exercendo, sed cupiditati suæ obsequendo. 4.) Invertimus igitur argumentum: Deus vindictam ab hostibus suis quandoque sumit *immediate*, quandoque vero *mediate* per magistratum, ad quam posteriorem exercendæ vindictæ speciem etiam pertinent legitima bella: 1. Sam. XV. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui, quæcunque fecit Amalek Israëli, quomodo restitit ei in via, cum adscenderet de Ægypto.* v. 3. *Nunc ergo vade*

&

c) 1. Reg. VI. 7. In ædificatione templi non auditur ferrum.

& percute Amalek, & anathema fac universa ejus. III.) 1. Reg. VI. 7. *de exædificatione templi Hierosolymitani sic habetur: Domus (Domini) cum ædificaretur, de lapidibus perfectis adlatis ædificata est, & malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur; ubi ἀλληγορικῶς significatum existimant, in ecclesia nov. test. armorum strepitum non iri auditum. Resp.* 1.) Ex allegoriis non ducuntur firma & apodictica argumenta, nisi ipsa scriptura monstret adplicationem. 2.) Hæc allegoria non solum præter, sed etiam contra scripturam excogitata est. 3.) Si id, quod Anabaptistæ volunt, ex hoc loco concludi posset, eadem facilitate ex eo inferre aliquis posset, nec malleos nec secures, quarum itidem textus meminit, christianis tractare licere, qua ratione multa opificia interciderent, quæ tamen ipsimet tractant. 4.) Templum principaliter significabat Christum, in quo *tota plenitudo deitatis habitat corporaliter*: Joh. II. 21. Col. II. 9. Potest igitur ad Christum commode hoc adplicari, quod templum corporis in utero b. virginis secreto formatum absque manu vel opera viri, quo respectu etiam comparatur lapidi sine manibus a monte abscisso: Dan. II. 45. 5.) Si ad ecclesiam, quæ est corpus Christi mysticum, adcommodatio fieri debeat, potest ea juxta fidei analogiam hoc modo institui, quod per malleum legis & securim calamitatis pii in hac vita præparentur, ut sint domus Dei & æternum ejus habitaculum, in vita vero æterna hæc omnia cessatura, & summam tranquillitatem futuram. In *Hierusalem* cœlesti, ubi Christus ædificat templum suum, *vox securis vel mallei non auditur*, hoc est, nec pœna nec tribulatio sentitur, quia *lapides*, hoc est, sancti, qui sunt materia hujus templi, in hoc mundo per tribulationes dolantur.

d) 1. Paral. XXVIII. 3. Non potes ædificare domum &c.

IV.) 1. Paral. XXVIII. 3. Deus ad Davidem dixit: *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis. Ergo in christianis Deus improbat bellorum usum. Resp.* 1.) Bella legitima, quæ David gessit, vocantur *bella Domini*, 1. Sam. XVIII. 17. XXV. 28. ac Deus dicitur *docuisse manus ejus ad prælium*: 2. Sam. XXII. 35. Psalm. XVIII. 35. Ergo bella Davidis Deus non improbavit; quidam igitur hæc verba non de sanguine hostium, in bellis justis, sed de Vriæ & militum, qui cum eo occisi sunt, injuste effuso sanguine accipienda esse statuunt. 2.) Quamvis David ipse non ædificarit templum, tamen omnia ad ædificationem templi necessaria paravit, & filio suo reliquit 1. Paral. XXIX. 2. 3.) Quod autem Salomoni potius, quam Davidi ædificationem templi Dominus committere voluit, ex eo est, quod is, qui templum exstruere debebat, futurus erat in eo opere typus Christi, Zach. VI. 12. qui est *princeps pacis*, Esa. IX. 6. ab omni severitate alienus, c. XLII. 2. quique non violente homines ad se trahit, sed populum spontaneum per evangelii prædicationem sibi colligit. 4.) Si ad ecclesiam ἀλληγορικῶς id adcommodare velimus, juxta fidei analogiam eo modo illud fieri potest, quod ecclesia non armis, sed prædicatione evangelii, quod est verbum pacis, Eph. VI. 15. sit propaganda.

e) Esa. II. 4. XI. 9. LXV. 25. Non occident in monte meo.

V.) Esa. II. 4. *Convertent gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces*; c. XI. 9. LXV. 25. *Non malefacient nec corrumpent in monte sancto meo. Ergo inter christianos nulla erunt bella. Resp.* 1.) Quidam secuti Hieronymum hoc accipiunt de statu illius duntaxat temporis, quo Christus natus est, quod a bellicis tumultibus liberum & penitus pacificum fuit; Luc. II. 1. illud igitur, quod subjungitur, *non levabit gens contra gentem gladium, & non discent ultra bellum*, sic explicant, ut non de perpetuitate, sed longo tempore dictum accipiatur. Sed ostendimus superius, describi in genere statum nov. test. 2.) Alii respondent, *non militiæ prohibitionem, sed pacis prædictionem in propheticis hisce dictis proponi. Non prohibet Esaias bellum*, (ait Bellarminus) *si sint hostes,*

qui nos infestent, sed prædicit futurum, ut nulli sint hostes. Atqui bellum sine hostibus geri nequit, quod si ergo vi propheticæ prædictionis in ecclesia nov. test. nulli futuri sunt hostes, utique etiam bellum in eo non erit gerendum. 3.) Sunt qui de *spirituali pace* per evangelii prædicationem inter Judæos & gentes constituenda vaticinia illa accipiunt, de qua apostolus Ephes. II. 14. 4.) Quidam etiam de politica pace interpretantur, sed addunt, eam inter ipsos christianos & gentes, quæ evangelium recepturæ erant, futuram prædici; nequaquam interim a propheta negari, quod christiani ab hostibus externis sint oppugnandi, quibus magistratus officii sui ratione tenetur resistere. 5.) Nobis commodissima & textui maxime congrua videtur interpretatio ea, quod modus propugnandæ ecclesiæ in nov. test. sine cæde & sanguinis profusione hic sit prædictus. Opponuntur enim hæc vaticinia praxi vet. test. in quo religio vi externa & corporali propagabatur, idololatricis gentibus interfectis & excisis, sed in nov. test. propheta ecclesiam sine cæde & sanguine longe lateque propagandam esse vaticinatur. Ex eo vero inferri nequit, si ob ecclesiæ propagationem non sunt bella in nov. test. gerenda; ergo nulla plane ratione licebit bellum gerere, quia a remotione unius causæ ad reliquarum omnium remotionem, & sic a negatione speciei ad negationem generis non valet collectio. VI.) Zach. IX. 10. *Messias evertet currus ex Ephraim & equum de Jerusalem, exterminabit arcum militarem. Ergo bella in nov. test. sunt prohibita.* *Resp.* 1.) Si τὸ ῥητὸν in dicto prophetico stricte urgere velimus, pugnabit illud cum prædictione Christi Matth. XXIV. 6. *Audituri estis prælia & rumores bellorum,* v. 7. *consurget gens adversus gentem, & regnum adversus regnum.* 2.) Quidam ergo distinguunt inter pacem spiritualem & politicam. In regno Christi prædicitur pax spiritualis & interna, non autem politica & externa. Matth. X. 34. *Non veni mittere pacem, sed gladium.* 3.) Simplicissime etiam ad hoc dictum propheticum respondetur, quod loquatur de propagatione regni Christi in nov. test. quod non sit carnalibus armis ac cruentis bellis, sed sola evangelii prædicatione ac virtute divina in omnes gentes propagandum; ex eo vero inferri nequit, quod magistratui propter alias justas, sufficientes & necessarias causas non sit gerendum bellum, quia evangelium non abolet politias, nec magistratum, nec magistratus officium, ad quod pertinet subditorum defensio & injustæ violentiæ propulsatio. Vide Balduinum in comm. Zach. cap. XIV. p. 594.

f) *Zach. IX. 10. Evertet currus ex Ephraim.*

§. CCCXC. Ex *nov. test.* hæc proferunt: I.) Matth. V. 22. *Qui fratri suo irascitur, reus erit judicio. Si non licet fratri irasci, multo minus licebit bello ipsum petere.* *Resp.* 1.) In quibusdam græcis exemplaribus additur particula εἰκῆ, *temere*, sine causa, in Syriaco: אִיכָא; ubi paraphrastes Græcum εἰκῆ suæ linguæ adcommodavit, quæ lectio probatur Chrysostomo homil. XVI. in Matth. & Laurentio Vallæ, sic ergo ira temeraria & injusta duntaxat intelligitur prohibita. 2.) Quamvis vero Hieronymus in comm. & Augustinus lib. I. retract. c. 19. negent, *in vetustioribus codicibus* particulam illam haberi; res ipsa tamen certa est, videlicet a Christo nequaquam omnem omnino iram prohiberi, cum zelus quidam bonus & sanctus a Spiritu sancto commendetur, sed eam duntaxat, quæ ex privatæ vindictæ cupiditate oritur, quæ ob leves offensiones a privatis concipitur, quæ modum excedit, quæ non Dei gloriam, sed privatæ vindictæ expletionem quærit. 3.) Ergo ut quædam ira, sic etiam bella quædam licita sunt, in quibus non temeritas ac levitas, sed æquitas & necessitas spectantur. II.) Matth. V. 39. *Ego dico vobis: Ne resistatis malo. Ergo prohibet christianos belligerari.* *Resp.* O[illegible]dim[illegible]s superius §. 280. hanc Christi concionem

2.) *Ex nov. test.*

a) *Matth. V. 22. Qui fratri irascitur &c.*

b) *Matth. V. 39. Ne resistatis malo.*

cionem non divinæ legi, quæ publicam magistratus vindictam præcipit, sed pharisaicis divinæ legis corruptelis esse oppositam, id quod etiam ex loco apostolico: Rom. XIII. 4. manifestum: *Magistratus est minister Dei vindex in iram illi, qui malum agit.* III.) Matth. XIII. 29. *Ne eradicetis zizania. Ergo contra hostes non sunt bella gerenda. Resp.* Monstratum fuit superius §. 322. per zizania hæreses & eorum auctores in parabola Christi intelligi, quos ob hæresin trucidandos, & sanguinis profusione ecclesiam propagandam esse negamus; sed ex eo nequit inferri, quod ob causas alias justas & necessarias bella geri non possint. IV.) Matth. XXII. 7. *Rex ipse mittit exercitum suum, qui perdat homicidas. Ergo magistratus non puniat, nec bella gerat, sed vindictam Deo relinquat. Resp.* 1.) Parabola proprie loquitur de contemtu verbi & vocationis ad nuptias cœlestes, quem gladio & bellis haudquaquam vindicandum esse concedimus. 2.) Ad exercitus divinitus immissos pertinent non tantum pœnæ a Deo immediate vel per angelos inflictæ, sed etiam eæ, quas per magistratum facinorosis irrogat; quia magistratus est minister Dei vindex in iram. 3.) Plerique interpretes illud accipiunt de exercitu imperatoris Romani, per quem una cum aliis gravissimis sceleribus contemtus verbi in Judæis fuit punitus, qua ratione bella contra subditos rebelles a magistratu gesta potius adprobarentur. V.) Matth. XXVI. 52. *Omnes, qui gladium acceperint, gladio perihunt. Ergo magistratus in bello gladium adversus hostes non debet stringere. Resp.* Magistratus non arripit gladium proprio ausu ac privata temeritate, sed divinitus sibi datum non frustra portat; Rom. XIII. 4. ideo stabilitur potius hoc Christi dicto jus gladii, & consequenter etiam jus belli magistratui datum, ut ostendimus superius §. 300. VI.) Joh. XIV. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*: Rom. XII. 18. *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete*: 1. Cor. VII. 15. *In pace vocavit nos Deus. Jam vero gladius est organon iræ. Ergo bella, utpote quæ paci sunt adversa, & sine gladio geri nequeunt, non sunt gerenda. Resp.* 1.) Christus de pace conscientiæ & spirituali loquitur, quæ magistratus officium nequaquam tollit vel impedit; statim enim additur: *non quomodo mundus dat, ego do vobis, non turbetur cor vestrum.* 2.) Etiam politicæ pacis studium christianis omnibus, adeoque ipsi etiam magistratui maximopere debet esse commendatum; sed cum ob improbitatem & injuriam hostium perpetua pace frui non possimus, ideo magistratus necessitate ita exigente gladio & bello pacem quærit & sectatur. 3.) Bellum legitimum & pax habent se tanquam medium & finis, ideo enim *bellum geritur, ut pax adquiratur;* Augustinus epist. CCV. 4.) Apostolus disserte addit: *si fieri potest, & quantum in vobis est, pacem cum omnibus hominibus habete*; innuit igitur, perpetuam & non interruptam pacem in hac vita vix esse sperandam, ideoque necessaria defensione & hostilis violentiæ repressione quandoque utendum. 5.) Gladius est organon iræ; ergo merito a magistratu adversus publicos pacis turbatores usurpatur, cum magistratus sit *minister Dei, vindex in iram illi, qui male agit.* 6.) Gladius non iræ solum, sed etiam justitiæ exercendæ organum est, cujus administratio cum magistratui divinitus commendata sit, ideo justa & necessaria bella gerere potest. VII.) Rom. XII. 5. *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra.* 1. Cor. XII. 12. *Corpus unum est, & multa habet membra; jam vero membra unius corporis non debent se mutuo destruere. Resp.* 1.) Unitas corporis mystici recte opponitur bellis intestinis, in quibus

c) *Matth. XIII. 29. Sinite crescere zizania.*

d) *Matth. XXII. 7. Rex ipse mittit exercitum, ut perdat homicidas.*

e) *Matth. XXVI. 52. Qui gladium acceperit, gladio peribit.*

f) *Joh. XIV. 27. Rom. XII. 18. 1. Cor. VII. 15. in pace vocavit nos Deus.*

g) *Rom. XII. 5. 1. Cor. XII. 12. Sumus membra unius corporis.*

christianus sanguis absque justa & necessaria causa funditur, de quibus recte usurpare possis illud propheticum Esa. IX. 20. *Vnusquisque carnem brachii sui vorat.* 2.) Ex eo vero inferri nequit, adversus hostes externos pacem publicam turbantes non posse arma a magistratu capi, quia hostes illi externi non sunt membra mystici illius corporis. 3.) Quando contra eos, qui Christi fidem verbis profitentur, utpote contra rebelles subditos, contra ecclesiæ persecutores & pacis publicæ turbatores legitima ac necessaria bella a magistratu geruntur, tunc illi hostium loco merito censentur; quia facto ipso testantur, se non esse Christi & veræ ecclesiæ membra, quidquid verbis & oris professione prætexunt. VIII.) 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia.* Eph. VI. 17. *Adsumite gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Ergo christiani non debent externa arma tractare. Resp.* 1.) In priore loco apostolus loquitur de armis illis, quibus apostoli mundum debellarunt, & sub Christi jugum redegerunt, ut constat ex verbis immediate subjectis; ea non fuisse corporalia facile concedimus, quia apostoli jussi erant non vi & manu externa, sed evangelii prædicatione mundum debellare. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. Ex eo vero inferri nequit, magistratui non competere jus gladii externi & armorum corporalium. Vt enim vocatio & officium apostolorum non tollit vocationem & officium magistratus, sic arma spiritualia, quibus apostoli pugnarunt, non tollunt arma corporalia, quibus magistratus contra hostes pugnat. 2.) In posteriore loco apostolus agit non de hostibus corporalibus ac visibilibus, sed de spiritualibus ac invisibilibus hostibus. *Non est nobis collactatio* (inquit) *adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus κοσμοκράτορας τῦ σκότες αἰῶνος τύτε, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπερανίοις* v. 12. contra illos facile largimur non esse expedienda arma corporalia, *non enim moventur ad lanceam arma aut loricam, reputabunt quasi paleas ferrum & quasi lignum putridum æs, pro quisquiliis habentur apud ipsos lapides fundæ, quasi stipulam æstimabunt missilia, & deridebunt hastam vibrantem* Job. XLI. 17. 18. 19. & 20. ex eo vero inferri nequit, adversus hostes corporales & visibiles non esse pugnandum etiam corporalibus armis. 3.) Quemadmodum enim non sequitur: colluctandum nobis est cum hostibus spiritualibus & invisibilibus, ergo non habemus hostes corporales ac visibiles; ita non sequitur: habemus arma spiritualia, ergo non opus est armis corporalibus. 4.) Adversus corporales etiam hostes præcipue spiritualia arma, fidem scilicet & preces, expedienda esse, concedimus, *plus enim valet unus justus orando, quam innumeri peccatores præliando;* sed ex eo inferri nequit, ergo unice & tantum spiritualibus armis adversus eos pugnandum, quia principale non tollit minus principale. Cum Israëlitæ adversus Amalekitas pugnaturi essent, Mose adscendit in montem ad orandum, Josua descendebat in vallem ad præliandum, qua ratione insignem ex hostibus referebant victoriam: Exod. XVII. 9. & 10. Augustinus epist. CCV. ad Bonif. *Alii pro vobis orando pugnant contra invisibiles inimicos, vos pro eis pugnando laboratis contra visibiles barbaros.* IX.)

h) 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia.* Eph. VI. 17. *Adsumite gladium Spiritus.*

Apoc. I. 16. *Christus Johanni adparens gladium ore gestare visus est. Ergo & nos, qui Christi sumus, non in manu, sed in ore gladium gestemus. Resp.* per gladium ex ore Christi procedentem significatur verbum Eph. VI. 17. Hebr. IV. 12. quod alias vocatur *Spiritus oris Christi:* Esa. XI. 4. 2. Thess. II. 8. hoc gladio Christus ad regni sui propagationem & satanæ ac falsorum doctorum debellationem utitur, eodem etiam omnes fideles doctores unice debent uti; interim propterea non tollitur officium magistratus, cui gladius corporalis ad defensionem bonorum & pœnam malorum divinitus est datus. Vt enim evangelium Christi non abolet politias; ita

i) *Apoc. I. 16. Christus in ore habet gladium.*

gladius

gladius verbi in regno Christi non abolet gladium corporalem & externum in politiis & regnis mundanis.

§. CCCXCI. Ex *rationibus.* I.) *Ecclesia primitiva persecutionem passa est, non bello aut armis contra persecutores sese defendit. Resp.* Ecclesia primitiva non habuit reges christianos, ideo recte fecit, quod gladium e manu eorum non rapuit, sed persecutiones patienter sustinuit; postquam vero reges Christo nomen dederunt, recte iidem faciunt, quod officium suum ad ecclesiæ defensionem convertunt, cum ex hostibus ecclesiæ facti sint ejusdem nutritii. II.) *Bella acceperunt nomen a beluis, auctore Festo grammat. Ergo bella gerere beluinum ac ferinum, non humanum, nedum christianum censendum. Resp.* 1.) De etymologia belli [illegible] grammmaticos. Quidam a *beluis* dictum putant, quidam κατ' ἀντίφρασιν quasi minime bellum. (*) Conanus V. comm. jur. civil. cap. 5. a Græco βέλος, quod telum significat, deducit. Sed Scaliger lib. III. poët. c. 90. p. 360. *a duello* rectius dictum censet, quia fuit initio duellum a duobus, nam licet multi sint milites, duæ tamen partes sunt, & inter duos tantum primum bellum fuit, ac quemadmodum dis, bis, duonum, donum, bonum, sic duellum bellum. 2.) Ab etymologia non ducuntur certa & immota argumenta, quia etymologiæ quandoque latiores, quandoque contractiores, quandoque per antiphrasin intelligendæ. 3.) De bellis injustis, temerariis & non necessariis recte dicitur, quod beluarum potius sint, quam hominum:

Candida pax homines, trux decet ira feras;

inquit poëta. *Temere in acie versari & manus cum hoste confligere, immane quiddam est & beluarum simile*, ait Cicero lib. offic. *Non feris inter se bella sunt, nec si forent, eadem homines decerent, placidum proximumque divino genus.* Seneca lib. II. controv. 1. p. 42. Ad quævis autem bella illud adplicari nequit, cum in vet. test. Deus ipse bella gerere præcepit, quod ne ipsi quidem adversarii negare possunt. III.) *Denique urgent pacis commoda, belli vero incommoda multiplicia.* Sed ex illis nihil aliud inferri potest, quam pacem esse studiosissime quærendam, & a bellis non necessariis abstinendum. Sciendum vero, quod sit duplex pax, & duplex quoque bellum. Est quædam pax honesta, liberalis, ingenua & tolerabilis, etiam alia pax turpis, ignominiosa, servilis & intolerabilis, in qua plus mali, quam in bello, unde propter eam arma merito capiuntur. Πόλεμος ἔνδοξος εἰρήνης αἰσχρᾶς αἱρετώτερος, inquit Demosthenes apud Stobæum serm. XLVIII. *bellum honestum turpi paci præferendum. Fugienda quidem sunt bella*, inquit Polybius lib. IV. *non ita tamen, ut pessima quæque, ne suscipiamus bella, perpeti velimus, ut fugam, servitutem, ac duriora, quam sit ipsum bellum.* Deinde est bellum quoddam justum, necessarium & honestum, quod a magistratu suscipi posse dicimus: est vero etiam aliud bellum injustum, temerarium & iniquum, quod nihil aliud est, quam latrocinium, a quo omnino abstinendum esse dicimus. (**) Augustinus lib. IV. de civ.

3.) *Ex rationibus.*
a) *A primitivæ ecclesiæ exemplo.*
b) *A belli nomine probroso.*
c) *A belli incommodo.*

(*) Bellum quasi *minime bellum.* Tholosanus lib. XI. de republ. cap. 1. num. 5. alii a *beluis*, quod *beluarum sit non hominum in mutuum sævire exitium.* Lipsius lib. V. cap. 3. n 3. alii a *bono* ratione finis, quia comparatum est ad constituendam pacem: cap. *Noli existimare* 23. q. 1. cap. *apud* 32. q. 2. alii a *Belo* denominant, qui primus gladium ferreum invenit; Vegetius de bell. cap. 8. alii a *βλος, telum*, quia bellum telis geritur. Bocerus de bello cap. 3. num. 2. GERHARDVS.

(**) Bellum sic opponitur paci, ut sit etiam ad eam medium. Bellum injustum opponitur paci bonæ, & ducit ad pacem malam, ideoque tale bellum est vitiosum: sed bellum justum opponitur paci malæ, & ducit ad pacem bonam, sicut vulnera chirurgi contraria sunt sanitati malæ & imperfectæ, quam habent ægroti, sed ad bonam & perfectam tanquam ad finem perducunt. GERHARDVS.

civ. Dei c. 6. *Inferre bella finitimis & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestas sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud, quam grande latrocinium nominandum est?*

Argumenta Photinianorum.
1.) *Ex sanctione divina Gen. IX. 6.*

§. CCCXCII. Photiniani tria potissimum argumenta contra bellum proferunt: I.) Ex *sanctione divina* Gen. IX. 6. *Qui sanguinem humanum fuderit, ejus sanguis fundetur.* Socinus in libro, *quod evangelici Photinianis se adjungere debeant* cap. 3. p. 24. *Antiquissimum ac severissimum Dei præceptum humani sanguinis non fundendi*, uti habetur Gen. IX. *nihil in tota Christi & apostolorum ejus doctrina mutatum invenitur, nec de eo quidquam remissum sub evangelio esse, deprehendi ullo* [illegible] *Ergo in bello non ita licet vim* [illegible] 1.) Si ex hac sanctione divina [illegible] *Resp.* ligi posset, bella esse simpliciter prohibita; consequens fuerit, eadem etiam in vet. test. omnino prohibita fuisse. Videt hoc Socinus, ideo addit, *diversam esse veteris ac novi testamenti conditionem; in eo enim multis modis Deum declarasse, se tunc temporis bellum non improbare, in hoc vero illud penitus sublatum esse.* Sed petitur hac in re principium, quia defensio est juris naturalis, jam vero evangelium non tollit jus naturæ. Quæ ad adstruendam diversitatis rationem Socinus adfert, suo loco ad examen revocabuntur. 2.) Tantum abest, ut ex dicto illo Mosaico, jus belli penitus sublatum esse probari possit, ut contrarium fortissime ex eodem deducatur. Statuit enim divina majestas, quod sanguis illius, qui sanguinem humanum effuderit, *per hominem*, hoc est, per magistratum iterum sit fundendus, quam esse genuinam hujus προσδιορισμῦ sententiam ostendimus superius. Traditur igitur magistratui *jus gladii*, quo adversus homicidas, latrones & alios pacis publicæ turbatores utatur Rom. XIII. 4. jam vero publici latrones injusto bello pacem & quietem reipublicæ turbantes sine bello coërceri quandoque non possunt. Ergo vi hujus divinæ sanctionis magistratus gladio illis resistere debet. 3.) Sic in parabola Matth. XXII. 7. dicitur, quod *rex misso exercitu suo perdiderit homicidas*, ut significetur, Deum persecutores & hostes ecclesiæ quandoque bellis coërcere, ac ad debitam pœnam pertrahere. Apoc. XIII. 10. *Qui in captivitatem ducit, in captivitatem vadit, qui in gladio occiderit, eum gladio occidi oportet.*

§. CCCXCIII. II.) Ex *caritatis regula*: Matth. V. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos &c.* Socinus d. l. *Apud evangelicos conceditur, ita vim vi repellere, ut etiam hominem interficere liceat, si aliter vis repelli nequeat, præsertim vero cum bellum injustum nobis infertur, cum tamen Christus* Matth. V. *iis, qui nos affligunt & persequuntur, jubeat.* Ostorodus in inflit. c. 27. p. 179. *Is poterit capere* [illegible] de bello simpliciter prohibito doctrinam) *cui verba illa Christi, in quibus causam reddit, cur etiam inimicos diligere debeamus, sapiunt, ut sitis filii patris vestri cælestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* *Resp.* 1.) Πρῶτον ψεῦδος Photinianæ detorsionis in eo consistit, quod statuunt, Christum suam doctrinam Matth. V. ipsi legi divinæ opposuisse, & perfectiora quædam mandata tradidisse. Sed ostendimus suo loco, non divinæ legi, sed pharisaicis divinæ legis corruptelis concionem illam Christi oppositam. 2.) Verba illa, *odio habebis inimicum*, quibus Christus opponit dilectionis mandatum: *Diligite inimicos vestros*, nuspiam exstant in lege Mosaica, sed potius contrarium. Exod. XXIII. 4. Levit. XIX. 17. Prov. XXV. 21. &c. Smalcius contra Frantz. disp. VII. p. 241. duo regerit: "*Primo* verba „illa potuisse exstare alicubi scripta in libro, „qui postea periit: *Deinde* jure hoc potuisse „Christum dicere, id fuisse in lege dictum, „quia sensus eorum verborum in lege erat; „siquidem tunc non tantum licebat, verum

2.) *Ex caritatis regula.*

„tiam

„etiam interdum necesse erat, hostem odisse „& de ipso interficiendo cogitare, quod quo „modo cum dilectione inimici conveniat, næ „is acutus erit theologus, qui docere possit, „& acuta ejusmodi dilectio est, quæ interfi„cere alium permittit & jubet.„ Atqui prius est vana conjectura non solum omni fundamento destituta, sed etiam scripto verbo contraria, posterius est inanis petitio principii, id enim quæritur: an bella legitima & supplicia facinorosorum cum mandato dilectionis pugnent, quod falsum esse ex sequentibus constare potest. 3.) Sic ergo procedimus: Mandatum de diligendo Deo & proximo in lege morali traditum præscribit summum & perfectissimum dilectionis gradum. Jubemur enim *Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus & ex tota mente nostra, ac proximum sicut nos ipsos*, Deut. VI. 5. Levit. XIX. 18. jam vero huic perfectioni nihil fuit additum, nec addi etiam potuit in nov. test. sed vetus illud dilectionis mandatum fuit repetitum & inculcatum; proinde si bella legitima & facinorosorum supplicia in vet. test. non pugnarunt cum mandato dilectionis, utique etiam in nov. test. cum eodem minime pugnant. Sed verum prius, ut constat ex eo, quia Deus præcepit utrumque, videlicet proximum diligere, & legitima bella gerere. Ergo etiam posterius. 4.) Deus est *ipsa caritas*, 1 Joh. IV. 8. nec quisquam potest majorem dilectionem habere, quam est ea, qua Deus homines complectitur. Jam vero Deus ipse præcepit bella legitima & necessaria, & gladium in manus quasi tradidit Josuæ & aliis ducibus ac regibus populi Israëlitici. Quod si ergo cum perfectissima dilectione Dei minime pugnat bellum præcipere, utique etiam cum mandato dilectionis nequaquam pugnabit, bellum gerere. 5.) Præceptum de dilectione inimicorum pertinet ad vitam christianorum privatam, & prohibet, ne vindictam privatam ab illis, qui ipsos lædunt & adfligunt, sumere velint, ut ex tota contextus serie perspicuum. Ergo non tollit publicum magistratus officium, quia magistratus non privatos, sed publicos ecclesiæ ac reipublicæ hostes oppugnat. Ita fere respondet Nazianzenus Juliano apostatæ in orat. I. adversus ipsum institutæ, qui itidem calumniabatur, hoc dilectionis præceptum tollere magistratus officium & evertere politias. Prohibet Christus, ne injurias nobis illatas privato ausu & arbitrio vindicemus; nusquam vero prohibet, ne magistratus auxilium & defensionem contra eos, qui nos adfligunt, imploremus, quinimo ipse provocavit ad officium magistratus, cum a maleferiato servulo contra jus & leges cæderetur Joh. XVIII. 13. 6.) Loquitur Christus de injuriis privatis, quas æquo animo tolerare debemus, ac si magistratus suo desit officio, novas potius injurias admittere parati simus, quam ut ad privatam vindictam prosilire velimus. Sed quando magistratus bella legitima gerit, tunc non privatas, sed publicas injurias subditis fidei suæ commissis illatas vindicat, nec privatam, sed publicam vindictam exercet, qua in re suo satisfacit officio, est enim *minister Dei, vindex in iram ei, qui male agit*. Rom. XIII. 4. 7.) Virtutes distinctæ non sunt sibi invicem opponendæ. Caritas & justitia sunt distinctæ virtutes. Ergo non sunt sibi invicem oppponendæ, sed potius subordinandæ. Jam vero bella legitima pertinent ad justitiam & judicium, cujus administratio magistratui est commissa. Ergo bella legitima non pugnant cum mandato caritatis. Certe magistratui diserte dicitur Exod. XXIII. 3. Deut. VII. 2. XIX. 13. *non misereberis &c.* Rom. XIII. 4. *vindex est ad iram.* Augustinus epist. CCV. ad Bonif. quibusdam similitudinibus declarare conatur, legitimam vindictam, quæ per magistratum exercetur, non pugnare cum mandato dilectionis. "Mo„lestus est medicus (inquit) furenti phrene„tico & pater indisciplinato filio, ille liga„do, hic cædendo, sed ambo diligendi. Si „autem illos negligant, & perire permittant, „ista potius falsa mansuetudo crudelitas est.„ Idem contra Faustum: "Phrenetici nolunt li„gari, & lethargici nolunt excitari, sed per„leverat diligentia caritatis phreneticum liga„re,

„re, lethargicum ſtimulare, ambos amare. „Ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur, „ambo moleſtari, quamdiu ægri ſunt, indi„gnantur, ſed ambo ſanati gratulantur.„ Lutherus hac ſimilitudine utitur:

— — — — *Immedicabile vulnus*
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

8.) Tantum abeſt, ut legitima bella pro defenſione ſubditorum a magiſtratu geſta cum mandato dilectionis pugnent, ut ab eodem potius requirantur. Defenſio enim ſubditorum profluit ex amore, quo magiſtratus ſubditos ſuos amplectitur & amplecti etiam debet; propter defenſionem bella ſuſcipiuntur ex vero zelo, in quo duo diverſi adfectus, juſtum odium erga hoſtem, & amor erga ſubditos conjunguntur. 9.) Nimirum ut eſt præpoſtera quædam dilectio, ita etiam ſanctum aliquod odium. Si parens ad liberorum peccata connivet, præpoſtera eſt dilectio; 1. Sam. III. 13. ſi Dei & humani generis hoſtes odio proſequimur, illud ſanctum eſt odium. Pſalm. CXXXIX. 21. *Nonne, qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam.* v. 22. *Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.* Ergo ex mandato dilectionis inferri nequit, quosvis homines, adeoque etiam ipſos Dei inimicos ita diligendos, ut eorum conatibus & proterviæ nulla ratione reſiſtatur.

3.) *Ex nov. teſt. natura.* §. CCCXCIV. III.) Ex *nov. teſt. natura.* Socinus d. l. "In „vet. teſt. licuit vim hoſtium „etiam cum ipſorum occiſione propulſare, „quia Deus multis modis declaraverat, ſe id „tunc temporis non improbare. Vt enim alia „omittam, inter cætera præmia iis propoſita, „qui legem ſervaſſent, hoc etiam erat, quod „ſi hoſtes adverſus ipſos inſurrexiſſent, cæſos „ante ſe illos corruere viſi ſint. Deut. XXVIII. „7. Nec mirum, populo enim ſuo Deus ſub „vet. teſt. vel promiſerat, vel jam adſignarat „& dederat terrenum regnum, terrenamque „poſſeſſionem, quam ab ipſis defendi ac con„ſervari volebat, quod fieri non potuiſſet, „ſi hoſtes in ſe irruentes armis propulſare, „& ad internecionem etiam interdum occi„dere non licuiſſet. At ſub teſt. nov. nul„lam ſuo populo terrenam poſſeſſionem Deus „dedit, imo terra poſthabita cœlum eos in„quirere juſſit, & propterea nulla ratione un„quam vel per Chriſtum, vel per ejus apoſto„los declaravit, ſe hoſtium invadentium pro„pulſationem cum ipſorum nece conjunctam „adprobare.„ Oſtorodus d. l. "Is capiet no„ſtram de bello doctrinam, qui intelligit, „Deum chriſtianis non bona terrena, ſicut „olim Iſraëlitis, adſignaſſe & diſtribuiſſe, ſed „contra potius mandaſſe, ut terreſtria con„temnant, cœleſtia vero quærant, Col. III. 2. „cum non habeant hic manentem civitatem. „Hebr. XIII. 14. Ex quo ſequitur, quod chri„ſtianus non magnopere debeat curare terre„ſtria, quin imo certo ſtatuat, ob defenſio„nem terrenorum non eſſe ullum alteri no„cumentum inferendum, multo minus vitam „eidem auferendam, quod tamen in bellis „fieri conſtat.„ *Reſp.* 1.) Πρῶτον ψεῦδος hujus argumenti in eo conſiſtit, quod Photiniani ſtatuunt, Deum in vet. teſt. nunquam revelaſſe vel promiſiſſe piis vitam æternam, ſed ejus revelationem ac promiſſionem tantum per Chriſtum in nov. teſt. manifeſtandam reſervaſſe. Catechiſmus Racov. pag. 232. Smalcius contra Frantz. diſp. VII. de bonis operib. p. 220. "Vitam æternam antè Chri„ſtum nemini fuiſſe promiſſam, in novo de„mum fœdere vitam æternam aperte revela„tam & promiſſam omnibus in Chriſtum cre„dentibus fuiſſe contendimus,„ qui Anabaptiſticus error alibi refellitur. 2.) Vt in veteri, ita quoque in novo teſtamento pietas habet præmia *non ſolum futuræ, ſed etiam præſentis vitæ*; 1. Tim. IV. 8. atqui ad promiſſiones hujus vitæ pertinet etiam defenſio a violentia & inſidiis hoſtium. Ergo ea non minus in novo, quam in veteri teſtamento piis eſt promiſſa. 3.) Falſum eſt, Deum in nov. teſt. nulla ratione unquam vel per Chriſtum, vel

per

per ejus apostolos declarasse, quod hostium invadentium propulsationem cum ipsorum nece conjunctam adprobet. Nam Christus & apostoli adprobarunt officium magistratus. Jam vero officium magistratus requirit, ut subditos suos defendat, ac violentiam hostilem ab illis repellat. Vtrumque superius fuit demonstratum. 4.) Sane in nov. test. non est peculiaris quædam terra ac regio christianis promissa, sicut terram Canaan in vet. test. Israëlitis promissam fuisse constat; ex eo vero inferri nequit, Deum improbare, si regionis defendendæ causa a magistratu bella gerantur, quia ut evangelium non abolet politias, ita quoque non tollit ea, quæ ad politiarum conservationem sunt necessaria. 5.) Quemadmodum obedientia erga legem moralem non solum ad Israëlitas in vet. sed etiam ad christianos in nov. test. pertinet: ita quoque promissiones obedientibus factæ, ac Deut. XXVIII. propositæ non minus ad christianos in nov. quam Israëlitas in vet. test. pertinent, salvo tamen discrimine generalium ac specialium promissionum. Quamvis enim specialis quædam promissio de certa regione piis in nov. test. data non sit, tamen generales acceperunt promissiones de pane quotidiano, de pace & tranquillitate, de commodis hujus vitæ, &c. quæ tamen cum exceptione crucis sunt intelligendæ. Sic apostolus Eph. VI. 3. repetens mandatum de honorandis parentibus, promissionem eidem adjectam repetit, sed omittit illud, quod erat vet. test. speciale, & in genere dicit: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* 6.) Dicta illa, *quod spretis terrenis cælestia quærere debeamus*, quodque *hic non habeamus civitatem manentem &c.* non minus ad pios in vet. quam in nov. test. spectant, unde regius propheta contemtum terrenorum ac desiderium cœlestium, quo flagrabat, sæpius explicat. Psal. IV. 8. *Dedisti lætitiam in corde meo, etiamsi illi frumento & musto abundent.* XXXIX. 13. *Advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.* LXXIII. 25. *Quid mihi est in cælo, & a te, quid volui super terram?* v. 26. *Deficiat sane caro mea & cor meum, petra cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Quod si ergo ex dictis illis evinci posset, pro defensione regionis terrestris non esse bella gerenda, utique etiam in vet. test. belligerari prohibitum fuisset. Perpetua in argumentis Photinianis est confusio vindictæ privatæ atque publicæ, virtutum privatis præscriptarum & officii magistratui commissi. (*)

§. CCCXCV. Cæterum dum bella a nobis probantur, nequaquam existimandum est, quævis bella adeoque etiam injusta, temeraria, non necessaria &c. a nobis probari; sed ea demum probamus, quæ sunt 1.) *necessaria*, 2.) *justa & legitima.* Quando necessitatem belligerandi salus reipublicæ exigit, tunc magistratus, cui salutis publicæ cura commissa est, arma merito expedit. *Semper justum bellum, quibus necessarium, semper pia arma, quibus nulla nisi in armis spes vitæ posita est, omnibus aliis rebus æquis & justis tentatis & oblatis.* Livius libr. IX. dec. 1. Sed quando alia ratione, aliisve mediis publicæ saluti & tranquillitati consuli potest, a bellis temerariis omnino abstinendum: 1.) *propter egregium pacis commodum.* Hebræi pacem vocant שָׁלוֹם, quo nomine etiam in genere *omnem felicitatem* intelligunt, ut innuatur pacis nomini omnem felicitatem esse inclusam. Iidem in expositione solennis benedictionis Num. VI. 23. notant, ideo postremo loco in illa

Quæ bella a nobis probantur.

(*) Erasmus profert ejusmodi rationem: *Arma ecclesiæ sunt gladius verbi Dei, scutum fidei, galea salutis, lorica justitiæ, jacula orationum* Eph. VI. 11. *Ergo christiani non debent servo & armis pugnare.* Resp. 1.) Est ignoratio elenchi. Apostolus describit bellum non contra homines, de quo hoc loco est quæstio, sed contra dæmones, ut patet ex v. 12. 2.) Fallacia oppositorum. Male opponuntur, tanquam contraria, arma spiritualia & corporalia, quæ sunt subordinata, & possunt esse conjuncta, ut exempla Mosis Exod. XVII, 10, & alia ostendunt. GERHARDVS.

illa benedictione mentionem fieri *pacis*, quia pax est summum & præcipuum bonum, inter omnia scilicet externa, sicut bellum est præcipuum & summum malum, unde proverbialiter dicunt: *Cum non est pax, nihil est.* Augustinus lib. XIX. de civit. Dei cap. 11. circa finem: *Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri*, in quem locum sic adnotat Lud. Vives ex Xenophonte in Hierone: εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις, πόλεμος μέγα κακόν. Marsilius Patav. in defens. pacis c. 1. *Omni regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & utilitas gentium custoditur. Hæc est enim bonarum artium decora mater, hæc mortalium genus reparabili successione multiplicans facultates protendit, mores excolit.* In pace floret religio & pietas, vigent honestæ leges, magistratui sua constat auctoritas salva, excoluntur literarum studia, administratur jus & justitia, matrimonio suus tribuitur honos, liberorum erga parentes obedientia, virginum castitas & pudicitia, juniorum erga senes reverentia conservatur, agriculturæ opera datur, rei pecuariæ vacatur, opificia strenue & commercia secure exercentur, augescunt villæ, ditescunt subditi, incrementum capiunt urbes. Sed in bello omnia adversa & contraria eveniunt. Pacem græci poëtæ vocant καροτρόφον, *juventutis altricem*. Heliodus in ἐργ. βοτρυοδώρον, *uvarum largitricem*. Aristophanes apud Stob. βαθύπλουτον, *opulentam*. Euripides in Cresc. ὀλβοδοτείραν, *divitiarum largitricem*. Euripides in Bacch. ταῖς Μούσαις προσφιλεςάτην, *Musis amicissimam*. Idem in suppl. μακάρων θεῶν καλλίςαν. Idem in Ctes. *Justitiæ sororem*, & Themidos χρύσεαν παῖδα. Pindarus olymp. 13. De pacis commodis pulcre Horatius lib. IV. carm. od. 5.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque faustitas,
Pacatum volitant per mare navitæ,
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris,
Mos & lex maculosum edomuit nefas,
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Sic & Mantuanus lib. VIII. sylv.

Gloria pace minor, minor est victoria pace,
Atque aliquid pejus pace triumphus habet;

quod desumsit ex Silio Italico:

——— *Pax optima rerum,*
Quas homini novisse datum, pax una triumphis
Innumeris potior.

Id ipsum æmulatus Lindebergius de pace sic canit:

Pax mortis vita est, pax est cynosura salutis,
Torrens lætitiæ, flos rerum, cura salutis,
Et fons virtutum & dulcis nutricula vitæ.

Apud Ciceronem plurima exstant pacis encomia: *Ad pacem* (inquit) *hortari non desino, quæ vel injusta utilior est, quam justissimum bellum.* libr. VII. ad Attic. *Quid tam populare, quam pax, qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri lætari videntur.* De leg. agr. *Dulce est nomen pacis, res vero ipsa tum jucunda, tum salutaris.* XIII. Philipp. vide plura ejusmodi apud Stobæum serm. LIII. Intuitu horum commodorum princeps pacem non solum quærat, sed etiam *sectetur*, 1. Pet. III. 11. quin etiam conditiones pacis duriores & iniquiores recipiat, modo non sint turpes & reipublicæ saluti adversæ. 2. Reg. XVIII. 15. *Ezechias* Assyriorum regi persolvit tributum ex argento in domo Domini & thesauris regis reperto collectum, ut in pace vitam agere liceat. 2.) *Propter multiplex bellorum incommodum.* Inter quadrigam pœnarum gravissimarum Spiritus sanctus recensct *gladium* sive bellum: Jer. XV. 3. Amos IV. 10. in bello *ideam omnis mali* conspici, recte dixit Thucydides, siquidem in bello violatur regio, turbatur respublica, frangitur vires, opes consumuntur, innocentia vexatur, altur improbitas, omnia rapinis, cædi-

cædibus, ſtupris commiſcentur, laxatis pudoris & verecundiæ vinculis morum ſanctitas & caſtimonia profligatur, impius miles ſacra profanis miſcet, multa hominum millia injuſte trucidantur, ſtupra virginibus & ingenuis mulieribus per vim inferuntur, liberi homines in ſervitutem abducuntur, omnia ferro, flamma, vaſtitate conſumuntur. Auguſtinus lib. I. de civ. Dei c. 5. adlegat orationem Julii Cæſaris, in qua belli effectus recenſentur apud Saluſtium de conjur. Catil. *in eo ſcilicet rapi virgines & pueros, divelli liberos a complexu parentum, matresfamiliarum pati, quæ victoribus collibuiſſent, fana ac domos ſpoliari, cædes & incendia fieri, poſtremo armis, cadaveribus, cruore ac luctu omnia compleri.* (*) Crœſus apud Herodotum lib. I. f. 18. ad Cyrum interrogantem, quis ipſi perſuaſerit, ut cum exercitu invaderet alienam terram, dicit: *Non eſt quispiam tam amens, ut bellum quam pacem præoptet, quia in pace filii patres, in bello patres filios ſepeliunt. Leges & judicia eſſe non poſſunt ſublata pace*, inquit Cicero Phil. VIII. *nec inter ſtrepitus armorum poteſt audiri vox legum.* Plutarchus in apopht. Rom. Vide plura ejusmodi belli incommoda & vituperia apud Eraſmum in chiliad. in prov. *Dulce bellum inexpertis.* 3.) Propter *ſumtuum in bello neceſſariorum cumulum.* Cum Archidamus in bello Peloponneſiaco a ſociis interrogaretur, quantum pecuniæ ad ſumtum belli tribuendum eſſet, reſpondiſſe dicitur, *determinato ſumtu non agi.*

Wer ſein Geld zehlen kann,
Derſelb fang keinen Krieg an.

Qui ſufficientibus pecuniis nondum inſtructi ad bellum proſiliunt, paucis exactis menſibus vel ad expilationes ſubditorum confugere, vel magno rerum ſuarum diſpendio pacem inire, & hoſtis arbitrio ſeſe ſubjicere coguntur. 4.) Propter *incertum belli exitum.* Bellum facile ſuſcipitur, ſed non ita facile deponitur, neque enim in ejusdem poteſtate eſt belli initium & finis; *incipere cuivis etiam ignavo licet, deponere non niſi, cum victores volunt.* Saluſtius in bell. Jugurth. *Vt pecunia noſtro arbitrio aleæ expoſita illico fit alieni juris, incertum cui ſit ceſſura: ita magiſtratus & tota ditio in dubiam ſortem eventus moto bello conjicitur.* Ludov. Vives in epiſt. ad Henricum VIII. Angliæ regem. *Vt ſylvam ſi quis accenderit, non amplius ad ipſius arbitrium incendium fertur, ſed ventis regitur, & obvia quæque perdit ac conſumit: ſic bellum excitatum audacia vel ignorantia non amplius in auctorum eſt manu, ſed a fortuna regitur.* Polybius libr. II. hiſt. Mars eſt ἀλλοπρόσαλλος ait Homerus; *Mars communis eſt, qui ſæpe ſpoliantem jam & exſultantem evertit, & perculit ab abjecto.* Cicero pro Milon. Teſtantur hiſtoriæ, bella utrique parti ſæpius fuiſſe exitioſa & pugnis draconum ac elephantorum ſimilia. *Draco*, referente Plinio lib. VIII. nat. hiſt. c. 11. *elephantem circumflexu ambit, & nexu nodi præſtringit; elephas moriens & corruens pondere complexum elidit.* Sic in bellis temerariis ſæpe contingit illud, quod eſt in Sibyllæ Erythrææ oraculo:

Κλαίει νικητὴς, ὁ δὲ νικήσας ἀπόλωλεν.

Quæ requirantur ad juſtum bellum.

§. CCCXCVI. Cæterum ad *juſta & legitima* bella tria requiri dicunt ſcholaſtici: 1.) *juriſdictionem indicentis*, 2.) *offenſionem patientis*, 3.) *intentionem finis convenientis.* Thomas II. 2. q. 40. art. 1. ad bellum juſtum requiritur *legitima auctoritas, cauſa juſta, intentio recta.* Aſtaxanus addit *moderamen debitum.* Raymundus addit duo, *rem & perſonam.* Sed Biel monet, perſonam includi *in auctoritate*, rem pro qua bellatur, *in cauſa*, lib. IV. ſent. diſt. 15. q. 4. Hoſtienſis omnia requiſita reducit ad ſolam *auctoritatem.* Panormitanus omnia conjungens dicit, quinque requiri ad juſtum bellum: 1.) *perſonam*

(*) Æneas Sylvius cap. 39. Europæ: *Vt multa bella ſedantur partium egeſtate, ita non prius inter hos de pace convenit, niſi poſtquam exuſtis agris, adtritis villis, abactis pecoribus & agricolis interfectis, commeatus ac pecuniæ contendentibus defuere.* GERHARDVS.

nam, ut scilicet sit laicus non clericus; 2.) *res*, scilicet recuperandas; 3.) *causam justam*; 4.) *animam*, sive intentionem; 5.) *auctoritatem*. Nos conditiones belli justi & legitimi ad tria principalia capita revocabimus, utpote 1.) ad *causam*, 2.) *modum* & 3.) *finem*; si hæc tria recte se habeant, bellum ipsum erit justum ac legitimum. *Causæ* nomine tum *efficiens*, tum *impulsiva* intelligitur, ejus igitur respectu in bello legitimo requiritur 1.) *magistratus* bellum indicentis ac suscipientis *auctoritas*, 2.) *causæ*, propter quam bellum suscipitur, *justitia & æquitas*. Magistratus auctoritatem in bello requiri, constat ex dictis scripturæ, quæ privatis gladii usum interdictum, magistratui vero divinitus traditum esse testantur: Matth. XXVI. 52. Rom. XIII. 4. 1. Pet. II. 14. &c. Augustinus lib. XXII. contra Faustum c. 74. & citatur cap. *Quid culpatur &c.* 23. q. 1. *Adversus violentiam resistentium sive Deo, sive aliquo legitimo imperio jubente gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere aliquid tale vel in talibus obedire juste ordo ipse constringit &c.* Cap. 75. *Ordo ille naturalis mortalium paci adcommodatus hoc posçit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principem sit, exsequendi autem jussa bellica ministerium milites debeant pati salutique communi.* Exstat rescriptum Valentini & Valentii imperatorum l. *un.* C. *Vt armorum usus &c. Nulli prorsus nobis insciis atque inconsultis quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur.* Cum enim privati jus suum apud magistratum persequi possint, ideo ad belli judicium decurrere non debent. Thomas II. 2. q. 40. art. 1. addit hanc rationem, quod convocare multitudinem non pertineat ad privatum, quinimo cum principis majestatem subditi violent, si armata manu sibi ipsis jus dicere velint, ideo lege Julia ab eo coërceantur. l. 3. *lex duodecim.* ff. ad l. *Juliam majestatis*: *Lege Julia majestatis tenetur, qui injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit;* quod congruit cum sententia Platonis, qui in suis legibus lib. XII. diserte præcipit: *Si quis privatim sine publico scito pacem bellum fecerit, capitale esto.* In ipsis castris, *qui rem a duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res bene gesserit.* l. *Desertorem* 3. §. 15. ff. *de re militari.* Quo pertinet, quod jus gerendi belli ad jura majestatis politici scriptores communiter referunt. (*)

a.) *Prima conditio justi belli, quoad causam:* a) *magistratus auctoritas.*

§. CCCXCVII. Porismata hujus requisiti sunt: 1.) Si inferior oppugnet superiorem, & subditi arma capiant adversus ordinarium magistratum, non esse bellum, sed *seditionem.* Lutherus in lib. *An milites sint in statu christiano?* constituit tres gradus personarum inter se dimicantium: a) *æqualis contra æqualem*, b) *superioris contra inferiorem*, c) *inferioris adversus superiorem.* Primum & secundum dicit esse concessum, tertium vero prohibitum, *qui enim potestati resistit, ordinationi divinæ resistit* Rom. XIII. 2. quod tamen cum certa explicatione esse accipiendum, idem docet, & inferius in tractatus hujus parte posteriore de subditis agente demonstrabitur. 2.) Si manus aliqua sceleratorum coëat sive in terra, sive in mari, & excursiones faciant, etiamsi duces suos habeant, non tamen esse

Porismata ex causa efficiente ducta.

(*) *Justum bellum nemo nisi princeps supremus & populus liber potest gerere*; P. Gregorius de republ. lib. IX. cap. 1. num. 14. *non enim cuilibet fas est aperire illas belli portas.* Lipsius V. polit. 4. 1.) Bellum pars est vindictæ publicæ, quæ ad potestatem a Deo ordinatam pertinet. Rom. XIII. 4. 1. Pet. II. 14. 2.) Potestas illa omne, quod ad perfectam reipublicæ administrationem exigitur, exsequi & potest & debet tam turbato, quam pacato statu. *Potest*, quia cura reipublicæ ipsi omnis commissa &c. *Debet*, quia ideo jus omne & potestatem suam omnem in eum contulerunt subditi, ut ipse quoque omnium curam & defensionem suscipiat. 3.) Jus belli indicendi, exercitum conscribendi, delectum militum faciendi, est ex regalibus majoribus, cum sæpissime ab exitu belli reipublicæ exitium aut salus dependeat. GERHARDVS.

esse bellum, sed *latrocinium.* l. *hostes* 24. ff. *de captiv. & postliminio. Hostes sunt, quibus bellum publice populus Romanus decrevit, vel ipsi populo Romano, cæteri latrunculi vel prædones adpellantur* l. 118. ff. *de V. Signif. Hostes hi sunt, qui nobis, aut quibus nos bellum publice decrevimus, cæteri latrones aut prædones sunt;* ubi Goddæus in comm. latius hanc differentiam declarat. Item si exsilio mulctatus denunciat publicas devastationes civitati, e qua ejectus est, non est bellum, sed *seditio.* 3.) *Si fœminæ* imperii fasces gerunt, ad illas quoque jus belli indicendi pertinere, quia pertinet hoc ad jus majestatis. Nec tamen ipsasmet in acie consistere, & in castris versari convenit, nisi sint viragines ac heroinæ, qualis *Debora*, Jud. IV. *Semiramis* apud Justinum lib. I. *Tomyris* apud Herodotum lib. I. *Amazones* apud Justinum lib. II. & aliæ apud Plutarchum in lib. *de clar. mulieribus.* Plato mulieribus ut exercitia alia, sic bella quoque cum viris voluit esse communia, sed id pudicitiæ earum parum convenit. 4.) Auctoritatem belli indicendi esse penes quosvis magistratus, superiorem non cognoscentes, sive illi sint monarchici, sive aristocratici, sive democratici. Ergo etiam penes liberas respublicas. 5.) Subditos illos, qui arma jubente magistratu suo capiunt, & militiæ opera exercent, legitimum bellum gerere. Cum enim magistratus portet gladium divinitus sibi datum, Rom. XIII. 4. ideo potest eum dare subditis, ut adversus hostes reipublicæ eodem utantur, perinde ut carnifici justitiæ ministro gladium tradit, quo facinorosum plectat. Cumque princeps solus non possit rempublicam administrare, & vindictam publicam erga pauncos exercere, multo minus potest solus bellum gerere, ideo subditos suos ad exercenda militiæ opera exigente reipublicæ salute ac necessitate recte vocat, atque ipsi salva & illæsa conscientia gladio adversus hostes utuntur. Exod. XXXII. 27. cum Moses Levitis gladium tradit, ut unusquisque proximum suum interficiat, v. 29. *illi manus suas Domino consecrasse dicuntur.* 1. Petr. II. 13. conjunguntur *rex & duces ab eo missi ad vindictam;* inde recte monet Augustinus, eum accipere gladium Matth. XXVI. 42. *qui nulla superiore ac legitima potestate jubente vel concedente feriendi causa gladium usurpat.* Contra vero justa bella dicuntur, quæ a summo magistratu, cui reipublicæ cura commissa est, aut ab eo, qui a summo magistratu jus ejusmodi habet, indicuntur. 6.) Mercenarios etiam milites, hoc est, eos, qui certo stipendio a magistratu ad militiam conducti sunt, juste gladium adversus hostes stringere, qua de re in quæstionibus plenius.

§. CCCXCVIII. Contra hoc primum belli legitimi requisitum proferuntur quædam exempla sanctorum vet. test. qui absque magistratus auctoritate gladio fuerunt usi: 1.) *Abrahamus* erat privatus, armavit tamen suos domesticos, ac Lothum liberavit Gen. XIV. 14. 2.) *Moses* cum adhuc privatus esset, occidit Ægyptium, qui injusta violentia opprimebat virum Hebræum, Exod. II. 12. ac propter illud factum laudatur Act. VII. 24. 3.) *Pinehas*, cum nondum esset in publico officio constitutus, scortatorem confodiebat, Num. XXV. 7. *& reputatum est illi ad justitiam*: Psalm. CVI. 31. 4.) *Samuel* regem Amalekitarum Agagum occidit, & quidem contra voluntatem legitimi magistratus, scilicet Saulis 1. Sam. XV. 33. 5.) *Helias* interfecit Baalitas, rege Achabo nec jubente nec concedente, imo potius resistente. 1. Reg. XVIII. 40. *Resp.* Primo in *genere* non exemplis, sed legibus esse judicandum; sunt enim in sanctis quidam heroici & extraordinarii motus, a peculiari Spiritus sancti instinctu & familiari adloquio profecti, qui non faciunt legem communem, nec introducunt generalem aliquam regulam, multo minus præcepta generalia evertunt. In *specie* dicimus: 1.) *Abrahamus* non fuit mere privatus, quod vel ex eo colligitur, quia fœdus percusserat cum Aner, Escol & Mambre, qui viri principes & potentes fuerunt, quorum au-

Argumenta contra primum illud belli requisitum.

ſpiciis etiam milites ſuos Abrahamus armavit. Nec eccleſiaſticum duntaxat & œconomicum, ſed etiam politicum munus Abrahamum geſſiſſe colligitur ex eo, quod armat ex familia ſua 318. vernaculos, qui ex ſervorum conjugio divina benedictione ipſi nati erant, quem cœtum absque politico quodam imperio regere non potuit. Adde, quod non arripiat arma πολιορκητικὰ, *ad vim inferendam*, ſed ἀμυντηρία, *ad injuriam propulſandam*, qualia absque expreſſo magiſtratus edicto quandoque ſuſcipi poſſe, paulo poſt demonſtrabitur. Denique ſi conſideremus, quam pavido fuerit Abrahamus animo apud Ægyptios rebus adhuc pacatis & tranquillis, non poterit aliter judicari, quam ipſum peculiari Dei mandato ac promiſſione excitatum fuiſſe, ut exigua manu quatuor potentes reges & quidem victores adgrederetur; absque enim verbo & promiſſione Dei tantum animi robur & virtus tam heroica in ipſo non fuiſſet accenſa. 2.) De *Moſe* reſpondet Auguſtinus lib. XXII. contra Fauſtum c. 70. *Animæ virtutis capaces & fertiles præmittunt ſæpe vitia, quibus indicent, cui virtuti potiſſimum ſint adcommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ. Sicut enim agricolæ, quam terram viderint licet inutiles tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam eſſe pronunciant, & quem montem oleaſtris ſylveſcere adſpexerunt, oleis eſſe utilem cultura accedente non dubitant: ſic ille animi motus in Moſe vitioſa quidem, ſed magna fertilitatis ſigna fundebat.* Sed cum Spiritus ſanctus Actor. VII. 25. hoc Moſis factum laudet, ideo vitiis adnumerari minime poteſt. Clemens Alexandr. libr. I. ſtromat. reſpondet, *myſtas ſentire, quod ſolo verbo Ægyptium interfecerit, quemadmodum Petrus Ananiam & Saphiram* Act. V. 5. ſed huic opinioni refragatur circumſpectio ante factum, & cadaveris poſt factum in arena occultatio. (*) Hilarius lib. V. de Trinit. dicit, *Moſen ex naturæ adfectu Hebræi injuriam morte Ægyptii ultum eſſe.* (**) Ambroſius lib. I. de offic. cap. 36. *ex caritatis debito id factum eſſe* ſtatuit. *Qui non repellit* (inquit) *a ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quam ille, qui facit, unde ſanctus Moſes hinc prius orſus eſt teſtamenta imbecillis fortitudinis. Nam cum vidiſſet Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, ita ut Ægyptium proſterneret, quia Salomon ait: Eripe eum, qui ducit ad mortem.* Sed ex Act. VII. 25. veriſſima & certiſſima reſponſio petitur, Moſen divinitus vocatum & excitatum fuiſſe, ut tyrocinium muneris ſui ac bellicæ fortitudinis ederet. *Exiſtimabat intelligere fratres ſuos, quod Deus per manum ſuam daret illis ſalutem*; fuit ergo non factum hominis privati ex temeritate carnis, vitioſa radice privatæ cupiditatis profectum, ſed vocati ad publicum munus divina auctoritate ex heroico impetu & peculiari Spiritus motu geſtum, quod conſiderans Auguſtinus quæſt. in Exod. q. 2. ſententiam corrigit: *Factum Moſis non videtur juſtificandum, quia nullam adhuc legitimam poteſtatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana ſocietate ordinatam, tamen ſicut Stephanus dicit: putabat intelligere fratres ſuos, quod per eum daret illis Deus ſalutem, ut per hoc teſtimonium videatur Moſes jam divinitus admonitus, quod ſcriptura eo loco tacet, hoc audere potuiſſe.* 3.) *Pineas* fuit filius ſummi pontificis, cui juxta legem ſucceſſio debebatur, ergo non fuit omnino privata perſona. Præfuiſſe autem pontifices etiam politicis judiciis, adparet ex Deut. XVII. 9. c. XIX. 17. nec deſtitutum fuiſſe Pineam ſpeciali quadam vocatione ad hoc factum heroicum, colligitur tum ex eventu, quia *reputatum eſt ipſi ad juſtitiam*, tum ex phraſi: *zelatus eſt zelum meum*, Num. XXV. 11. qua de magiſtratibus ſcriptura ſolet uti. Judi-

(*) *Percutere* inſuper non eſt verbo, ſed gladio aliisve armis ferire. GERHARDVS.

(**) Non erat tunc præſto judex, qui potuiſſet injuriam avertere, & injuria erat præſens, nec moram temporis patiebatur, unde Moſis erat ſubvenire. Cajetanus ait, *boſce præfectos operum fuiſſe publicos hoſtes & oppreſſores Hebræorum, ideoque licuiſſe Hebræis eos occidere, ſi poſſent, perinde ut in bello juſto licet hoſtem & invaſorem ubivis occidere.* GERHARDVS.

Judicia sunt Dei: Deut. I. 17. 2. Paral. XIX. 6. 4.) *Samuel* & 5.) *Elias* erant prophetæ peculiariter a Deo ad sublime illud munus vocati. Complectebatur autem prophetarum vocatio non solum ministerium docendi, sed etiam politica quædam officia, quæ singulari Dei mandato ipsis injungebantur. Sic ergo Samuel & Elias non ut privatæ personæ mactarunt sceleratos, sed ut personæ publicæ prophetico munere fungentes, & ex speciali Dei mandato partem illam politicæ administrationis adtingentes. De Samuele 1. Sam. VII. 15. expresse dicitur, *quod judicaverit populum Israëliticum cunctis diebus vitæ suæ.* Ergo judicis officium non plane deposuerat post Saulis in regem unctionem, cumque exstaret mandatum disertum de rege Amalekitarum interficiendo, quod Saul ex inobedientia fuerat transgressus, ideo Samuel ratione officii eidem se obsequentem præbuit. Elias in interficiendis prophetis Baal secutus est normam divini mandati Deut. XIII. 1. & accessisse consensum regis Achabi, ex descriptione illius historiæ haud obscure colligitur; Achabus enim convocavit baalitas, & interfectioni eorum coram adstitit, miraculi igitur magnitudine obstupefactus in hunc Eliæ zelum tacite consensit, & quomodo Elias universos prophetas Baal occidisset, Jezebeli uxori suæ adnunciavit 1. Reg. XIX. 1.

1.) *An subditi absque consensu magistratus arma capere possint.*

§. CCCXCIX. Quæritur hoc loco: I.) *An subditi in nullo plane casu citra auctoritatem magistratus contra extraneum arma capere possint? Resp.* Distinguendum est inter bellum *offensivum* & *defensivum.* Bellum offensivum, quo alios invadant, sine jussu magistratus subditi non possunt suscipere. Quod vero adtinet bellum defensivum, quo se suosque defendant in eo, distinguendum inter jussum magistratus *expressum* ac *tacitum.* Expressum magistratus mandatum in tali bello non semper requiritur, sed sufficit quandoque tacitum. Quemadmodum enim licet homini privato in subita violentia & oppressione adversus latronem gladio se defendere, si vel maxime non accedat expressum magistratus mandatum: ita quoque si urbs aliqua subito ab hoste obsideatur & oppugnetur, ac periculum sit in mora, si principis voluntas prius exploretur; licet omnino subditis adversus hostem sese pro virili defendere, quia magistratus & leges tacite jubent, ut in tali casu se & urbem subditi tueantur; unde Hostiensis dicit, *bella injusta esse, quæ suscipiuntur aut non mandante, aut tacite adprobante magistratu.* Biel lib. IV. sent. dist. 15. q. 4. distinguit *inter auctoritatem juris* ac *judicis*, atque alterutram earum ad bellum suscipiendum sufficere dicit; ubi enim jus humanum, vel naturale, vel divinum arma capere jubet, ibi juris auctoritas intervenit, si vel maxime principis voluntas expressa non accedat.

2.) *An episcopi bella gerere debeant?*

§. CCCC. II.) *An episcopi bella gerere debeant?* Pontificibus Romanis hoc in more positum esse historiæ testantur, unde Palingenius de illis canit:

Pontifices nunc bella juvant, sunt cætera nugæ.

Et Baptista Mantuanus lib. I. Sylvar.

Roma quid insanis toties? quid sanguine gaudes?
Quid geris imbelli spicula tanta manu?
Quo versana ruis studioque armaris inani,
Jam senio lassas debilitante manus?
Nec potes antiquos belli nescire tumultus,
Nec solitam rabiem longa senecta docet?
Si foris arma tacent, tu bella domestica tentas,
Nec feritas requiem ferre superba potest. &c.
Romanus pater est Mavors, lupa Martia nutrix,
Hæc hominum mores ingeniumque docent.

Hostiensis canonista cum multis probasset, episcopis non competere, ut bellum gerant, tandem

dem addit: *Dicant leges, ſtatuant canones, clament homines, quantum volunt, tamen noſtri clerici volunt eſſe militares. Et ſane usque a temporibus Adriani papæ, qui Carolum M. vocavit in Italiam, epiſcopi & cardinales nunquam ab armis deſiterunt. Julius II.* tot cruenta bella geſſit, ut intra ſeptennium ducenties millia hominum in illis fuerint interemta. Cauſæ recuſ. concil. Trid. p. 227. Idem cum exercitum adverſus hoſtem aliquando educeret, eumdemque in ponte Tiberino præcederet, claves in Tiberim projecit, additis hiſce verbis:

Cum Petri nihil efficiant ad prælia claves,
Auxilio Pauli forſitan enſis erit.

Arnoldus Ferron. in annal. Gall. (*) Sed opponimus præpoſteris illis bellatoribus: 1.) *Chriſti & apoſtolorum interdictum.* Cum Petrus in horto oliveti gladium ſtringeret, audit a Chriſto Matth. XXVI. 52. *Converte gladium in locum ſuum.* Paulus de apoſtolis & eccleſiæ miniſtris dicit 2. Cor. X. 4. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum deſtruentes omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.* 1. Tim. III. 3. *Epiſcopum non decet eſſe πλήκτην, percuſſorem.* 1. Tim. II. 3. *Labora ſicut bonus miles Chriſti.* v. 4. *Nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus.* In hiſce dictis non corporalia, ſed ſpiritualia duntaxat arma perſonis eccleſiaſticis traduntur, quibus evangelii doctrinam propagent, ſeque adverſus perſecutores iisdem tueantur. 2.) *Chriſti & apoſtolorum exemplum.* Illi enim corporalibus armis adverſus hoſtes ſuos nunquam leguntur uſi: *Si regnum meum eſſet de hoc mundo*, inquit Chriſtus Joh. XVIII. 36. *miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Hinc Bruſchius in manuſc. de epiſcop. Patavienſ. referente Wolfio tom. II. memorab. pag. 585. cum Alberti II. baronis de Winkel epiſcopi Patavienſ. bellum cum civitate Patavienſi geſtum deſcripſiſſet, ſubjungit: *Quis non in apoſtolicis viris (quales eſſe volunt) ſtudia hæc bellica reprehenderet, quos ſiti ſanguinis fervere omnino, præſertim in negotio religionis, non convenit, cum & Chriſtus ipſe epiſcoporum omnium, ſed verorum & piorum, non perſonatorum anteſignanus neminem unquam vel gladio, vel igne, occiderit, ſed ſimpliciter fateatur, ſe veniſſe, non ut perdat animas, ſed ut ſervet.* 3.) *Miniſtrorum eccleſiæ officium.* Illud enim cum a politico dominatu ſit Chriſti voce ſeparatum Luc. XXII. 25. ut in præcedenti tractatu latius oſtendimus; ideo poteſtatem gladii corporalis, ad quem jus belligerandi pertinet, nequaquam ſibi arrogare debent. Miniſtrorum eccleſiæ officium eſt verbum prædicare, ſacramenta adminiſtrare, pro populo orare, diſciplinam exercere &c. qui haſce muneris ſui partes diligenter obeunt, illis ad pugnandum nihil quidquam temporis erit reliſtum. Thomas II. 2. q. 40. art. 2. duas adfert rationes ex officio clericorum ductas, propter quas non conveniat eis arma tractare: *Primo quia bellica exercitia multum impediunt a contemplatione divinorum & laude Dei & oratione pro populo. Deinde clerici ordinantur ad miniſterium altaris, in quo repræſentatur paſſio Chriſti, ideo non competit eis occidere, ſed magis paratos eſſe ad ſanguinem fundendum.* Richardus, Angliæ rex, cum Philippum Bello-

(*) Hodie baculus Aaronis & gladius Nimrodi una manu regitur, & una parte clerici, altera parte belli duces ſalutari cupiunt, altero pugno codicem, altero enſem geſtant. Beruh. Zieritzius de princ. inter ipſor. dignit. prærogativ. *Iſt alſo darzu kommen, daſs man den Biſchoff und Prælaten auf dem Roſs gar nicht kennen, in der Kirchen aber ſelten finden kan.* Auct. anonym. part. III. c. 32. p. 432. Glofſa c. 23. q. 1. rubr. in bellic. armis: *Princeps eccleſiaſticus poteſt bellum indicere.* Biel. lib. IV. ſent. diſt. 15. q. 4. p. 315. *Legitima auctoritas judicis intervenit, quando bellum geritur de mandato eccleſiæ.* Item: *Sacerdotes vel his, quibus bellandi officia ſunt commiſſa, perſuadere, vel quibuslibet, ut ea accipiant, ſua auctoritate valent imperare, ut dicit Gratianus c. 23. q. 8. quicunque ex Clero §. His ita* Thomas II. 2. q. 40. art. 2. *Ad clericos pertinet diſponere & inducere alios ad bellandum bella juſta.* Confer Reinkingium de regim. ſecul. & eccleſ. lib. I. claſſ. 2. c. 34. 5. 7. Warem. ab Ehrenb. de regn. ſubfid. Gerhardus.

vacensem episcopum, qui contra exercitum ejus militem duxerat, acie captum detineret, eumque tanquam filium suum pontifex dimitti juberet, Romam misit arma, quæ episcopus in acie gestarat, addens hæc verba: *Vide, beatissime Pater, num hæc sit tunica filii tui;* unde papa ita erubuit, ut gratuitam ejus liberationem non postularet ulterius. Helinsh. in chron. Rich. I. 4.) *Infelicem talium bellorum exitum.* Jacob. Maierus in chron. Flandriæ: *Si sapuissent* (inquit) *Vngari anno 1444. legatum Eugenii pontificis ad gladium Spiritus remisissent, quod est verbum Dei; raro res bellica cedit feliciter, cum se illi intermiscent episcopi, qui non jubentur bellum gerere, sed prædicare verbum Dei, interfectus enim & ille Julianus legatus justo Dei judicio pœnas luisse videtur &c.* Lonicerus in hist. Turc. de eadem pugna sic scribit: *Certatum est in pugna Varnensi totos dies noctesque tres diu fortuna ancipiti, sed tanto animorum ardore utrinque tantoque impetu, ut cæsorum sanguine campi stagnarint. Victoria tandem ad christianos inclinare visa est ob primos Turcarum ordines disturbatos atque in fugam dilapsos, confuseque palantes & imperatorem ipsum trepidantem ac desperabundo similem, tunc antistites, quos in templis ac scholis, quam in acie conspici satius fuerat ac decentius, ex statione sua hostem fugientem inconsulto persecuti, aditu ad nudatos ordines patefacto, victoriam & vitam regis totiusque exercitus ac regni Pannonici, imo Europæ salutem hostibus prodiderunt.* (*) Idem comprobant expeditiones Leonis IX. Julii II. Philippi, episcopi Bellovacensis, archiepiscopi Eboracensis, qui totum exercitum perdidit, quem ex monachis, sacerdotibus & rusticis contra Scotos educebat &c. Vide Aventinum in exhort. de bell. contra Turc. suscip. 5.) *Patrum suffragium.* Inter canones apostolis adtributos can. XXVIII. sic decernitur: *Episcopum aut presbyterum persecutientem fideles delinquentes aut infideles inique agentes deject ab officio præcipimus.* (**) Ambrosius in orat. contra Auxent. & citatur cap. *Convenio &c.* 23. q. 8. *Adversus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma sunt, talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* cap. *Non licet &c.* dist. 86. ex concilio Agathensi: *Non licet episcopo manibus suis aliquem cædere, hoc enim alienum esse debet a sacerdote.* Bernhardus epist. CCXXI. *Pugnabimus pro matre* (ecclesia) *armis, quibus licet, non scutis & gladiis, sed precibus fletibusque ad Deum.* 6.) *Quorumdam ex ipsis pontificiis consensum.* Zacharias papa ad episcopos Gallicanos venationibus deditos & in militiam proficisci solitos scribit: *Sacerdoti, qui pastor est, arma non ferre, nedum quemquam bello occidere licet.* (***) Aventinus lib. III. annal. Bojor. *Quo pacto* (inquit) *victoriam sperare ausis eo bello, quo sacerdos simul &*

(*) *Gerboldus episcopus Moguntinensis XV. anno 772. in gratiam regum Galliæ propria sponte contra Saxones Thuringiam armata manu occupantes cum copiis suis profectus est immemor officii & ovilis sibi commissi; sed misere a Saxone quodam ense perfossus est, inde Saxones de eo tales conscripserunt rythmos:*

Bischoff Gerhold sechte mit dem Schwerd,
Durchs Schwerd kam er auch ab der Erd;
Drum ihm viel nützer gewesen wär,
Er wär gen Chor gangen, denn ins Heer.

Wolffius in lect. memorab. cent. XVI. p. 578. GERHARDVS.

(**) Chrysostomus hom. IV. de verb. Esai. *Sacerdotis est populum monere, non movere arma, quia gladium mentis non Martis sensus, Ipsius enim vita in contemplatione spiritus, non in actione militari consistit.* GERHARDVS.

(***) Cap. *Clericum* dist. 50. *duplex est genus militum, ecclesiæ & seculi.* cap. *Nimium.* cap. *Cum a Judæis.* cap. *Non pila.* cap. *Clerici.* cap. *Quicunque.* cap. *Reprehensibile.* cap. *Si in mortem.* cap. *Convenior.* cap. *Si quis.* cap. *Si vobis.* 23. q. 8. cap. *Clerici* X. *de vit. & honest. cleric.* cap. *In audientia.* X. *de sentent. excommun.* Thomas II. 2. q. 40. art. 2. *Exercitia bellica repugnant illis officiis, quibus episcopi & clerici deputantur.* Biel. lib. IV. sent. dist. 15. q. 4. *Sacerdotes propria manu arripere arma non debent.* P. Gregorius lib. XI. de republ. cap. 1. num. 14. *Inprimis injustum haberetur, si clerici, quibus militia secularis interdicta est, militare cogantur, & ita a cultu divi-*

& manus cruore ac cæde polluit, & sacrosanctam hostiam impuris manibus sceleratiore mente contrectat. Petr. Damianus in epist. ad Firm. episc. *Numquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum feritate est perpessus? num Ambrosius bellum Arianis se suamque ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? numquid in arma sanctorum quispiam traditur insurrexisse pontificum.* Erasmus in adnot. cap. III. Luc. acriter invehitur *in episcopos bellatores.* Buddæus lib. V. de asse. *An ejus temporis in mentem non venit, cum Petrus Paulusque & eorum sequaces ecclesiæ architecti non armorum splendentium fiducia infecti ad prælia grassabantur, sed innocentia freti cætera inermes ad castra Christi tuenda in tumultu flagrantissimæ caritatis classico ciebantur.* cap. *Reprehensibile &c.* 23. q. 8. scribit Nicolaus, *reprehensibile valde esse, quod episcopi sunt una in acie contra piratas, cum militum Christi sit Christo servire, militum vero seculi seculo.* Albertus, rex Polonorum, cum Cresiaus Curo Zuanzius, episcopus Vladislav. multa apud eum differeret de revocanda expeditione in Turcam, reprehendit ipsum, jubens *episcopum suarum partium meminisse, quæ in sacris faciendis consistant, non in gerendo bello.* Cramerus lib. XXI. hist. Polon. Quæ in contrarium adferuntur, facilem habent explicationem: 1.) *Moses cum Levitis idolorum cultores interemit*: Exod. XXXII. *Resp.* Moses fuit dux populi Israëlitici, qui potuit speciali præsertim Dei mandato intercedente, alios ad vindictam armare. 2.) Deut. XX. 2. Num. X. 9. *sacerdotes jubentur esse in castris & buccinis clangere. Resp.* Pari ratione adhuc hodie ecclesiarum ministri in castris versantur, non pugnandi gratia, nisi subitaneus quidam casus & extrema necessitas id flagitet; sed docendi, exhortandi, consolandi, sacramenta administrandi, orandi & ad preces excitandi causa. Carolomannus, Francorum dux, anno Christi 702. edictum edidit, in quo inter cætera sic statuit: *Nemo sacris initiatus, divinoque ministerio mancipatus arma omnino ferat, aut in bellum aut in hostem pergat. Unus aut ad summum duo episcopi delecti suffragio cum suis sacerdotibus principem comitentur ad bella, sacrificandi comprecandique causa &c.* Aventinus lib. II. annal. 3.) *Samuel occidit Agagum*, 1. Sam. XV. *Elias baalitas*, 1. Reg XVIII. *Resp.* Hæc facta sunt singularia & heroica. 4.) *Maccabæi pontificatum & bella gesserunt. Resp.* Quibusdam improbatur, quod regnum sibi vindicarint, cum ad tribum Juda illud pertinuerit. Sed illustres victoriæ divinam ipsorum vocationem videntur confirmare. Quidquid sit, extraordinaria illa & specialia vet. test. exempla non possunt generalem aliquam regulam, in novo præsertim testamento parere.

§. CCCCI. Quæritur III.) *An subditi teneantur obsequi magistratui ad quodvis bellum ipsos vocanti? Resp.* Vt subditorum conscientiis consulatur, distinguendum est inter bellum *notorie injustum*, & illud, *cujus causa est dubia vel occulta.* Si bellum notorie injustum magistratus moveat, subditi ab obedientia absolvuntur per regulam apostolicam Act. V. 29. *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Sic *cursores Saulem circumstantes* jussi a rege interficere sacerdotem Achimelechum, recte fecerunt, mandati executionem reculando. 1. Sam. XXII. 17. *Obstetrices Ægyptiacæ* recte fecerunt, obedientiam detrectantes mandato regio de abjiciendis Israëlitarum infantibus in profluentem. Exod. I. 17. Si vero causa belli adhuc sit dubia vel occulta, subditi observent regu-

3.) *An subditi teneantur obedire magistratui ad quodvis bellum illos vocanti?*

no abstrahantur. Bellarminus lib. III. de laicis cap. 14. §. *Objicit autem &c. Non christiano, sed monacho bellum interdictum* Scriptor anonymus in comm. super Apoc. conscripto, anno 1390. & a b. Luthero anno 1528. edito p. 13. *Cruciatam papæ a summo pontifice indictam contra Clementem an-*

tipapam, & ab aliis episcopis exsecutam damnat fides catholica, cum tam sit horrendum, sacerdotes vacare hominum occisioni, quam quod milites terreni usurpent dispensare Domini mensæ sacramenta. Similia passim in eo occurrunt. GER. HARDVS.

regulam vulgatam: *tene certum, relinque incertum*; jam vero certum est, quod subditi obedientiam debeant magistratui non præcipienti manifeste impia & injusta. Ergo non curiose & præpostere in belli causas & consilia magistratus inquirant, sed officii sui debitum expleant. Quod si vel maxime belli causa non sit omni ex parte sufficiens & legitima; subditi tamen a peccato excusantur, mandato sui magistratus arma capientes. Sic peccat judex, qui eum, cujus causa nondum satis cognita & examinata, morti adjudicat; sed carnifex sententiæ exsecutor non peccat, qui morti adjudicatum occidit, quia obsequitur superiori, cujus sententiam in dubio discutere non tenetur. Augustinus lib. XXII. contra Faustum cap. 75. *Ne illud quidem*, (bellum) *quod humana cupiditate geritur, non solum incorruptibili Deo, sed nec sanctis ejus obesse aliquid potest, quibus potius ad exercendam patientiam & ad humiliandam animam, ferendamque paternam disciplinam etiam prodesse invenitur &c. Cum ergo vir justus si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte possit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ratio serviendi.*

4.) *An milites mercenarii defendendi?*

§. CCCCII. Quæritur IV.) *An recte faciant, qui a potestatibus mercede ad militiam se conduci patiuntur?* (*) Mercenarios milites penitus videntur damnare Petrus Martyr class. IV. loc. comm. cap. 16. num. 13. (**) & Bucanus in instit. loc. 49. p. 788. 1.) Tales milites conjiciunt se in pedicas sine causa. Nam si bellum injustum sit, excusari non possunt, cum non obedientia, sed cupiditate ducantur. 2.) Nisi isti ita facile adcurrerent ad tympana, multa bella nec ita temere susciperentur, nec ita diu producerentur. 3.) Iidem efficiunt, ut patria sua male audiat, & laboret odio aliarum gentium, necesse enim est, ut læsus doleat. 4.) Prodigi sunt vitæ suæ, quam oportebat conservare. 5.) Relinquunt vocationes suas, uxores, liberos, familias, & curant aliena. 6.) Exhauriunt vires patriæ suæ, neque enim credibile est, eos omnes, qui exeunt, redire domum. 7.) Res est pessimi exempli, vendunt enim quodammodo vitam suam, non justitiæ, sed pecuniæ causa. At Abrahamus a rege Sodomorum, cui strenuam navaverat operam, nullam prædæ partem accipere voluit. 8.) Lædunt eos, a quibus nunquam læsi fuerant, quod summæ est injustitiæ; miseri illi, quorum agros & oppida vastant atque spoliant, clamare possent: Quid nos adficitis his injuriis? quid nos de vobis sumus meriti? 9.) Redeunt domum multo deteriores, quam cum exierint, quæcunque enim vident in aliis nationibus nequiter & libidinose geri, imitantur, & ubi redierint, inficiunt patriam suam. 10.) Pro pretio fundunt sanguinem innoxium, quos Deus exsecratione & exitio dignos pronunciat Deut. XXVII. 25. Hæc quidem omnia recte opponuntur temerariis illis militibus, qui absque ulla causarum & circumstantiarum prævia consideratione quævis castra spe prædæ & cupiditate lucri illecti sequuntur, quive vocationem suam, quam a Deo habent, turpiter deserunt, & relictis uxoribus, liberis, artificiis &c. ex impatientia laborum & ærumnarum in militiam abeunt; interim tamen mercenariam militiam penitus tollere aut damnare non possunt. Contrarium enim ostendunt: 1.) *Baptistæ testimonium*: Milites illi, quibus Johannes baptista respondet: *contenti estote stipendiis vestris* Luc. III. 14. mercenarios fuisse certum est; illos tamen a statu suo minime revocat, sed recte vivendi regulam illis præscribit.

(*) Danæus in orat. dom. explicat. p. 236. refert, Possidonium in vita Augustini scribere, *eum nunquam orasse pro illis, qui mercenariam & quæstuariam militiam extra patriam exercent.* Sed in Possidonio illud non occurrit. GERHARDVS.

(**) Item class. IV. loco. 17. num. 8. p. 1746. Erasmus Roterod. sub adag. *Bellum haudquaquam lacrymosum*, & *haud adnuncias Bellum.* GERHARDVS.

2.) *Apostoli dictum*: 1. Cor. IX. 7. *Quis unquam militat suis stipendiis?* ubi militiam mercenariam cum agricultura & gregum pastura conjungit, quæ non sunt res suo genere malæ & damnandæ. 3.) *Priscorum exemplum*: Jud. XI. 6. Galaaditæ ad Jephthan dicunt: *Veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* 2. Reg. III. 7. rex Israël Joram mittit ad regem Juda, Josaphatum, dicens: *Veni mecum ad prælium contra regem Moab, qui recessit a me*; qui respondit: *adscendam, sicut ego sum, sic tu es.* Et quod proprie huc congruit 2. Paral. XXV. 6. Amasias, rex Juda *mercede conduxit de Israël centum millia robustorum centum Kikar argenti*; hinc Augustinus serm. XIX. de verb. Dom. *Non militare, sed propter prædam militare est peccatum, ideo quadam providentia militibus stipendia constituta sunt, ne dum sumtus quæritur, prædo grassetur.* 4.) *Simile quoddam cognatum.* Sicut jurisconsultus ad ordinem judiciorum administrandum operam suam offerre & addicere potest magistratui, cui non est subjectus: ita quoque, quia oportet tales esse, qui sint ad prælia eruditi 1. Paral. V. 18. ac norint armis violentiam repellere & pacem tueri, quæ militandi peritia donum Dei est, ut superius ostendimus; ideo si causa belli sit justa & legitima, tales bona conscientia stipendio mereri possunt. Notandum tamen, quod mercenarii illi milites ante omnia adcurate considerare debeant, an bellum ex illa parte, cui operam suam addicere cogitant, sit justum; neque enim illos, perinde ut subditos, excusat in dubio obedientia, cum non sint ad militandum obligati, sicut subditi.

b.) *Causæ impulsivæ justitia & æquitas.*

§. CCCCIII. *Alterum* justi & legitimi belli requisitum est *causæ justitia & æquitas.* Quemadmodum enim magistratus non potest contra quosvis privatos arbitrio gladium stringere, sed accedere oportet grave quoddam delictum capitali supplicio dignum: sic magistratus non habet potestatem quovis tempore & contra quosvis bellum indicendi, sed accedere oportet justam, legitimam ac sufficientem causam. Quemadmodum peccat judex morti adjudicando eum, cujus causa nondum satis est discussa & examinata; sic peccat magistratus bellum indicens, quando causa adhuc dubia est & insufficiens, *nam bellum est actus justitiæ, & summus gradus vindictæ publicæ.* Quando ergo reges audiunt veram & justam militiam Deo probari, nequaquam existiment, libera ipsorum cupiditati, libidini ac iracundiæ frena laxari, ac liberrimam potestatem movendi bella ipsis concedi; sed solicite expendant prudentissimæ fœminæ Abigaëlis verba ad Davidem pronunciata: 1. Sam. XXV. 28. *Quia prælia Domini præliaris, malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ*, hoc est, caveas a bello injusto, & a sanguine innoxio effundendo. Celebratur San Paulini Comitis dictum a Dinotho: *Qui vincere cupit, Deum æquitate causæ & belli a se suscepti in suis partibus habere studeat.*

Frangit & adtollit vires in milite causa,
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor;

canit Propertius lib. IV. eleg. 6. *Injusta bella tristes & funestos habere solent exitus*; inquit Herodotus lib. I. Nunquam ergo bellum suscipiatur, *nisi justa ac necessaria subsit causa*, ut heroice dixit Octavianus Cæsar referente Cuspiniano in ipsius vita pag. 11.

Causæ justi belli tres.

§. CCCCIV. Possunt autem causæ justi & legitimi belli ad tria revocari capita. (*) Prima causa est *necessaria defensio*, 2.) *justa vindicatio*,

(*) Causæ belli spectant vel nos ipsos vel socios nostros. Ad priorem classem pertinent tres causæ: 1.) cum vim a nobis nostrisque arcemus, & sic patriam, libertatem, parentes armis tegimus. 2.) Cum res nobis vi ablatas repetimus. Non tamen nisi omni remedio deficiente ad arma deveniendum

l. *ait prætor §. si debitores ff. de his, qui in fraud. credit.* 3.) Cum violatos legatos vindicamus. Ad posteriorem: cum socios & nobis fœdere junctos ab extraneis oppressos liberamus, iisque auxilia nostra implorantibus opem ferimus. GERHARDVS.

catio, 3.) *legitima ablatorum recuperatio*, quas causas conjungere videtur Augustinus lib. XXII. contra Faustum cap. 75. hisce verbis: *Bellum quod gerendum, Deo auctore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est, vel ad terrendam, vel obterendam, vel ad subjugandam mortalium superbiam.* Duas posteriores causas exprimit quæst. 10. in Jos. & citatur cap. *Dominus &c.* caus. 23. quæst. 2. *Justa bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per injuriam ablatum.* Primam & tertiam causam complectitur Isidorus lib. XVIII. etymol. cap. 1. & citatur cap. *Justum &c.* caus. 23. quæst. 1. *Bellum recte suscipitur vel de rebus repetendis, vel de injuriis propulsandis.* Scholastici tres causas conjungunt: Thomas II. 2. q. 40. Biel. lib. IV. sent. dist. 15. q. 4. *Causa justi belli reducitur ad tres fontes, qui sunt defensio legum humanarum ac divinarum, patriæ ac hominum: correctio malefactorum & injuriantium ac correctio negligentium: recuperatio injuste ablatorum vel detentorum.* Qui dichotomia delectantur, possunt dicere: bellum aliud esse *defensivum*, cujus causa est *necessaria defensio*: aliud *offensivum*, cujus causa est vel *justa vindicta*, vel *rerum injuste ablatarum repetitio.* Potest etiam hoc modo procedi: *causa belli justi est* vel *defensoria*, vel *vindicatoria.* Vindicatoria vel ob *injuriam* Deo & reipublicæ illatam, vel propter *recuperationem* bonorum ablatorum.

1.) *Necessaria defensio.*

§. CCCCV. 1.) *Defensionis* causa justum & legitimum a magistratu suscipi bellum, jure divino, naturali ac humano probatur, *quia vim vi defendere omnes leges omniaque jura permittunt.* l. 45. §. 4. ad leg. Aquil. *Hoc ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possunt, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* Cicero pro Milon. Justum ergo & necessarium est bellum, quo religio, patria, parentes, uxores, liberi &c. contra vim illatam defenduntur. Hinc rectè Palingenius in zodiaco vitæ in capric. p. 262.

Ergo decet sapientem uti ratione, & amare
Inprimis pacem: pacem complectier omni
Conatu ac studio; nisi forte aliquando coactus
Pugnet pro patria pro seque suisque tuendis.
Tunc venia est dignus, tunc sit fine crimine bellum.
Nam fas jusque sinunt vim vi propellere, fraudem
Fraude, velut meritum merito pensare decorum est.

Cum enim magistratui subditorum defensio ac tutela divinitus sit commissa, ideo gladium itidem divinitus sibi traditum pro subditorum defensione potest jure ac legitime in bello expedire. Cæterum duplex est defensio, cujus causa bella geruntur: propria & aliena. *Propria*, si a subditis, *aliena*, si a confœderatis & oppressis vis illata repellitur. Sunt enim diversa hominum genera, pro quorum defensione magistratus juste capit arma. 1.) *Subditi*, cujus defensionis exemplum habetur 1. Sam. XI. 11. ubi *Saul* oppidum Israëliticum Jabes Gilead ab obsidione Ammonitarum liberat: 2. Paral. XX. 1. ubi contra *Josaphatum*, regem Juda, congregantur filii Moab, filii Ammon & habitatores montis Seir sive Edomitæ, contra quos in bellum progreditur Josaphatus præmissis prius seriis ad Deum precibus, in quibus de justitia causæ suæ agit v. 10. *Ecce filii Ammon & Moab & mons Seir, per quos non concessisti Israël, ut transirent, quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, & non interfecerunt eos*; v. 11. *e contrario agunt & nituntur nos ejicere de possessione, quam tradidisti nobis.* v. 12. *Deus noster, ergo non judicabis eos?* Sic etiam 1. Macc. III 20. cum Antiochi exercitus Israëlitas oppugnaret, orat Judas Maccabæus: *Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, ut disperdant nos & uxores nostras, & filios nostros, & ut spolient nos.* v. 21. *Nos*

vero pugnabimus pro animabus noſtris. De hoc caſu defenſionis loquitur etiam Chriſtus Joh. XVIII. 36. *Si regnum meum eſſet de hoc mundo, miniſtri mei utique certarent*, hoc eſt, armarem ſubditos ad mei regni defenſionem. 2.) *Cognati*: Gen. XIV. 12. cum quatuor reges Lothum filium fratris Abrahæ ejusque ſubſtantiam in bello abſtuliſſent, *Abrahamus* Lothum, cognatum ſuum proximum, defenſurus trecentos & octodecim vernaculos domus ſuæ armat. 3.) *Confœderati:* 1. Macc. VIII. 31. Romani ad Demetrium regem ſcribunt: *Quare gravaſti jugum tuum ſuper amicos noſtros & ſocios Judæos?* v. 32. *Si iterum adierint nos adverſum te, faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum mari terraque.* Ariſtoteles in rhet. ad Alex cap. 37. *Oportet injuriam paſſos pro ſe ipſis arma capere, aut pro cognatis & beneficis, itemque ſociis injuria adfectis auxiliari.* 4.) *Dedititii vel clientes*, qui in fidem & clientelam ſeſe dediderunt: Joſ. X. 6. Gabaonitæ, qui Iſraëlitis ſeſe ſubjugarant, mittunt ad *Joſuam* dicentes: *Ne retrahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuorum, adſcende cito, & libera nos, ferque præſidium, convenerunt enim adverſum nos omnes reges Amorræorum &c.* quorum precibus Joſua obſequitur, & inſignem, imo miraculoſam victoriam ab Amorræis reportat.

a.) *An in quovis defenſionis caſu arma expedienda?*

§. CCCCVI. Quæritur hoc loco: 1.) *An in quovis defenſionis caſu arma expedienda? Reſp.* Minime vero, ſed adcurate omnes circumſtantiæ ſunt examinandæ tum in propria tum aliena defenſione. In propria: 1.) ne *adverſus magiſtratum* culpa noſtra offenſum defenſionem paremus, ſed culpam potius humili ſubjectione deprecemur. Quod ſi vel maxime extra culpam ſimus, tamen contra ſuperiorem magiſtratum ad arma nequaquam temere proſiliamus, ſed modis omnibus animum ipſius exulceratum placare ſtudeamus. 2.) Ne adverſus eos, *qui juſtis injuriis laceſſiti* bellum nobis inferunt, ad arma properemus, ſed primo omnium ſatisfactionem offeramus, & controverſum negotium delectis quibusdam arbitris componendum nos commiſſuros præmittamus; quod ſi oblatam conditionem hoſtis acceptare noluerit, tum demum defenſioni bellicæ locus eſt relictus, ita tamen, ut ad ſatisfactionem animo ſemper ſimus parato. 3.) Ne adverſus eos, *qui potentia ac viribus nobis longe ſuperiores ſunt*, temeraria arma capiamus, nec ἀντιτυπεῖν τοῖς ἀνέμοισι conemur, ſed quavis potius conditiones pacis, etiam duriores & rebus noſtris adverſas, acceptemus, quam de ſumma rei cum certiſſimo exitii periculo decertemus. Luc. XIV. 31. *Quis rex iturus committere bellum adverſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere illi, qui cum viginti millibus ad ſe venit?* v. 32. *Alioquin adhuc illo longe agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt.* In aliena defenſione cavendum, ne dum aliis inſervire ſtudemus, ipſimet conſumamur. Quamvis enim recte dictum a Tullio lib. I. offic. *eum, qui non defendit, nec objiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſſe in vitio, quam ſi parentes aut patriam aut ſocios deſerat*; quamvis etiam pium & humanum ſit, laborantibus & injuſte oppreſſis opem ferre, tamen virium noſtrarum ſemper habenda eſt ratio, ne pennas ultra nidum extendamus, & bellis non neceſſariis nos ipſos implicemus.

b.) *An quibusvis fidem noſtram implorantibus ſuppetiæ ſint ferendæ?*

§. CCCCVII. Ex quo facile intelligitur, quid reſpondendum ad quæſtionem II.) quando porro quæritur: *An oppreſſis, qui nec cognationis, nec confœderationis jure nos adtingunt, nec in noſtram poteſtatem ſeſe dedunt, ſed humanitatis jure noſtram fidem noſtrumque implorant auxilium, ſuppetiæ ſint ferendæ?* Etenim ſi injuſte illos oppreſſos eſſe conſtet, ſi hoſtis victoria & felicitas nobis maximo futura ſit incommodo aut periculo, ſi vires nobis ſuppetant, ſi fœdera aut cauſæ aliæ minime impediant, auxilium ipſis ferendum eſſe nemo ambigit; ſed ſi vel omnia vel aliqua modo ſeſe habeant

habeant contrario, aliena pericula non faciamus noſtra. Præſtat habere dubium amicum, quam hoſtem certum, ſi is ſit potentior.

c.) *An ob religionis defenſionem arma capienda?*

§. CCCCVIII. Quæritur III.) *An ob religionis defenſionem arma capienda? Reſp.* Quandocunque & quacunque de cauſa ſubditi injuſte ab hoſte opprimuntur, ſive religionis, ſive libertatis, ſive alius quidam prætextus quæratur, magiſtratus eorum defenſionem ſuſcipere debet. In tali enim bello non hoc præcipue quæritur, an religio in ſe ac per ſe armis & vi corporali defendenda; ſed an ſubditi ob religionis profeſſionem injuſte oppreſſi, a magiſtratu contra vim illatam ſint defendendi, id quod non licitum ſolum, ſed etiam neceſſarium eſſe dicimus. 1. Macc. III. 20. cum Antiochus Iſraëlitas propter religionem oppugnaret, dicit Judas Maccabæus: *Ipſi veniunt, ut diſperdant nos & uxores noſtras & filios noſtros.* v. 21. *Nos vero pugnabimus pro animabus noſtris & pro legibus noſtris.* Auguſtinus epiſt. L. ad Bonifac. & citatur cap. *Maximianus &c.* cauſ. 23. q. 3. "Maximianus, epiſcopus Vagienſis, „auxilium petiit ab imperatore chriſtiano (con„tra hoſtes eccleſiæ) non tam ſui ulciſcendi „cauſa, quam tuendæ eccleſiæ ſibi creditæ. „Quod ſi prætermiſiſſet, non ejus fuiſſet lau„danda patientia, ſed negligentia merito cul„panda. Neque enim & apoſtolus Paulus vi„tæ ſuæ tranſitoriæ conſulebat, ſed eccleſiæ „Dei, quando contra illos, qui eum occide„re conſpiraverunt, conſilium eorum tribuno, „ut proderetur, effecit, unde factum eſt, ut „eum ad locum, quo fuerat producendus, „deduceret miles armatus, ne illorum patere„tur inſidias.„ Idem epiſt. CLXIV. ad Emeritum; & habetur cap. *Noſtri &c.* cauſ. & quæſt. dict. "Noſtri (catholici) adverſus pri„vatas & illicitas veſtrorum (Donatiſtarum) „violentias, quas & vos ibi, qui talia non „facitis, doletis & gemitis, a poteſtatibus or„dinaris tuitionem petunt, non qua vos per„ſequantur, ſed qua ſe defendunt.„ Proinde ſi patriam, ſi libertatem, ſi fortunas adverſus injuſtam hoſtium vim defendere licet; quidni etiam religionem defendere liceat, unde *pro aris & focis pugnare* veteri proverbio dicuntur, qui ſe ſuosque juſto bello defendunt.

2.) *Legitima vindicatio.*

§. CCCCIX. II.) *Vindictæ publicæ* cauſa legitimum a magiſtratu bellum geri, conſtat ex dicto apoſtolico Rom. XIII. 4. *Non fruſtra portat gladium, ſed miniſter Dei eſt, vindex in iram illi, qui male agit.* Colliguntur autem ex vet. teſt. duo genera delictorum, propter quæ coërcenda ac punienda magiſtratus bellum ſuſcepit. Vnum eſt eccleſiaſticum, alterum vero politicum. *Eccleſiaſticum* eſt gentis vel civitatis cujusdam idololatria. Deut. XIII. 12. *Si audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, aliquos dicentes:* v. 13. *Egreſſi ſunt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis ſuæ, ac dixerunt: Eamus & ſerviamus diis alienis, quos ignoratis.* v. 14. *Quære ſolicite, & diligenter rei veritate perſpecta, ſi inveneris certum eſſe, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam in medio tui;* v. 15. *ſtatim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, ac delebis eam &c.* Idem vero judicium eſſe debet de hac lege, quale de præcedente in eodem capite, quod pſeudopropheta ad idololatriam populum illiciens ſit interficiendus, de qua egimus ſuperius. *Politica* delicta, propter quæ bella geſta ſunt, inveniuntur complura: 1.) *legatorum violatorum:* cum enim legati jure gentium ſint inviolabiles, ideo legatorum violatione jus gentium violatur, & ſumma magiſtratui leganti ignominia irrogatur, quam armis vindicare jure poteſt. 2. Sam. X. 4. 1. Paral. XIX. 4. Hanon, rex Ammonitarum, Davidis legatos inſigni contumelia adficit, quam juſta ſeveritate David vindicat. 2.) *Pactorum violatio:* cum enim fœdera & pacta ſint juris gentium, ideo eorum violatione jus gentium violari jure cenſetur. 2. Reg. III. 6. Meſa, rex Moabitarum, diſce-

discedit a fœdere, quod inierat cum regibus Israëliticis, ideo *Joramus*, rex Israël, mittit legatos ad Josaphatum, regem Juda, dicens: *Rex Moab recessit a me, veni mecum in prælium.* 3.) *Cum hostibus conjunctio*: 2. Sam. VIII. 5. *Venit Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer, regi Soba,* (Davidis hosti) *& percussit David de Syria viginti duo millia virorum, & facta est Syria David.* Qui enim hostibus in bello sese conjungit, eodem cum hostibus loco merito habetur. 4) *Publicorum flagitiorum neglecta vindicatio*: cum enim magistratus divinitus constitutus sit, ut externam disciplinam tueatur, & notoria flagitia honestatem & tranquillitatem publicam turbantia puniat, ideo si in hoc officio negligens deprehenditur, divino judicio bellis quandoque involvitur. Jud. XX. 13. mittunt *Israëlitæ* legatos ad tribum Benjamin, & sceleratos homines ad supplicium poscunt, quod cum facere recusarent, bello eos invadunt. Bella, quibus Israëlitæ speciali mandato divino intercedente Cananæos adgressi sunt, fuerunt pœnæ scelerum & flagitiorum, quibus impia & idololatrica gens fuit immersa. Levit. XVIII. 25. *Visitabo scelera illius gentis, quibus terra est polluta, ut evomat habitatores suos.*

Quæstiones de vindicta: a.) *An ob quamvis vindictam bella movenda?*

§. CCCCX. Quæritur hoc loco: 1.) *An ob quamvis vindictam bella statim movenda? Resp.* Minime vero, sed 1.) si offensæ sunt leviores, quæ absque publicæ salutis & auctoritatis detrimento condonari possunt, tunc præstat pœnam remittere. 2.) Si offensio a persona una vel altera proficiscatur, propter illam toti regioni vel civitati non statim inferendum bellum, ne innocentes alienam culpam luere cogantur. 3.) Si is, qui læsit, viribus est superior, tum præstat injuriam dissimulare, quam periculo se & sua exponere. 4.) Si is, qui læsit, ad satisfactionem vel legitimam causæ cognitionem sese offerat; *in eum enim, qui jure agere & satisfacere paratus est, nefas est bellum sumere tanquam in injurium*, ait Thucydides lib. I. 5.) Si vel maxime hostis non offerat satisfactionem; tamen cum bellum sit medium vindictæ grave & periculosum, ideo prius pacifice ab hostibus debita satisfactio petenda est, antequam bellum inferatur.

b.) *An hoste satisfactionem offerente, altera pars teneatur a bello cessare?*

§. CCCCXI. II.) *An si hostis nolit initio satisfacere, postea tamen bello jam inchoato pacem petat, & satisfactionem offerat, alter teneatur a bello cessare?* Cajetanus statuit, quod *ante bellum inchoatum* teneatur quidem satisfactionem acceptare, *post inchoatum* bellum vero nequaquam, sibi enim imputet, quod media & tempus pacis neglexerit. Sed rectius distinguitur inter *strictum justitiæ rigorem* & inter *blandum christianæ caritatis fervorem.* Si strictum justitiæ rigorem expendere velimus, princeps, qui justam belli causam habet, non tenetur satisfactionem, præsertim post inchoatum bellum, acceptare, quia gerit personam judicis, & vindex scelerum divinitus constitutus est; sed quia bellum est supplicium gravissimum, quo non solum is punitur, qui peccavit, sed etiam multi innocentes simul e medio tolluntur, ideo caritas christiana exigit, ut a bello cessetur, quando debita satisfactio offertur, nisi bono communi magis expediat, eum, contra quem pugnatur, funditus exstirpari, quales olim erant Cananæi, quos Deus jussit penitus deleri Deut. XX. 17. Quod si princeps obvertere velit, *se jamdum magnos belli sumtus fecisse, ideoque a bello cessare sibi integrum non esse*; audiat, quid homo Dei ad regem Amasiam dicat 2. Paral. XXV. 9. cum enim rex a bello abstinere jussus diceret: *Quid fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israël?* respondit illi propheta: *Habet Dominus, unde tibi dare possit multo his plura.*

c.) *An infideles & barbaros populos, qui nulla injuria nos adfecerunt, bello invadere liceat?*

§. CCCCXII. Quæritur III.) *An infideles & barbaros populos, qui nulla injuria nos adfecerunt, bello invadere liceat?*

Notum

Notum est, qua crudelitate Hispani Americanos, a quibus nunquam læsi fuerant, tractarint, de qua ex Ludov. Granatensi, Bartholomæo de la Casa, Lipsio & Acosta diximus, in tract. de eccles. §. 188. quibus addendum illud Wilhelmi, principis Auraici, in apol. *In Indiis Hispani plusquam vicies centenas myriadas hominum crudelissime necarunt, idque tam portentosa crudelitate, ut omnes omnium temporum crudelitates ac tyrannides, de quibus aut audivimus, aut legimus, ludus jocusque sint præ illorum in Indos immanitate, quemadmodum editis ea de re libris ipsorummet episcopi ac doctores testatum reliquerunt.* Sed opponimus hisce bellis, defectum 1.) *mandati divini*: In vet. test. jusserat Deus Cananæos gentem idololatricam & impiam bello invadere & exstirpare, sed in nov. test. de infidelibus ac barbaris bello oppugnandis, nullum habemus scripturæ testimonium. 2.) *Modi legitimi*: Christus & apostoli religionem non propugnarunt armis, nec armis propagandam docuerunt. 3.) *Causæ justæ*: Absunt hic omnia, quæ justum ac legitimum bellum faciunt. Nec enim defensionis gratia contra infideles talia bella geruntur, nisi forte vicinorum oppressione viam ad nos adfectant, quo in casu merito reprimuntur; nec injurias illis, a quibus infestantur, unquam intulere; neque quidquam, quod armis recuperandum sit, ipsis eripuere, hic ergo locum habet illud Augustini lib. IV. de civ. Dei cap. 6. *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?* Quæ in contrariam partem adferuntur, fallaciam consequentis conjunctam habent omnia. Non enim sequitur: *justum est, ut christiani, utpote meliores, imperent ethnicis, utpote deterioribus; ergo hi ab illis armis sunt subigendi. Religio & vita infidelium sunt corrigenda; ergo armis sunt invadendi. Delicta ipsorum punienda; ergo nobis licet bello eos invadere.* In consequente semper plus subsumitur, quam antecedens permittit. Refero huc locum ex Bellarmino lib. III. de laicis cap. 15. §. *secunda conditio &c. Princeps* (inquit) *non est judex, nisi hominum sibi subditorum, ergo non potest quæcunque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quæ cedunt in detrimentum populi sibi subjecti. Nam etsi non est judex ordinarius aliorum, tamen est defensor suorum, & ratione hujus necessitatis efficitur esse quodammodo judex eorum, qui suis injuriam fecerunt, ita ut possit eos gladio punire.* Hæc Bellarminus, quæ quomodo cum donatione Alexandri VI. qui Lusitanis Indiam orientalem, Hispanis occidentalem bello adquirendam & occupandam mirabili liberalitate donavit, conciliari possint, ipse viderit.

§. CCCCXIII. Quæritur IV.) *An propter negatum exercitui per terram alienam transitum domino illius terræ juste inferatur bellum?* Adfirmat Augustinus q. 44. in Numeros: *Notandum est,* (inquit) *quemadmodum justa bella gerebantur, innoxius transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debet.* Justitiam ergo belli inter Sihonem, Amorræorum regem, & Israëlitas Num. XX. ex negato transitu deducit; hanc Augustini sententiam glossa juris canonici cap. *Notandum &c.* caus. 23. q. 2. confirmat ex jure civili. l. *in summa.* ff. *de aq. pluvia coërcenda*, ubi permittitur aliquid in agro alieno, modo id fiat sine possessoris nocumento. l. *per agrum* C. *de servitutibus*, ubi Maximianus & Diocletianus decernunt, *ut via publica utaris, nemo potest prohibere;* at hoc Israëlitæ tantum petebant, ergo repulsi juste bellum susceperunt. Sed justitia hujus belli Israëlitarum cum Sihone ex alio capite rectius deducitur; egressus ipse erat e finibus suis cum exercitu, & Israëlitis injuriam inferebat, Jud. XI. 10. merito igitur arma adversus ipsum capiebant. Dubium enim adhuc est, an propter transitum negatum recte capiantur arma, cum alia ratio sit *privatorum hominum*, de quibus jus civile

d.) *An propter negatum exercitui transitum bellum juste inferatur?*

vile agit, alia vero *totius exercitus*, sed de his jurisconsulti plenius.

3.) *Ablatorum recuperatio.*

§. CCCCXIV. III.) *Ablatorum & injuste possessorum recuperationem* esse justam belli causam, constat ex jure divino & humano, quod rapinas & injustam alienorum bonorum possessionem prohibet. Id ipsum colligitur ex defensione subditorum & provinciæ magistratui demandata. Si enim princeps totum imperium salvum esse velit, non ferat, ut singulæ ejus partes sensim decerpantur, quia sublatis partibus tandem etiam totum interit. 1. Sam. XXX. 16. cum Amalekitæ oppidum Sicleg incendissent, ac captivas duxissent mulieres *David*, ipsos insequitur, & ad internecionem usque cædit. 1. Reg. XXII. 3. 2. Paral. XVIII. 2. *Achabus*, rex Israël, dicit ad servos suos: *Ignoratis, quod, nostra sit Ramoth-Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ*; quod huic bello eventus exoptatus minime respondit, Achabi impietati tribuendum. Notandum tamen, quod ea, quæ juste nobis erepta sunt, bello neutiquam reposcenda, quodque cum potentioribus ob recuperationem amissorum temere non sit confligendum, ne, dum partem quærimus, totum interim amittamus.

§. CCCCXV. Atque hæc dicta sint de justis ac legitimis belli causis, ex quibus facile potest fieri judicium *de injustis & illegitimis causis*, quia verum est sui & obliqui index. Chemnitius ex verbis Johannis baptistæ Luc. III. 14. erudite colligit tria injustorum bellorum genera: 1.) ex *concussione*, quando quis ideo bellum infert, quia est potentior; 2.) ex *sycophantia*, quando sine justa causa prætextus quæritur, vere enim dixit Polybius: *In bellis aliud est αἰτία*, aliud *πρόφασις*; 3.) propter *prædam*. Testantur historiæ, & comprobat experientia, causas bellorum manifestas, quæ exterius prætexuntur, ab occultis, quæ intus premuntur, sæpius toto cœlo dissidere. Ambitio, avaritia, ira, dominandi, habendi & ulciscendi cupiditas multorum bellorum causæ sunt, quæ ob id raro felici terminantur exitu. Accidit enim plerumque ambitiosis & avaris illis bellatoribus, quod camelo, *qui cornua desiderans, etiam aures perdidit*. Princeps quidam Tartarorum regem Rutenorum non necessarium bellum sibi moventem in prælio captum interfecit, & ex calvaria ipsius populum inauratum fieri curavit, cui hæc verba inscripsit: *Hic aliena adpetendo amisit propria.* Pyrrhum gloriæ cupiditas & profunda imperii libido difficillimis bellis implicuit, ac tandem perdidit. Plutarchus in Pyrrho. (*) Cogitent vero christiani ac pii principes, serio, inquam, cogitent, gravissimam Deo reddendam rationem, si bella non necessaria moverint, si populos fidei suæ commendatos hostium prædæ exposuerint, si illorum sanguinem, pro quibus Christus sanguinem suum fudit, temere profundi curaverint. *Bonus princeps*, inquit Seneca, *alieno sanguini tanquam suo parcit, & scit, homini non esse homine prodige utendum.* Ac probe notandum, quod scholastici recte disputant, *eum, qui injustum movet bellum, non posse bona conscientia possidere, quæ bello sunt adquisita, sed teneri ad restitutionem*; qua de re adnotabimus quasdam conclusiones ex Biele lib. IV. sent. dist. 15. q. 4. *In bello*, inquit art. 2. *pro rebus repetendis moto bellantes tenentur restituere, quidquid ultra res recuperandas, & damna passa, & labores atque expensas ab hostibus adquisivere.* art. 3. *Omnis bellator in bello injusto extra casum præcedentis conclusionis tenetur ad restitutionem ablatorum ac omnium damnorum adversariis ac sibi adhærentibus illatorum.* art. 5. *Dominus gerens bellum injustum subditis suis cum bona fide sequen-*

(*) Illegitimæ bellorum causæ sunt variæ: 1.) *Ambitio & Avaritia*: Scythæ ad Alexandrum magnum ex ambitione bella moventem: *Si dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent, or-bis te non caperet, altera manu orientem, altera occidentem adtingeres.* Curtius lib. VII. p. 167. 2.) *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas & libido dominandi.* GERHARDVS.

quentibus tenetur ad restitutionem omnium damnorum, eisdem ab adversariis occasione belli illatorum. art. 7. *Subditi in dubio bellantes ex obedientia superioris, postquam cognoverint bellum injustum fuisse, tenentur omnia, quæ habent restituere, non autem consumta existente bona fide.* art. 8. *Non subditus veniens ad bellum injustum tenetur ad restitutionem damnorum injuste impugnatis illatorum.* art. 9. *Ad restitutionem tenentur, qui damnificant etiam in bello justo innocentes, qui adversariis nec auxilium nec favorem præstant.* Hæc Biel, quæ ex ipsis juris divini fontibus deducta magnates abstterrere debent, ne ex ambitione & avaritia non necessarium aliquod bellum moveant. Addenda tamen triplex limitatio: 1.) si bellum sit vitiosum ratione intentionis tantum, hoc est, si adest auctoritas publica & causa justa, deest autem intentio recta, tum non obligantur bellum gerentes ad restitutionem. 2.) Si adsit ignorantia invincibilis, non tenentur milites ad restitutionem. 3.) Si non potest restitutio fieri veris possessoribus, fiat pauperibus.

c.) *Conditio justi belli: modus legitimus.*

§. CCCCXVI. *Tertium* justi belli requisitum est *modus belli legitimus.* Non enim sufficit bellum a magistratu ex causa necessaria & justa suscipi, sed oportet etiam legitimo modo illud geri, juxta illud vulgatum: *Quod justum est, juste exsequaris.* Exod. XVII. 11. *cum levaret Moses manum, vincebat Israël, sin autem paululum remisisset, superabat Amalek*; ergo non sufficit, ut justa belli sit causa, sed ipsam quoque belli gerendi rationem oportet esse piam & rectam. Jos. VII. 4. succumbunt Israëlitæ, quamvis ex Dei mandato justissimum bellum contra Cananæos gererent, quia peccabant, non quidem *in causa* belli, tamen in ipso bello. Jud. XX. 18. confidunt Israëlitæ suis viribus & causæ bonitati, nec a Deo auxilium petunt, ideo aliquoties profligantur. Hæc & similia manifeste docent, ad magistratus auctoritatem & causæ æquitatem in bello justo oportere etiam modum legitimum accedere. Proponimus autem de modo belli gerendi hunc generalem canonem: *Bellum gerendum est pie, juste, prudenter ac fortiter.* 1.) *Pietatem* in bello requiri, colligitur tum ex *generali regula*, quod pietas omnium actionum nostrarum debeat esse directrix ac norma, tum ex *promissione divina*, quod pietas habeat *præmia præsentis & futuræ vitæ*, 1. Tim. IV. 8. tum ex *sanctione illa divina*, quod *sacerdos* tanquam pietatis magister ac dux *ante aciem stare debeat.* Deut. XX. 2. *Cum progressus fueris in bellum adversus hostes*, dicit Dominus ad populum Israël Deut. XXIII. 9. *observa*, sive cave tibi, מִכֹּל דָּבָר רָע, *ab omni re mala*, ab omnibus flagitiis cum lege Dei pugnantibus, ne victoria propter impietatem priveris, & hostibus tuis præda fias.

Ad quem pertinet α.) *Pietas.*

§. CCCCXVII. Cæterum pietas illa complectitur 1.) *veram & sinceram ad Deum conversionem.* Cum enim bellum in scripturis passim referatur inter pœnas peccatorum, *ac divina providentia soleat corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere*; Augustinus lib. I. de civ. Dei c. 1. ideo primo omnium per veram pœnitentiam cum Deo debemus redire in gratiam, quoties belli necessitatem humeris nostris incumbere animadvertimus. Insigne hujus rei exemplum nobis proponitur in Josaphato 2. Paral. XX. 3. Cum enim *Josaphatus* audiret: *Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare sunt, ipse totis viribus se contulit ad quærendum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda*, ut populus externa illa jejunii pædagogia admonitus in se descenderet, peccata agnosceret, & pro aversione pœnæ ardentius oraret. *Salomon* Prov. XXI. 31. dicit: *Equus paratur ad prælium, Dominus autem tribuit victoriam*; necesse igitur est, ut ad Deum convertamur, & ipsi reconciliemur, alias omnis victoriæ spes erit vana ac frustranea. 2.) *Auxilii divini implorationem.* Dona Dei non nisi per preces ex pœnitente ac

fideli corde profectas a nobis obtinentur; jam vero victoria est insigne Dei donum, ut superius ostendimus; ergo precibus a Deo victoria est petenda. Preces illæ de justitia causæ, propter quam bellum suscipitur, etiam nos admonent, quod ita comparata esse debeat, ut non vereamur eam in ipsius Dei conspectu in precibus exponere. Exod. XVII. 9 cum Josua contra Amalekitas pugnaret, *Moses* interim manus ad Deum extendit. 1. Sam. XXIII. 2. cum Philistæi Ceilam oppugnarent, *David* consulit Dominum, an in prælium contra eos descendere debeat? idem facit 1. Sam. XXX. 8. 2. Sam. V. 23. sic per preces *os Domini rogare* convenit, antequam bellum suscipiatur. 1. Paral. V. 20. *Traditi sunt Agareni in manus Rubenitarum & Gaditarum &c. quia hi Deum invocaverunt, cum præliarentur.* 2. Paral. XX. 6. cum ab hostibus gravissimum immineret periculum, orat *Josaphatus: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo &c.* v. 12. *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus, quid facere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus.* v. 13. *Omnis autem Juda stabat coram Domino cum parvulis & uxoribus & liberis suis.* Esa. XXXVII. 4. cum Sennacherib Hierosolymam obsideret, mittit rex *Ezechias* ad Esaiam dicens: *Leva orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt*; ipse etiam v. 16. ardenter orat. 1. Maccab. III. 44. *Congregatus est conventus, ut essent parati in prælium, & ut orarent, & ut impetrent misericordiam & miserationes.* v. 53 dicunt, *quomodo poterimus subsistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adjuves nos?* Illorum exemplis insistere nos oportet, si feliciter bellum gerere cupimus. *Armanda mens erit fide & manus prece, & vita castis moribus.* Fecerunt id ipsum *Romani*, gentilium superstitioni dediti, quibus si quando in hostes eundum esset, *supplicationes publicas* ad deorum templa indicebant. 3.) *Fiduciæ in solum Deum collocationem.* Quamvis enim causa belli sit justa atque omnia ad bellum necessaria in parato habeantur, tamen non confidendum est bonitati causæ nec militum copiæ, nec humanæ prudentiæ aut potentiæ; sed solius Dei auxilio ac præsidio, quod cum Jud. XX. 18. Israëlitæ contra Benjaminitas pugnaturi negligerent, aliquoties profligati sunt. De præsentia Dei in bellis legitimis præclara exstat promissio Deut. XX. 4. *Non pertimescat cor vestrum, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra adversarios dimicabit*; illam vera ac firma fide in bello necessario ac legitimo princeps amplectatur, inque solo Dei præsidio omne perfugium habeat constitutum. Psalm. XX. 8 *Hi in curribus & in equis confidunt nos autem nomine Domini Dei nostri recordabimur.* v. 9. *Ipsi incurvabuntur & cadent, nos autem stabimus & exaltabimur.* XXVII. 1. *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* v. 3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si consurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo* XLIV. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo conculcabimus insurgentes contra nos.* 1. Macc. III. 19. *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est &c.* 4.) *Pacis oblationem.* Pium est & humanum, omnia prius media pacis tentare, quam arma capere. Præcepit hoc Deus ipse populo suo Deut. XX. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem.* Sihonem regem in Hesbon tradiderat Deus cum tota regione in manum Israëlitarum; interim tamen Moses *mittit ad eum legatos* דִּבְרֵי שָׁלוֹם, *verbis pacis sive pacificis.* Deut. II. 26. Sic Jud. XI. 12. Jephtha mittit nuncios ad regem filiorum Ammon, qui dicerent: *Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?* Similia exempla exstant 2. Reg. XIV. 10. ubi *Joas*, rex Israël, a rege Juda Amasia ad bellum provocatus respondet: *Sede in domo tua, quare provocas malum, ut cadas tu & Juda tecum.* 2. Paral. XXXV. 21. ubi Nechao, Ægypti rex, ad *Josiam* regem Juda in occursum sibi procedentem dicit; *Quid mihi & tibi est rex Juda,*

da, non adversum te hodie venio. Conjunge 1. Macc. XV. Bellum est unum ex atrocibus & lævis remediis, quæ adhibenda non sunt, nisi summa exigat necessitas, perinde ut medici non urunt aut secant, nisi totius corporis salus periclitetur. *Romani*, inquit Varro libr. II. de vit. populi Rom. *bella & tarde & nulla licentia suscipiebant, & quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, priusquam indicerent bellum iis, a quibus injurias factas sciebant, feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, qui si postulata impetrassent, fœdus cum iis feriebant; sin minus, re deliberata bellum indicebant.* 5) *Notoriorum flagitiorum in castris prohibitionem.* Quod si enim Dominum Deum nostrum in castris nobiscum habere desideramus, *ut pro nobis contra adversarios dimicet*; Deut. XX. 4. utique castra non debent esse officinæ impietatis & asyla flagitiosorum. Jos. VII. 12. dicit Dominus: *Non poterit Israël stare ante hostes suos, quia pollutus est anathemate; non ero ultra vobiscum, donec exstirpetis eum, qui hujus sceleris reus est.* Judith V. 22. dicit Achior ad Holofernem: *Si est aliqua iniquitas in conspectu Dei ipsorum, tradet illos Deus ipsorum tibi &c.* In bellis aliquid confert militaris prudentia, maximum vero gratiosa Dei præsentia, quæ piis ipsum timentibus & ex fide invocantibus est promissa; quod si ergo castra sunt tabernacula pietatis, erunt etiam domicilia omnis felicitatis, testantur enim historiæ, eosdem exercitus utplurimum & pios & victoriosos fuisse. Exsulent igitur a castris diræ, blasphemiæ, libidines &c. In ipsis etiam oppidorum expugnationibus temperandum a sanguine civium, cum de victoria jam certo constet, a lævitia in sexum muliebrem, in decrepitos senes, infantes ac pueros, a stupris & adulteriis, a raptu virginum ac matronarum, quia lex divina: *Non mœchaberis*, nullam in bellis habet exceptionem. 6) *Post impetratam victoriam gratiarum actionem.* Cum enim victoria ex hostibus sit insigne Dei donum, ideo æquum est, ut gratiæ pro eo victori summo agantur debitæ. Genes. XIV. 20. Melchisedecus post reportatam insignem ex hostibus victoriam in Abrahæ occursum procedit, dicens: *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Exod. XVII. 14. cum ex Amalekitis Israëlitæ victoriam retulissent, præcipit Deus Mosi: *Scribe hoc in libro pro memoriali. Et ædificavit Moses altare.* Jud. V. describitur ἐπινίκιον Deboræ. 2. Paral. XX. 26. *Congregati sunt in valle benedictionis, eo quod dedisset illis Deus gaudium de inimicis suis.*

§. CCCCXVIII. II.) *Justitia* β.) *Justitia* requirit, 1.) ut præcedat *legitima belli denunciatio*, quam vocant *clarigationem*, cujus vocis originem exponit Taubmannus in amph. Plaut. act. 1. scen. 1. Fit illa denunciatio per *fecialem*, qui pro injuria satisfactionem vel ablatorum restitutionem flagitat, eam vero recusantibus bellum indicit. Nititur *jure divino*: Deut. XX. 10. *Offeres primum pacem.* Jud. XII. 1. Ephraimitæ ad Jephtam dicunt: *Incendemus te & domum tuam. Jure gentium* apud omnes populos recepto, de quo Alexandrinus ab Alexandr. lib. V. genial. dier. cap. 3. Gellius libr. XVI. noct. Atticar. cap. 4. Livius libro I. decad. 1. p. 16. Barnab. Brissonius libr. IV. form. &c. *Jure civili*, ut colligitur ex verbo *Decrevit* l. 24. ff. *de captiv. & postlimin.* l. 118. *de verbor. significat.* Ac *evidenti ratione.* Æquum enim est bellum prius indicere, quam inferre, perinde ut in causis forensibus prius in jus vocamus, & litem denunciamus: stolidum contra armis repetere, quod vel postulationis æquitate vel sola armorum comminatione impetrare possis. Hinc Cicero lib. I. offic. *Vullum bellum est, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum prius sit & indictum. Tunc solum utile est ad arma concurrere*, inquit Cassiodorus, *cum locum apud adversarium justitia non potest invenire.* 2) Ut caveatur eorum, qui non sunt hostium loco, *oppressio ac direptio.* Luc. III. 14. *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris*; ubi prohibentur omnis generis injuriæ, quas milites inferre

solent vi aut fraude, in persona vel in bonis. Quando enim Johannes dicit, *neminem concutiatis*, prohibet injurias, quæ a militibus aperta violentia personis inferuntur, utpote cum cædunt rusticos, nisi omnia abunde ipsis suppeditent; quando dicit, *nemini calumniam faciatis*, prohibet injurias, quas milites fraudibus & calumnia inferre solent, ut cum dicunt, aliquem esse proditorem vel hostem, eumque hoc nomine spoliant, vel occidunt, vel ad ducem & præfectos deferunt, quamvis nihil minus sit, quam hostis vel proditor; quando dicit: *contenti estote stipendiis vestris*, prohibet injurias, quas non in persona, sed in bonis milites inferunt, utpote cum rapiunt, prædantur, exigunt & extorquent, undecunque possunt; Bellarminus libro I. de laicis cap. 15. Caveant ergo milites tam præsidiarii, quam subsidiarii ac gregarii, ne illis, qui vel transitum ipsis per suam regionem præbent, vel qui socii sunt & confœderati, vel provinciales, quorum defensio ipsis commendata est, rapinis ac direptionibus sint molesti; strenuus canis domesticos suos tuetur, peregrinos vero ac hostes abigit. (*) Num. XX. 17. Israëlitæ a rege Edom petentes transitum, nunciari ipsi curant: *Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquam de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad sinistram declinantes, nec ad dextram, donec transeamus terminos tuos.* v. 19. *Per tritam gradiemur viam, & si biberimus aquas tuas, nos & pecora nostra, dabimus, quantum justum est.* Deut. II. 28. *Cibos emetis ab eis pecunia & comedetis, aquam emtam hauretis & bibetis.* Pulcre Gregorius lib. VI. cap. 12. *Non est probabile, feliciter res suas gesturos milites eos, qui maledictiones & lachrymas in exitu suo sumunt ad viaticum.* (**) Ac laude dignissima est Aureliani imperatoris apud Vopiscum sententia, qui tribuno militum vicario suo ejusmodi dat mandata: *Si vis tribunus esse, imo si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segetem nemo deterat. Oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua quisque contentus sit, de præda hostis, non de lachrymis provincialium habeat. Stipendium in baltheo, non in popina habeat.* 3.) Vt cesset beluina *rabies & immanis ultio*, nec cum ipsa natura, sed cum hostibus bellum geratur. Deut. XX. 19. prohibet Deus, ne in oppugnationibus urbium *succidantur arbores* illæ, quæ fructus ferunt, nec securibus per circuitum vastetur regio, *quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra nos augere numerum.* Xenophon lib. I. de reb. Græciæ de Anaxil. Spartan. duce refert, quod adculatus in judicio de Bizantio oppido fidei suæ commendato & hostibus ob famem militum præsidiariorum tradito, responderit, *se defendisse urbem tamdiu, donec cum hostibus bellum esset, postquam vero vidisset bellum esse cum natura, & fame perire eos, quibus in bello parci solet, judicasse finem bello imponendum*, qua excusatione audita judices ipsum absolverunt. 4.) Ne adversus victos exerceatur crudelitas & *atrox insultatio.* Quando hostis pacem petit, & in victoris potestatem concedit, servandum est jus supplicum ac deditiorum, Deut. XX. 11. *Si civitas pacem receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, serviet tibi sub tributo.* v. 12. *Sin fœdus inire noluerit, & cœperit contra*

(*) Synesius de regno p. 27. *Militibus imperandum, ut civibus & rusticis parcant, minimeque molesti sint, eorum laborum memores, quos ipsorum gratia susceperunt. Nam ut civitatis terræque commoda tueatur rex, & propugnat, & milites conscribit. Quare qui peregrinum quidem a me hostem propulsat, ipse autem moderate mecum non agit, is a cane mihi non differre videtur, qui lupos propterea longissime abigit, ut per otium gregem commodissime diluniare possit, cum potius in custodiæ mercedem eum lacte satiari oporteat. Quapropter adcurata pax est, milites ita comparatos esse, ut inermi plebe tanquam fratribus uti velint, solisque iis, quæ præsinita sunt, stipendiis contenti sint.* Gerhardvs.

(**) Ἀκόλαστος στρατεύματος οὐδὲν ὄφελος, impuniti exercitus nullus est usus. *Clearchus apud Xenophontem lib. XI. exped. Cyr. p. 290.* Paulus jurisconsultus: *disciplina militaris Romanis antiquior fuit ipsa liberorum charitate.* Gerhardvs.

contra te bellum, oppugnabis eam. v. 13. *Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percutes omne, quod in ea generis masculini est, in ore gladii.* v. 14. *Absque mulieribus & infantibus &c.* Quod si ergo in gentibus illis exitio devotis tamen fœmineo sexui & parvulis Deus parci voluit, quanto magis in bellis christianorum illud locum habere debet. Ambrosius graviter reprehendit imperatorem Theodosium, quod cum punire vellet Thessalonicenses, sine delectu obvios quosque necari jusserit. Theodoretus lib. V. hist. eccl. c. 17. Augustinus epist. CCV. ad Bonif. Comitem: *Ne sævias aut insolescas in supplices, sed misericordia in victos impendatur, quale est illud apud Poëtam:*

Parcere subjectis & debellare superbos.

γ.) *Prudentia.* §. CCCCXIX. III.) *Prudentia* militaris latissime patet, ac vix potest certis præceptis includi, nec tam auditione & lectione, quam longo rerum usu & exercitatione comparatur. Si enim ullibi, certe in bellis potissimum requiritur consilium & prudentia, quippe in quibus *semel duntaxat peccare licet*, ut est apud Stobæum ferm. LII. hinc rex sapiens inquit Prov. XX. 18. & XXIV. 6. *Consilio gerendum est bellum, & salus erit, ubi multa sunt consilia.* Ad hanc prudentiam bellicam pertinet 1.) *ante bellum omnium necessariorum matura præparatio. Felix civitas, quæ pacis tempore de bello cogitat*, quam sententiam lapidi incisam Venetiis in vestibulo armamentarii legere licet. Requiruntur ad bellum *pecuniæ* rerum gerendarum nervi, quæ ex tributis subditorum & spoliis hostium comparandæ, quin & honesta frugalitate in usum futurum comparcendæ: requiritur *commeatus*, qui alimenta & vestimenta militum & pabulum equorum complectitur: requiruntur omnis generis *instrumenta bellica*, ad pugnam navalem instructæ *classes*, quæ omnia ante bellum comparanda, ne illorum defectus necessariæ defensioni sit impedimento. *Conscribendi* sunt milites, non quivis prædæ spe advolantes, sed corporis & animi dotibus bello aptis, ut & necessariis armis tam φυλακτηρίοις quam ἀμυντηρίοις probe instructi, eorum instituenda est *lustratio*, cujus exemplum describitur 1. Sam. XXIX. 2. iidem sedulo *exercendi* in tractandis armis, in faciendo opere, in ordine servando &c. eligendi *duces* scientia rei militaris, virtutibus heroicis ac bellicis, auctoritate & felicitate præditi, quos commendet *labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo*, ut Cicero pro leg. Manil. loquitur. Constituendi sunt *senatores* sive consiliarii bellici, qui ingenii celeritate, judicii dexteritate, & experientia longo rerum usu confirmata atque auctoritate plurimum polleant &c. 2.) *In ipso bello loci ac temporis ad pugnandum apti accurata observatio.* Deliberandum enim sedulo, an præstet hostem domi exspectare, an vero belli molem in ejus fines transferre; quo tempore conveniat hostem adgredi, quis prælii locus debeat constitui? qui trepidantem & formidantem exercitum ad pugnam educit, fugere ipsum docet, non vincere. Sic Abraham Gen. XIV. 15. *divisis sociis irruit noctu super hostes securos ac nihil tale metuentes.* Jos. X. 9. *Josua repente irruit super hostes tota nocte adscendens. Commoda aciei instructio*: 2. Sam. X. 9. *videns Joab, quod esset adversum se prælium & ex adverso & post tergum*, elegit sibi ex omnibus electis Israël, & instruxit aciem contra Syrum. v. 10. *Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon &c.* ubi accurate discipiendum, an & quando conveniat ipsummet principem in acie stare. 2 Sam. XVIII. 3. *Tu unus solus pro decem millibus computaris. Idonea castrorum metatio;* eorum omnium, quæ *nocumentum* ac periculum adferre possunt, *diligens evitatio*, qualia sunt securitas, contemtus hostium, nimia festinatio, ordinum solutio; *militum ad pugnam animatio*, quæ oratione & alacritate ducis obtinetur; *consiliorum hostilium diligens perscrutatio &c.* 3.) *Post bellum obtenta jam victoria requiritur cauta circumspectio*, ne vel negli-

negligentia & incuria, vel nimia fiducia ac temeritate victoria e manibus excutiatur, *sæpe enim spoliantem jam & exsultantem Mars evertit & perculit ab abjecto;* Cicero pro Mil. ne fugienti hosti nimium insistemus, male enim pugnatur cum desperatis, & spes fugæ ademta in furorem & invictam audaciam erumpere consuevit. (*) *In prædæ divisione* apud Israëlitas etiam illorum fuit habita ratio, qui supellectilem custodierant, nec in prælium progressi fuerant. Num. XXXI. 27. Jos. XXII. 8. 1. Sam. XXX. 24. Sed de his ac similibus scriptores politici plenius tractant.

δ) Fortitudo. §. CCCCXX. IV.) *Fortitudo* in bellis vel maxime necessaria, sine qua nihil rectum vel salutare sperari potest. Deut. XX. 3. sacerdos in acie consistens sic adloquebatur populum Israëliticum: *Non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos,* quin & duces audiente exercitu proclamabant, v. 8. *Quis est homo formidolosus & corde pavido? vadat & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Exempla exstant Jud. VII. 3. 1. Macc. III. 6. Semper in prælio illis maximum est periculum, qui maxime timent. *Audacia pro muro habetur,* inquit Salustius in bell. Jugurth. Quod si ergo acies in bello inclinari incipiunt, non statim animus desponendus, nec fuga saluti consulendum, sed milites ducis adloquio animandi, *paventibus occurrendum, cedentes retinendi, fugientes revocandi,* Tacitus lib. III. hist. nec post acceptam cladem animus serviliter abjiciendus, sed vel damna accepta sarcienda, novi delectus habendi, sociorum auxilia quærenda &c. vel victori cedendum & tempori eventus permittendus.

§. CCCCXXI. Quæritur hoc loco I.) *An bellica stratagemata adprobanda sint?* Duo statuuntur a polemicæ rei scriptoribus, hostis debellandi media, βία sive ὀξὺς παλκὸς, & δόλος seu ἀπάτη, *vis* seu acutum ferrum, & *dolus* seu deceptio, quam etiam vocant στρατηγήματα, quæ singulari arte & solertia in hoste tum cavendo tum opprimendo perficiuntur. De his quæritur, an sint licita & adprobanda? Adfirmamus sequentibus permoti argumentis: 1.) ex *jure divino*: Jos. VIII. 2. dixit Deus ad Josuam: *facies urbi Hai & regi ejus, sicut fecisti Jericho & regi illius, pone insidias urbi post eam.* Jud. XX. 29. cum Israëlitæ mandatum pugnæ & promissionem victoriæ accepissent, *posuerunt insidias per circuitum urbis Gabaa.* 2. Sam. V. 22. dicit Deus ad Davidem: *Non adstendas contra Philistæos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso pyrorum.* 2.) A probatis exemplis. *Abrahamus* noctis beneficio usus exercitu in turmas diviso partim securos partim temulentos oppressit; Gen. XIV. 15. *Josuæ & Davidis* exemplum in aprico positum, cujusmodi plura ex sacris & profanis historiis colligit Zwingerus in theatro libr. III. Polyænus & Reusnerus in stratagematographia. *Quod Deus jubet loquens ad Josuam, ut constituat sibi retrorsus insidias, id est, insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus, hinc admonemur, non injuste fieri ab his, qui justum bellum gerunt, ut nihil homo justus cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est, non enim omnibus fas est. Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.* Ita colligit Augustinus lib. VI. quæstionum in Jos. q. 10. 3.)

Quæritur circa modum belligerandi: 1.) An stratagemata sint adprobanda?

(*) Onosander in strategico c. ult. *Postquam omnia feliciter & ex animi sententia cesserunt, sine bellicis negotiis imposito caveat imperator, ne ob res secundas elatior aut gravior videatur, sed placidus sit & benignus, neve fastum minaci ac truculento vultu præ se ferat, sed civilem & amicabilem benevolentiam comiter omnibus exhibeat, illa enim invidiam & livorem gignunt, ista mutuum amorem conciliant.* GERHARDVS.

3.) A *consensu omnium gentium.* (*)

— — — *Dolus an virtus quis in hoste requirat?*

Virgilius lib. II. Æn. *Nullo discrimine virtutis an doli prosperi omnes bellorum laudantur eventus.* Ammianus Marcel. lib. XVII. *Belli furta sunt pulcerrima*, ait Xenophon in Hipparch. Lacedæmonii cum stratagemate hostem superassent, *bovem Marti* sacrificarunt, cum vi aperta, *gallum*, cujus rei rationem reddit Plutarchus in institutis Laconicis, quod voluerint adsuefacere duces, ut non modo bellicosi essent, sed etiam calliditate, quæ in imperatore requiritur, ad stratagemata pollerent. *Summa ducum gloria victoriam sine periculo comparare.* Vegetius lib. III. cap. 9. (**) 4.) Ex *jure civili*: Ulpianus l. *Hoc edicto* 1. §. *non fuit.* 3. ff. *de dolo malo.* Non fuit contentus prætor *dolum* dicere, sed adjecit *malum*, quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur. 5.) A *pari*: Sicut nihil interest, *quomodo captivus sit reversus, utrum dimissus, an vi vel fallacia potestatem hostium evaserit?* l. *Nihil.* 26. ff *de captivis & postlim.* sic nihil refert dolum an vim in hoste oppugnando adhibeas. Feras partim ferro capimus, partim solertia in laqueos & rete inducimus, ac facinorosi non solum aperta vi, sed etiam lictorum insidiis in vincula pertrahuntur, idem in hostes licere merito censetur. 6.) Ab *honestio*: Stratagemata sunt species militaris prudentiæ, quæ laude non vituperio digna. Prov. XXI. 22. *Civitatem fortem adscendit sapiens, destruxitque robur fiduciæ ejus.* Potiora sunt & laudabiliora, quæ ratione & mente, quam quæ vi & corpore efficiuntur. Spartani licet essent bellicosissimi, tamen majores & decentiores hominis putabant esse actiones, quæ rationis & prudentiæ, quam quæ virium & roboris. Plutarchus in Mar. 7.) Ab *utili*: *Illa belli furta pulcerrimam consequuntur gloriam, quibus & hostes maxime decipiuntur, & amici atque socii plurimum juvantur;* Thucydides lib. V. ac boni duces *non aperto Marte prælium, in quo est commune periculum, sed ex occulto semper adtentant, ut integris suis, quantum possunt, viribus hostes interimant, certe vel terreant.* Vegetius libr. III. cap. 9. Illa, quæ astu potius, quam hasta comparatur victoria, minus est cruenta. 8) A *necessario*: Quando hostes sunt potentiores ac vel militum numero, vel adparatu bellico superiores, necessitas injicitur utendi stratagematibus. 9.) Ab *hostium merito*: Hostem, qui extrema supplicia meritus est, fas est perdere, spoliare, occidere, nec interest, an vi aperta illud fiat, an occulta circumspectione. Plutarchus in Agesil. *Hosti, quacunque ratione fieri potest, incommodandum, vim inferendo, prædando insidiis, stratagemate grassando.* Cambyses ad Cyrum apud Xenophontem lib. I. pæd. Quæ in contrarium adferuntur argumenta, facilem habent explicationem, si observetur stratagemata probari ea demum conditione: 1.) *ne fides data frangatur.* Dilinguenda igitur sunt stratagemata a perfidia & fœderum violatione. Jud. IX. 24. & *fidem fregerunt optimates in Sichem Abimelecho*, v. 25. *posueruntque insidias adversus eum in summitate montium.* 2.) *Ne jura belli violentur.* (***) Livius lib. I. dec. 1. f. 24. *Tarquinius superbus Gabios*

(*) Confer Hieronymum in c. XVII. Ezech. c. *Dominus noster* 23. q. 5. Masium in comm. Jos. VIII. p. 141. GERHARDVS.

(**) Homerus οὐσε, λ. κλείνης ἠὲ δόλῳ ἠ ἀμφαδὸν ὀξεῖ χαλκῷ.

Confice sive dolo, seu stricto cominus ense.

Est & hoc ejusdem: ἠ δόλῳ ἠὲ βίηφι. *Vbi pellis leonina non sufficit, vulpina adsumenda.* Lysander apud Plutarchum in apophth. τὰ κλέμματα ταῦτα

καλλίστην δόξαν ἔχει, inquit Brasidas ap Thucydidem lib. V. ἃ τὸν πέλεμον μαλιστ' ἄν τις ἀπατήσας, τὰς φίλους μέγιστ' ἂν ὠφελήσειε, *quibus hostes maxime decipiuntur, & amici plurimum juvantur.* GERHARDVS.

(***) Ambrosius lib. I. de offic. cap. 29. & lib. III. c. 10. *Sunt quædam bellorum jura & fœdera etiam inter ipsos hostes servanda.* Thomas II. 2. quæst. 40. art. 3. *Dupliciter aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius, uno modo ex eo, quod ei dicitur*

Gabios propinquam urbem, nec quidquam vi adortus cum obſidendi urbem, ſpes pulſo a mœnibus ademta eſſet, poſtremo minime arte Romana fraude ac dolo adgreſſus eſt, nam cum velut poſito bello fundamentis templi faciendis, aliisque operibus ſe intentum ſimularet, Sextus filius transfugit ad Gabios, cujus arte ſunt devicti. 3.) *Ne dignitas victoris labefactetur. Ea demum vera eſt victoria*, inquit Florus libr. I. c. 12. *quæ ſalva fide & integra dignitate paratur.* Veneno & ſicariis immiſſis hoſtem peſſundare, abjecti animi eſſe cordati merito cenſent. 4.) *Ne dolus malus admiſceatur.* Achæi tantopere abhorrebant a ſtruendis dolis, ut nec hoſtes ſuos per fraudem vellent vincere, cenſentes, nec ſplendidam nec firmam ullam victoriam, niſi quis palam, & ex condicto depugnans animos quoque dejeciſſet adverſariorum. Polybius lib. XIII. ubi illud vocat κακομηχανεῖν, dolos malos machinari.

2.) *An exploratoribus uti liceat?*

§. CCCCXXII. Quæritur II.) *An exploratoribus in bello uti liceat?* Chryſoſtomus in comment. c. II. epiſt. Gal. exponens verba, *quod eſſent ſubingreſſi falſi fratres ad explorandam noſtram libertatem*, munus exploratorum eſſe dicit *res adverſariorum cognoſcere, ut ſibi ac ſuis faciliorem aditum parent ad illorum expugnationem aut repulſam.* Hebræis vocantur מְרַגְּלִים a רָגַל, quod *pedem* ſignificat, quia exploratores plerumque veniunt pedites, & hinc inde diſcurſitant. Græcis κατάσκοποι a *conſiderando* & perveſtigando. De hoc exploratorum munere & actione quæſtio eſt, an ſit probanda? Gen. XLII. 9. cum Joſephus fratribus ſuis objiceret, quod eſſent exploratores, ipſi velut probrum ac crimen aliquod id a ſe rejecerunt, ex quo videri poſſet exploratorum munus neutiquam eſſe probandum. Sed diſtinguendum inter *pacis* ac *belli tempora.* Fratres Joſephi tempore pacis ad regionem amicam, a qua beneficium exſpectabant, frumenti ſcilicet venditionem, veniebant, turpe igitur fuiſſet, occaſione ea exploratorem agere; alia vero belli ratio eſt. Proinde de exploratoribus idem ſtatuendum, quod de ſtratagematis, eas ſcilicet actiones eſſe licitas, quod probatur 1.) ex *cauſa earum principali*: Num. XIII. 2. præcipit Deus Moſi, ut mittat *viros, qui conſiderent terram Canaan ſingulos de ſingulis tribubus ex principibus, ac Joſuam & Calebum*; quod demandatas explorationis partes fideliter exſecuti fuerant, præmiis adficit. Num. XIV. 38. 2.) Ex *cauſa inſtrumentali: Moſes vir Dei* miſit exploratores, & quidem *principes ex tribubus*, de quibus Joſephus dicit, quod fuerint *optimi geometræ*, quia oportuit eos bene ac perſpicue terræ Canaan ſitum cognoſcere. *Joſua* Moſis ſucceſſor mittit duos viros exploratores in abſcondito ad urbem Jericho, qui pergentes ingreſſi ſunt in domum Rahab, de qua Jac. II. 25. Rahab, *ἡ πόρνη, nonne ex operibus juſtificata eſt, recipiens nuncios, & alia via emittens?* Homerus Ulyſſem ac Diomedem heroas illos inſignes exploratores facit. 3.) Ex *definitione*: Explorationis uſus pars eſt militaris prudentiæ, per quam ea, quæ hoſtium ſunt, inquiruntur, ſitus ſcilicet locorum, natura regionis, ducis ingenium, mores exercitus &c. quorum notitia ſummopere bellatori neceſſaria, & ad victoriam obtinendam momenti habet plurimum. Vt ergo in juſto bello vi atque armis licet hoſtem oppugnare, ita quoque explorandi arte adverſus ipſum uti licitum eſt. *Vt in cauſa legitima militem, ita quoque exploratorem eſſe ſalva conſcientia licet.* Geſnerus in Gen. cap. XLII.

§. CCCCXXIII.

tur falſum, vel non ſervatur promiſſum. Iſtud ſemper eſt illicitum, & hoc modo nullus debet hoſtes fallere. Alio modo ex eo, quia ei propoſitum aut intellectum non aperimus, hoc autem non ſemper facere tenemur. Et talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis. Nec proprie hujusmodi inſidiæ fraudes vocantur, nec juſtitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi aliquis vellet nihil ſibi ab aliis occultari. GERHARDVS.

3.) *An proditoribus in bello utendum?*

§. CCCCXXIII. Quæritur III.) *An proditoribus in bello utendum?* Differunt proditores ab exploratoribus tum *causa efficiente*. Exploratio fit ab hostibus, proditio a conjunctis, quibus confidimus. Ascon. Pedian. in orat. II. Verrina: *Prodere deterius est, quam oppugnare, nam oppugnant inimici, quod eis vitio verti non debet, at produnt, qui amici videri volunt, ac tales erga nos esse deberent, ideoque cum ab officio discedant, longe gravius, quam illi peccant.* Tum *causa impulsiva & finali*: Exploratores, quæ sunt hostium, perscrutantur animo bono ac fine non malo, si bellum sit licitum. Proditores ea, quæ parti adversæ videntur nocitura, vel quæstus gratia, vel causa ultionis vel securitatis ergo clanculum produnt & aperiunt, ex quo facile colligitur improbandas esse proditiones. 1.) Apostolus inter homines *gravissimis sceleribus* corruptos refert προδότας, 2. Tim. III. 4. 2.) Proditores *perjurium* committunt, siquidem ad patriæ salutem & defensionem juramento obstricti tenentur. 3.) Violant *jus naturæ*, quod exigit, ut cives ac subditi patriam ab hostium violentia tueantur, ipsi contra ejus salutem pessundare laborant. Exempla, quæ in contrarium adferuntur, non congruunt proditioni vere & proprie sic dictæ: 1.) *Rahab* Jos. II. 2. non prodit patriam, sed sibi suæque familiæ consulit, cum urbem divino judicio certo periturum nosset. v. 9. *Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram, &c.* 2.) Gibeonitæ Jos. IX. 24. non sunt proditores, sed cum audivissent terram Canaan Israëlitis divinitus promissam, & habitatores ejus disperdendos, hoc consilium inire, suisque rebus prospicere voluerunt. 3.) *Civis Bethelis* Jud. I. 24. introitum civitatis domui Joseph ostendens in classem proditorum referri vix potest, quia animadvertit, suos conceives obstinate adversari populo, cui divinitus possessio illius terræ promissa, quin etiam erat quasi captivus, & in manus hostium pervenerat. 4.) *Jonathan patris* consilia Davidi aperiens 1. Sam. XX. 13. non proditionis, sed dilectionis opus facit. 5.) *Chusai* consilium Absolonis Davidi aperiens 2. Sam. XVII. 16. ad proditorum classes minime transit, erat enim David rex legitimus, quem Absalon injuste ac nefarie e throno regio dejicere nitebatur. Cruenta sceleratorum hominum consilia detegere, ut pii insidias ipsorum evitare possint, non est prodidisse, sed profuisse.

4.) *An proditores sponte venientes recipiendi?*

§. CCCCXXIV. Sed porro quæritur IV.) *An proditores, qui sponte sese offerunt, sint recipiendi?* 1.) Hieronymus in l. de opt. gen. interpret. ad Pammach. inquit, *proditionem principes recipere quidem, sed proditores damnare*; cum quo convenit illud Augusti imperatoris: προδοσίαν φιλῶ, προδότας δὲ ἐκ ἐπαινῶ, *proditionem amo, proditores non laudo.* Plutarchus in apopht. Itemque illud Antigoni: *proditores tantisper amo, dum produnt, ast ubi prodiderint, odi.* 2.) Videtur etiam *ex re salutis* publicæ, proditorum monita audire. In obsidione Viennæ Turca quidam parentibus christianis natus ultro se nostratibus dedens indicium fecit de hostium cuniculis subterraneis, de conatu Solymanni imperatoris, de numero tormentorum bellicorum, &c. quo indice nihil veracius fuit, nihil præsenti periculo securius. Hist. obsid. Vienn. in adpend. annalium Turcic. Leveucl. Contra vero 1.) quam actionem ut turpem & illicitam detestamur, ejus quoque auctorem non amare ac recipere, sed repudiare ac detestari debemus. 2.) Insuper jus naturale requirit, ut *quæ quis fieri sibi nolit, ea nec alteri* faciat, Matth. VII. 12. Luc. VI. 31. jam vero nemo est, qui se & sua hostibus prodi velit. 3.) Qui alienos subditos ad proditionem solicitat, suos proditionem docet. 4.) Inde proditoribus pessima quandoque retributa fuere præmia. Lasthenes quidam cum patriam suam Olynthum Macedonibus prodidisset, atque ob id se apud eos in honore futurum arbitraretur, ei longe secus accidit; nam per castra a militibus passim adpellabatur *proditor*, cumque ea de re apud Philippum regem con-

quereretur, hoc responsi tulit: *Macedones esse homines admodum rudes & agreſtes, qui res alio nomine, quam suo ac proprio adpellare nescirent, sed scapham scapham vocarent. Camillus* ludi literarii magistrum principum filios inter Phalisços ad se adducentem vinctum pueris & flagris cædendum tradidit, & ad hostes remisit. Livius lib. V. dec. 1. *Pyrrhi medicus*, qui Romanis pollicebatur, se in illorum gratiam regem suum necatum ire, ab ipsis regi est indicatus, ut eo diligentius sibi ab eo caveret. De imperatore *Severo* Herodianus scribit, quod multos duces Nigri æmuli imperii per filios ad prodendas ejus res impulerit, deinde posquam eorum opera abusus esset, suaque omnia ex sententia composuisset, ipsos liberosque necaverit. Nam ut pulcre adnotat Plutarchus in vita Romuli: *Quicunque improborum aliquo in negotio opera utuntur, omnes eodem adversus eos adfecti sunt modo, sicut hi, qui virus aut fel ab aliqua bestia petunt, quippe usum in accipiendo eo gratum cum habeant, malitiam bestiæ re peracta oderunt.* Flavius Vopiscus recenset epistolam Aureliani imperatoris de Heraclemone patriæ proditore: *Occidi passus sum, cujus quasi beneficio Thyanam recepi. Ego vero proditorem amare non potui, & libenter tuli, quod eum milites occiderunt, neque enim mihi fidem servare potuisset, qui patriæ non pepercit. Brennus*, Galliæ rex, cum vastando Asiam Ephesum perveniſſet, castra ibi metatus præfinitum pugnæ diem exspectabat. Interea plebeja quædam virgo nomine *Dæmonice*, amore barbari capta prodituram se ipsi Ephesium promisit, si torques & monilia pro mercede darentur, ad hanc Brennus in certo loco susceptam subditos duxit, & quidquid haberent auri, in gremium avaræ conjiceret, imperavit, qui cum imperium exsequerentur, Dæmonice præ auri in se conjecti multitudine & gravitate vivens est obruta. Plura ejusmodi punitæ proditionis ac perfidiæ exempla recensent Zwingerus in theatro, & Camerarius lib. I. succis. cap. 7. Quid ergo statuendum? 1.) Eos, qui per fas ac scelerate talia defecerunt vel pollicentur, quæ sine turpitudine & improbitate accipi vel fieri nequeunt, boni principes non admittant. 2.) Si justo bello capti hostium consilia & arcana patefaciant, audiri omnino possunt. 1. Sam. XXX. 15. servus Amalekitæ accepto prius a Davide juramento, *quod ipsum nec occidere, nec in manus domini sui tradere velit*, ducit Davidem ad Amalekitarum exercitum. 3.) Proditoribus non est nimium confidendum, quandoque enim ficte & simulate omnia ab ipsis geruntur, ac falsa & nocitura ab ipsis referuntur. Nota est historia Zopyri. 4) Si spes est, hostes nostra integritate & humanitate deliniri posse, proditores ipsis remittendi, & perfidia ipsorum manifestanda. Cum Romani Pyrrho medicum proditorem indicarent, pax inter ipsos & regem est consecuta. 5.) Proditores, qui nos & patriam nostram hostibus produnt, gravi supplicio digni.

§. CCCCXXV. Quæritur V.) *An usus tormenti bellici, quod bombardam vocant, sit probandus?* De inventore illius diversa a diversis traduntur. Polyd. Virgilius lib. II. de rer. invent. c. 6. scribit bombardam novitium instrumentum esse, & a *Germano homine ignobili* repertum, quem id pro mercede accepisse ait, ut nomen ejus perpetuo occultaretur, idque in hunc usque diem ignorari. Quidam contendunt *inventionem illius esse vetustam*, usum duntaxat renovatum. Majolus in diebus canicul. colloq. 1. p. 20. ex Zonaræ tom. II. *E Tyberini posteris ortus est Amulius homo superbus, seque pro Deo venditare ausus, qui cum machinis quibusdam tonitrua tonitruis, fulgura fulguribus referret, ac fulmina jacularetur, subita inundatione paludis, ad quam habitabat, periit.* De Parthis Tanais, rex Scytharum, in epistola ad Vexorem, Ægyptiorum regem scribit, quod *fragosis vasis in modum & sonitum tonitrui hostes ferire procul consueverint.* Irenicus lib. IV. exeges. German. cap. 29. Josephus lib. III. de bello Jud. cap. 9. mentionem

5.) *An usus tormentorum bellicorum probandus?*

nem facit quarumdam machinarum in oppugnatione Jotapatæ urbis Galilææ adhibitarum, *e quibus emissa saxa murorum minas auferebant, angulos turrium frangebant, & viros, etiam e longinquo flantes, magna violentia prosternabant.* Sed hæ atque aliæ veterum machinæ cognationem forte aliquam cum nostris bombardis habuerunt, nequaquam vero eædem censendæ. Cornel. Kempius de orig. & statu Frisiæ libro II. cap. 20. scribit, artem illam bombardarum a *Cimosco*, *Frisiæ rege*, priscis temporibus circa annum Christi 1354. fuisse inventam. Alii vero, ut Caspar Goldwurmius in libr. mirabil. mathes. in Sarepta, Bucholzerus in chronol. &c. inventionem ejus tribuunt *cuidam monacho*, *quem Bartholdum Schwartzium* vocant, quem occasione ea balistarum illud genus excogitasse statuunt. Servabat ille monachus in cella sua in mortario pulverem sulphureum faciendæ medicinæ causa, illudque lapide texerat. Contigit autem, ut, dum ignem ex silice in propinquo excuteret, scintilla in pulverem incideret, ac subito erumpens flamma lapidem in altum tolleret, cujus rei eventu edoctus ferream fistulam paravit, & mortiferam illam machinam reperit. Alii *chymistæ cuidam* ejus inventionem vindicant, qui artis suæ beneficio pulverem tormentarium & machinam ipsam facile invenire potuerit. *Tempus inventionis* referunt ad annum 1380. imperante Wenceslao, primus ejus usus fuit in bello, quod ad fossam Clodiam Veneti cum Genuensibus gesserunt. De hisce tormentis bellicis haud injuria dicitur, optandum ea nunquam fuisse reperta: 1.) propter *ingentem hominum & ædificiorum*, quam edit, *stragem*. Camerarius part. II. med. hist. cap. 28. p. 164. *Tantum esse bombardarum impetum experientia testatur, ut vix quidquam ab earum violentia tutum consistere possit.* Polyd. Virgilius lib. III. de rer. invent. cap. 18. *Haud adduci possum, ut humanum ingenium istud invenisse credam, sed me hercule potius malum quempiam dæmonem monstrasse puto, ut homines inter se non modo armis, verum etiam fulminibus pugnarent.* Julius Cæsar Scaliger hoc monstrum ad internecionem hominum & destructionem ædificiorum inventum elegantissimis hisce versibus describit:

Tota gula est, tota est porrecto pectore rostrum,
Multipedes pedibus monstra duobus agunt.
Ferrea vox, qualem sibi quondam optavit Homerus,
Si tamen audisset, nollet habere sibi.
Vt ricino nullus postremæ est exitus alvi,
Sed saturo, quod non suscipit, ore vomit.

2.) Propter *bellicæ virtutis interitum ac perniciem.* Archidamus cum novum catapultæ genus ex Sicilia advectum olim videret, dixisse fertur: *O Hercules, viri periit virtus.* Plutarchus in Lacon. Id vero longe justius de hoc tormenti genere pronunciari potest, quippe quo ignavissimus strenuos quosque duces trucidare potest; hinc Ariostus in itin. suo Babyl. cap. 67. graviter detestatur hanc machinam, quod *per eam bellica virtus non solum corrupta, sed etiam fere sit sublata, cum omnem rei bene gerendæ conatum frangat, & successum interciptat.* Sed enim cum tales machinæ in oppugnationibus urbium & commissione præliorum sint usu receptæ, ideo earum etiam beneficio, vel potius maleficio in bello justo legitime adversus hostes uti possumus; cum quovis modo de hoste in bello vindictam sumere liceat, ac in vet. quoque test. machinæ bellicæ ad urbium expugnationem, & hostium prostrationem excogitatæ & adhibitæ legantur: Deut. XX. 20. *Ligna non pomifera succides, & ex illis machinas conficies.* 2. Par. XXVI. 15. *Ozias in Jerusalem fecit diversi generis machinas artificiose excogitatas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum, ut mitterent sagittas & saxa grandia, egressumque est nomen ejus procul, eo quod mirabiliter auxiliaretur illi Dominus, & corroborasset illum.* (*) Quomodo pericula, quæ

(*) *Jampridem reliquiæ imperii Romani devoratæ*

essent cum Vngariæ regno ab orientali antichristo, qui

ab illis impendent, caute declinanda, ac diligenter prospiciendum, ne machinæ illæ magno ære parte hostibus in prædam cedant, rei militaris scriptores monent, nobis placet illud Forcatuli, qui de imper. Gallorum libro IV. *verisimile sibi videri dicit, Deum singulari quodam judicio permisisse, tam perniciosum tormentum recenter reperiri, idque a christiano homine, ut mutuo terrore adfecti mortales, nec viribus ita confidentes, facilius alerent concordiam, & bella detestarentur, incerti ac mortiferi ictus timentes aleam.* Itemque illud ἀδήλε. τὴν χαλκογραφίην βομβάρδην τ' ἔσχατος αἰὼν. Ἑλλαχε, τὴν ὄφελος μὲν μέγα, τὴ δὲ ὄλεθρον. *Cum calcographia bombardam ætate senecta orbis habet, quarum hæc quam mala, tam illa bona est.* Vide Camerarius part. I. medit. histor. cap. 76. & p. II. medit. cap. 28. Junium quæst. 74. polit. Patritium libro de regno titul. 6. Reusnerum in arte stratag. libro I. cap. 20. quæst. 7. &c.

d.) *Conditio justi belli: finis bonus.*

§. CCCCXXVI. *Quarto* ad causam belli justam & modum ejus legitimum accedere etiam debet *finis bonus*, videlicet *pacis adquisitio & reipublicæ conservatio.* Hunc ergo finem in bello sibi princeps habeat propositum, ut bonum commune promoveat, ac publicam tranquillitatem procuret, non autem ut imperii fines dilatet, ut aliis nocumentum inferat, ut gloriam nominis sibi comparet, &c. Psal. LXVIII. 31. *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* 2. Reg. XIV. 10. *rex Joas* ad Amasiam bellum non necessarium moventem dicit: *Percutiens invaluisti super Edom, & sublevavit se cor tuum, contentus esto gloria, & sede in domo tua, quare provocas malum?* 1. Macc. V. 57. *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare adversus gentes.* De legitimo belli fine multæ exstant sententiæ apud Augustinum. In epist. ad Bonifac. circa medium: (est ad calcem libri ep. adjecta al. ep. CCVII.) „Pacem habere debet voluntas, bellum ne„cessitas, ut liberet Deus a necessitate, & „conservet in pace. Non enim pax quæritur, „ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut „pax adquiratur. Esto ergo etiam bellando „pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis „utilitatem vincendo perducas.„ Lib. XXII. contra Faustum cap. 74. in principio: "No„cendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, im„pacatus atque implacabilis animus, feritas „rebellandi, libido dominandi, & si qua si„milia hæc sunt, quæ in bellis jure culpan„tur, quæ plerumque ita culpantur, ut etiam „jure puniantur.„ Serm. XIX. de verb. Dom. in principio: "Apud veros Dei cultores etiam „ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate „aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut „mali coërceantur, & boni subleventur.

Epilogus eorum, quæ de magistratus officio dicta sunt.

§. CCCCXXVII. Atque hæc dicta sunt de *virtutibus & officio* boni principis, quomodo se *domi* ac *foris*, *pacis bellive* tempore, *erga Deum & homines*, *erga amicos & hostes* gerere debeat, quæ omnia brevibus complectitur Augustinus, quando libro V. de civitate Dei cap. 24. scribit: "Felices dicimus imperatores, si „juste imperant, si inter linguas sublimiter „honorantium, & obsequia nimis humiliter „salutantium non extolluntur, sed se homi„nes esse meminerunt, si suam potestatem ad „Dei cultum maxime dilatandum, majestati „ejus famulam faciunt, si Deum timent, di„ligunt, colunt, si plus amant illud regnum, „ubi non timent habere consortes, si tardius „vindicant, facile ignoscunt, si eamdem vin„dictam pro necessitate regendæ tuendæque „reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum „odiis exserunt, si eamdem veniam non ad „impunitatem iniquitatis, sed ad spem correc„tionis

qui multitudine copiarum omnibus terris prævaluisset, nisi bombardorum auxilio divinitus toties repulsus & maxima clade adfectus fuisset. Quid enim imperium ejus immanissimum a postrema obsidione Viennensi repressit aliud, quam bombardarum fulmina? quibus nihil formidabilius hosti, nihil quod majorem jacturam eidem adferat. Wimphelingius in epit. rerum German, c. 64. GERHARDVS.

„ctionis indulgent, si quod aspere coguntur „plerumque decernere, misericordiæ lenitate „& beneficiorum largitate compensant, si lu„xuria tanto eis est castigatior, quanto pos„set esse liberior, si malunt cupiditatibus pra„vis, quam quibuslibet gentibus imperare, „& si hæc omnia faciunt, non propter ar„dorem inanis gloriæ, sed propter caritatem „felicitatis æternæ, si pro suis peccatis humi„litatis & miserationis & orationis sacrificium „Deo suo vero immolare non negligunt.„ Idem Augustinus (vel quisquis alius auctor) de duod. abusionum gradibus grad. 9. in principio: "Regem non iniquum, sed corrrecto„rem iniquorum esse oportet, inde in semet„ipso nominis sui dignitatem custodire debet, „nomen enim regis intellectualiter hoc reti„net, ut subjectis omnibus rectoris officium „procuret. Sed qualiter alios corrigere pote„rit, qui proprios mores, si iniqui sint, non „corrigit? quoniam in justitia regis exaltatur „solium, & in veritate regis solidantur gu„bernacula populorum. Justitia vero regis „est, neminem injuste per potentiam oppri„mere, sine acceptione personarum in virum „& proximum suum judicare, advenis & pu„pillis & viduis defensorem esse, furta cohi„bere, adulteria punire, iniquos non exalta„re, impudicos & histriones non nutrire, im„pios de terra perdere, parricidas & pejeran„tes vivere non sinere, ecclesias defendere, „pauperes eleemosynis alere, justos super re„gni negotia constituere, senes & sapientes „& sobrios consiliarios habere, magorum & „ariolorum, pythonissarumque superstitioni„bus non intendere, iracundiam suam differ„re, patriam fortiter & juste contra adver„sarios defendere, per omnia in Deo confi„dere, prosperitatibus non elevare animum, „cuncta adversa patienter tolerare, fidem ca„tholicam in Deum habere, filios suos non „sinere impie agere, certis horis orationibus „insistere, ante horas congruas cibum non „gustare. Hæc regni prosperitatem in præ„senti faciunt, & regem ad cœlestia regna „meliora perducunt.„

Collatio boni ac mali principis.

§. CCCCXXVIII. Proderit etiam in *collationem boni ac mali principis*, quam Julius Pollux Commodo cæsari præscripsit, velut in speculum quoddam principem quotidie intueri. Regis sive boni principis laudes, ἔπαινοι τοῦ βασιλέως sic habent: Πατὴρ, ἤπιος, πρᾷος, ἥμερος, προνοητικὸς, ἐπιεικὴς, φιλάνθρωπος, μεγαλόφρων, ἐλεύθερος, χρημάτων κρείττων, ἔξω παθῶν, ἑαυτοῦ κρατῶν, ἄρχων ἡδονῶν, λογισμῷ χρώμενος, ὀξὺς, ἀγχίνους, περιεσκεμμένος, εὔβουλος, δίκαιος, σώφρων, θεοῦ ἐπιμελητὴς, ἀνθρώπων κηδεμὼν, στάσιμος, βέβαιος, ἀνεξαπάτητος, μεγαλογνώμων, ἰσχυρογνώμων, ἐνεργὸς, τελεσιουργὸς, φροντιστὴς τῶν ἀρχομένων, σωτὴρ, πρόχειρος εἰς ἐνεργεσίαν, βραδὺς εἰς τιμωρίαν, ἀσβαλὴς, ἀπλανὴς, ἀνφιβέστερος πρὸς τὸ δίκην ζογοῦ, εὐπροσήγορος, εὐέντευτος, μειλίχως, προσηνὴς, ἐπιμελητὴς τῶν ὑπηκόων, φιλοστρατιώτης, πολεμικὸς μὲν, οὐφιλοπόλεμος δὲ, εἰρηνικὸς, εἰρηνοποιὸς, εἰρηνοφύλαξ, παιδευτικὸς, ἀρχηγὸς καὶ ἀρχικὸς, νομοθετικὸς, εὐποιεῖν πεφυκὼς, θεειδὴς· πολλὰ δὲ ἔστιν, ἃ λόγῳ τις ἂν εἰπεῖν ἔχοι, οὐκ ὀνόματι. *Pater, placidus, mansuetus, mitis, providus, æquus, humanus, magnanimus, liber, pecuniæ contemtor, adfectibus major, sui ipsius victor, imperans voluptatibus, ratione utens, acuti judicii, ingeniosus, circumspectus, valens consilio, justus, modestus, curans religionem, procurator hominum, stabilis, constans, infallibilis, animo excelso, propositi tenax, (in re bona ac justa) efficax in agendo, perfector operum, (in re probe deliberata) curam agens subditorum, servator, paratus ad benefaciendum, tardus ad pœnam, securus, (sine metu, quo tyranni torquentur) non vagus, propensus ad justitiam, facilis accessu, facile admittens interpellantes, (audiens supplicantes) blandus, lenis, curans subditos, amans suorum militum, strenuus bellator quidem, sed belli minime cupidus, pacificus, pacis auctor, pacis custos, emendator morum populi, (adsertor disciplinæ) vere dux & princeps, legumlator, natus ad bene merendum, divina specie. Multa sunt*

sunt autem, quæ oratione dici possunt, singulis autem vocabulis exprimi nequeunt. Tyranni vituperium ὁ ψέγος τοῦ τυράννου sic exprimitur, Τυραννικὸς, ὠμὸς θηριώδης, βίαιος, πλεονεκτικὸς, φιλοχρήματος καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος, ἔρασι χρήματος, ἅρπαξ, καὶ τὸ τοῦ Ὁμήρου, δημοβόρος, ὑπερόπτης, ὑπερήφανος, δυσπρόσιτος, δυσπρόσοδος, δυσπροσήγορος, δυσέντευτος, δυσόργηδος, δύσθυμος, ἔμπληκτος, ταραχώδης, ἡδονῶν ἥττων, ἀκρατὴς, ἀκράτωρ, ἀλόγιστος, μισάνθρωπος, ἄδικος, ἄβουλος, ἄνισος, ἀνόσιος, νοῦ κενὸς ἔυκολος, ἐυμετάβολος, ἐυεξαπατήτητος, ῥᾴδως, ἀνήμερος, ἐπιθυμίαις ἐνδιδοὺς, ἀκόλαστος, ὑβριστὴς, πολεμοποιὸς, βαρὺς, ἐπαχθὴς, ἀκαθέκτος, ἀφόρητος. *Tyrannicus, crudelis, ferinus, violentus, avarus (semper plus habere desiderans) amator pecuniæ, rapax, populi devorator, superbus, elatus, difficilis aditu, ferox in accessu, parum salutans, paucos audiens, iracundus, tristis, stupidus, austerus, voluptatibus minor, (serviens) incontinens, immoderatus, ratione non utens, inhumanus, injustus, consilii inops, iniquus, impius, mente carens, levis, inconstans, facile deceptibilis, præceps, immitis, deditus cupiditatibus, incorrigibilis, injuriosus, auctor bellorum, gravis, molestus, effrenis, intolerabilis* Exstat etiam libellus Ferrandi, ecclesiæ Carthaginensis diaconi, qui Fulgentii συγχρονος fuit, in quo principi christiano hæ traduntur regulæ: 1.) *Te sine Dei gratia & auxilio nihil posse statue, & omnia ad gloriam Dei refer.* 2.) *Vita tua sit speculum subditis.* 3.) *Non præesse tantum velis, sed præsis tum per te ipsum, tum per alios, nec præferas honorem privatum publico commodo.* 4.) *Dilige rempublicam sicut te ipsum.* 5.) *Humanis divina præponito.* 6.) *Noli esse nimium justus & sapiens.* 7.) *Memento te esse christianum.*

Præmia bono & pœnæ malo magistratui exspectanda.

§. CCCCXXIX. Quod si juxta præscriptum harum regularum principes imperium fidei suæ concreditum administrent, ac constantem recte ac juste imperandi proæresin foveant, erit id Deo gratum, ipsis non solum honorificum, sed & salutare, reipublicæ utile atque commodum, unde Ferrandus regulis suis subjungit: "Sic & in hac „& in æterna vita ages feliciter, ubi ducibus „christianis dabitur perpetuus principatus.„ Sin vero tyrannorum mores imitari, suis cupiditatibus unice servire, & subditorum curam abjicere malint, cedet hoc tum in reipublicæ, tum vel maxime in ipsorummet Principum perniciem atque exitium. Pulcre Agapetus in exposit. parænet. tom. I. orthodoxogr. p. 184. "Sicut fit apud navigantes, quando „nauta errat, modicum adfert navigantibus „nocumentum: cum vero ipse gubernator, „totius efficit navigii perniciem: sic & in civitatibus, si quis ex subditis peccat, non „tam rempublicam, quam se ipsum lædit, „sed si ipse princeps, universæ infert reipublicæ detrimentum,„ quinimo tyranni se ipsos etiam exitio involvunt sempiterno. "Qui „enim in hoc seculo bene imperant, sine fine „in perpetuum regnant, & de gloria hujus „seculi ad æternam gloriam transeunt. Qui „vero prave regnum exercent, post vestem „fulgentem, lapillorumque nitorem, & nudi „& miseri ad infernum torquendi descendunt, ait Isidorus lib. III. de summ. bon. cap. 48. Esa. XXX. 33. *Præparata est ab heri Topheth pro rege*, (Assyrio tyranno & idololatra pessimo) *præparata profunda & dilatata, habitatio ejus ignis, & ligna multa, flatus Domini sicut sulphuris succendit eam.* Cogitent principes citissime præterlabi, imo prætervolare vitæ hujus gloriam, felicitatem & honorem, proinde mature cogitent de statione & gloria æterna. Illius fugacitatis hypotyposin egregiam proponit Augustinus (sive quis alius auctor) serm. XLVIII. ad fratr. in eremo, post medium: "Cum Romæ essemus apud ostia „Tyberina, &c. ductus sum cum cæteris ad „videndum cadaver Cæsaris in sepulcro, & „vidi, quod omnino esset lido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus „diruptum, & vermium per illum catervas „transeuntes prospexi: duo quoque famelici „in

„in foveis oculorum pascebantur, crines ejus „non adhærebant capiti, dentes ejus adpare„bant labiis consumtis, & revelatum erat na„rium fundamentum. Et intuens matrem „christianissimam dixi: Vbinam est Cæsaris „corpus præclarum, ubi magnitudo divitia„rum, ubi adparatus delitiarum, ubi multi„tudo dominorum, ubi caterva baronum, ubi „acies militum, ubi canes venatici, ubi equi „veloces, ubi aves cantantes, ubi thalamus „pictus, ubi lectus eburneus, ubi thorus re„galis, ubi thronus imperialis, ubi mutatoria „vestimentorum, ubi capilli solares, ubi fa„cies decora, ubi omnia, quæ sub cœlo sunt? „Te namque verebantur homines, te timebant „principes, te colebant urbes, te timebant „omnes, ubinam, quæso, hæc sunt omnia, „a quo recessit tanta jactantia? quo ivit tua „magnificentia? & respondit mater pietate „plena: Fili, omnia sibi pariter defecerunt, „quando defecit spiritus ejus, & reliquerunt „eum captivatum in sepulchro trium brachio„rum, plenum fœtore & putredine, &c.„ Merito igitur laudatur Maximilianus, qui aliquot annis ante obitum sandapilam, quocunque profectus est, secum circumferri voluit, ut ejus intuitu de mortalitate & reddenda imperii a se gesti ratione admonitus, partes officii sibi demandati, eo diligentius perficeret. Os. X. 7. *Transire fecit Samaria regem suum, sicut spumam super faciem aquæ.* Sicut bullæ in aqua celerrime evanescunt, sic regum splendor & potentia citissime interit. Sicut bullæ in aqua subinde aliæ aliis succedunt, sed tandem omnes dissolvuntur: sic reges in potestate alii alios ordine sequuntur, sed omnes tandem intereunt. Proinde ut Philippus, Macedonum rex, per puerum sibi quotidie adclamari curabat: *Memento te esse hominem*; ita pius princeps quotidie sibi occinat illud: *Memento te esse bullam.*

CAPVT VIII.

DE ADJVNCTIS MAGISTRATVS.

Adjuncta magistratus.

§. CCCCXXX. Diximus hactenus de *efficiente*, *materia*, *forma*, *fine & officio magistratus*, restat, ut ad explicationem *adjunctorum* transitum faciamus. Ad hanc προσκειμένων sive adjacentium classem referri possunt: 1.) *Virtutes & qualitates*, quibus magistratus instructos esse convenit, quales sunt, verus Dei timor, prudentiæ splendor, justitiæ amor, fidelitatis fervor, &c. sed de illis superius in descriptione personarum ad officium magistratus evehendarum late fuit dictum. 2.) *Difficultas muneris hujus*, quo magistratus fungitur, quæ conspicitur ex *officii illius dignitate & eminentia*, sunt enim dii terrestres, Deum igitur sanctitate in vita & moribus referre ac penitus exprimere debent, quod in hac carnis infirmitate difficillimum; *ex virtutum ac qualitatum, quæ in magistratu requiruntur, præcellentia, ex periculorum, quibus circumvallantur, varietate ac frequentia; qui regit, est tanquam signum aliquod, in quod sua jacula satan ac mundus dirigunt.* Lutherus tom. III. p. 365. (*) *ex occasionum, quæ ad peccandum ipsis offeruntur, multitudine ac copia*, qui enim possunt plurimum, omnia sibi licere arbitran-

(*) Jud. IX. 9. dicit oliva in parabola Jothami: *Numquid deseruam pinguedinem meam, & vadam* לָנוּעַ, *ut movear*, multis scilicet curis & molestiis, עֵץ *propter ligna.* Pagninus reddidit, *ut promovear super ligna*, scilicet in regem. Lutherus tom. I. Isleb. fol. 376. *Wen GOtt will zu einem Märtyrer machen, den setzet er an ein Ort, da er irgend regieren muss, und wenn ein solcher das Regiment mit gutem Gewissen führen, und seine Seele verwahren will, dem darf man die Teufel nicht über die Thür mahlen, noch zu Haus bitten, er wird sie ehe finden, als er gemeynt hätte.* Gerhardvs.

bitrantur; *ex graviſſima, quæ illorum lapſus conſequi ſolet, ruina*; etenim

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

2. Sam. XXIV. 13. *ex negotiorum ac rerum in imperio* expediendarum *multiplici cura*, quæ itidem non poteſt non varias ipſis adferre ſolicitudines ac moleſtias, cum leviſſimus etiam error multorum malorum quandoque poſſit eſſe cauſa. *Neceſſe eſt*, inquit Agrippa ad Auguſtum, imperii continuationem eidem diſſuaſurus, *ut qui imperium gerat, multis curis ac timoribus conficiatur, voluptates minime percipiat, moleſtiſſima quæque identidem, & videat, & audiat, & ſentiat: ex fortunæ*, cui non minus, ſi non etiam magis ſunt ſubjecti, quam plebeji, *lubricitate atque inconſtantia*; loquuntur enim hiſtoriæ, & teſtatur experientia, plurimos e ſede regia deturbatos fortunæ ludos feciſſe, quin & tragicos quorumdam magiſtratuum exitus fuiſſe: ex *ratione* imperii adminiſtrati olim reddenda, plusquam adcurata. Sap. VI. 4. &c. 3.) *Cognatio hujus ſtatus cum miniſterio eccleſiaſtico* & ordine œconomico; mutuas enim ſibi operas tres illæ hierarchiæ tradunt, & ad ſalutem generis humani omnes inſtitutæ ſunt, ut oſtendimus de miniſt. §. 2. 4.) *Honeſtæ recreationes* magiſtratui permiſſæ. Cum enim graviſſima imperii moles, quod profecto eſt onus Ætna gravius, gubernatorum humeris incumbat, ideo permiſſum ipſis eſt, ut liberalibus, honeſtis ac moderatis recreationibus difficultates illas temperent, ac vires animi atque corporis laboribus gubernationis exhauſtas reparent. Vt arcum ac lyram remittimus, quo melius tendi poſſint: ſic animus liberalibus exercitiis recreandus, ut ad labores poſtmodum ſit vegetior. Tales recreationes ſunt complures, a.) *Hiſtoriarum lectio*: Eſth. 6, 1. *Noctem illam duxit rex inſomnem, juſſitque ſibi adferri hiſtorias & annales priorum temporum, qui ipſo præſente legerentur.* Ex illa lectione princeps non ſolum honeſtam voluptatem, ſed etiam maximam utilitatem percipere poterit; hinc Demetrius Phaleræus teſte Plutarcho in apopht. monuit Ptolemæum regem, *ut commentarios de regno ac ſcriptores hiſtoricos ſibi compararet atque evolveret, nam quæ amici regibus ſubjicere non audent, ea in commentariis deſcribi.* Alphonſus dicere ſolebat, *optimos conſiliarios eſſe mortuos*, libros intelligens, qui ſemper adſint vocati, nihil adulentur. *Quid magis ſalubre ac frugiferum*, inquit Livius in præf. oper. *quam omnis te exempli documenta in illuſtri poſitum intueri, ut inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere, capias, inde fœdum incepto, fœdum exitu, quod vites.* b.) *Operum naturæ inveſtigatio*: De Salomone conſtat, quod regii muneris moleſtias rerum naturalium inveſtigatione diſcuſſerit: 1. Reg. IV. 33. *Diſputavit ſuper lignis a cedro, quæ in Libano, usque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de jumentis & volucribus & reptilibus & piſcibus.* Cavebit tamen princeps, ne imponi ſibi patiatur ab illis ciniflonibus, pſeudochymicis, qui metallorum in aurum transformationem pollicentur, cum ipſi extrema æris & argenti inopia laborent, de quorum fraudibus in peculiari tractatu Germanico egimus. c.) *Muſices oblectatio*: Propheta regius gubernationis laboribus defatigatus cytharam arripit, ac laudes Deo canit. d.) *Venatio*, de qua paulo poſt uberius dicetur, *ludi militares, exercitia equeſtria*, & quæ ſunt hujus generis complura, in quibus omnibus & ſingulis cavebit princeps, ne ἡδύσματα fiant ἐδέσματα, neve recreationes degenerent in exercitia quotidiana; cumprimis vero, ne adminiſtratione divinitus ſibi commiſſa in conſiliariorum humeros penitus rejecta ipſe interim voluptatibus & recreationibus ſeſe totum tradat.

§. CCCCXXXI. Quæritur hoc loco 1.) *An venationes ſint recreationum honeſtarum loco habendæ, & in principibus viris probandæ?* Multa contra venatores ac venationes ex effectis vitioſis adferuntur

1.) *An venationes in principibus probandæ?*

tur. (*) Rationes improbantium sunt, quia 1.) venationes ad *crudelitatem & sævitiam* adsuefaciunt. Vt enim Domitianus tyrannidem suam a muscarum transfixione auspicabatur: sic qui ferarum sanguine gaudent, humano etiam delectari incipiunt. *Per venationes animo in sævitiam ab humanitate degenerante homines a ferarum morte quotidiana in ipsos quoque homines sævire audent.* Pet. Gregorius in syntag. art. mirab. libr. XXIX. cap. 1. inde Aristoteles lib. I. pol. cap. 8. duo istihæc studia *venaticam & prædatoriam*, conjungit. *Venatores*, inquit Agrippa de vanit. scient. cap. 77. *abjecta humanitate ipsi feræ efficiuntur, morumque prodigiosa perversitate tanquam Actæon mutantur in beluas*, quo pertinet rythmus vetustus Germanicus:

Wer sich dem Jagen gar ergeit,
Wird gleich den Thieren mit der Zeit.

In dæmone venat. Spangenbergii venator sic describitur, quod *sit bestia sedens super bestiam, manu tenens bestiam, secum ducens bestiam & insequens bestiam.* 2.) Venationes *docent calliditatem* ingenuo & liberali animo indignam. Multas insidiarum species venatorem nosse oportet, qui feras persequitur, quibus animus semel imbutus vix ab insidiis proximorum sibi temperat. Petr. Gregorius d. l. 3.) Venatores *injurias irrogant* agrorum & sylvarum dominis, vinearum fructibus, satis ac novellis plantis. 4.) *Exactiones & onera maxima subditis imponunt*, sive canes sint alendi, sive pabulum feris præbendum, sive vigilandum in media hyeme ad retia, sive posthabitis operis rusticis venatoria instrumenta in alium locum transferenda. 5.) *Periculis longe maximis sese exponunt*, dum per montes & valles ac per prærupta viarum errabunda ferarum sequuntur vestigia. *Adrianus imperator* inter venandum fregit humerum, & crus pene contrivit. *Basilius imperator* a cervo in cornua sublatus ad terram non nisi mortuus rediisset, nisi discisso baltheo a quodam adparitorum liberatus fuisset. Quid *Francisco* I. Galliæ regi, *Maximiliano* II. imperatori & aliis dynastis in venatione obtigerit, in vulgus notum est. Exponunt etiam sese insidiis hostium, dum non satis spectatæ fidei hominibus se immiscent, ac per sylvas, saltusque, & per deserta ferarum soli quandoque vagantur. Vide Spangenbergium *im Jagdteufel.* 6.) *Bona fisci principalis & subditorum sudores in homines leves & venatoria instrumenta*, quorum ad venandum magnus necessarius est adparatus, *inutiliter profundunt*, cum fumtus in hanc artem factos lucrum nunquam exæquet, nedum superet, quo referunt Fulgentius in libro III. mythol. & Palæphat. de non cred. fab. narrat. libro I. cap. 3. fabulam *Actæonis*, qui a canibus suis devoratus, id est, omnibus opibus in canes consumtis tandem suo studio periit. 7.) Inde pii veteres contra venationem satis dura proferunt. Hieronymus in Psalm. XC. & citatur cap. *Esau &c.* distinct. 86. *Esau venator erat, quoniam peccator erat, & penitus non invenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* Augustinus in Psalm. CII. & citatur cap. *Qui venatoribus &c.* dist. eadem: *Qui venatoribus donant, non homini donant, sed arti nequissimæ. Nam si homo tantum esset, & venator non esset, non donares, honoras in eo vitium, non naturam.* Ibidem: *Qui venatori donant, hoc in illo amant, in quo est nequissimus, hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt, ipsam nequitiam publicant spectaculis omnium.* Idem in Psalm. CXLVII. & citatus cap. *Vident &c.* dist. eadem: *Vident homines venatorem, & delectantur,*

(*) Disputant contra nimium venationis studium Heigius p. I. q. 15. n. 8. P. Gregorius de republ. lib. X. cap. 6. Franc. Petrarchus de remed. utriusque fort. dialog. 32. Paris de Puteo in tract. de syndic. in pr. cap. 1. num. 39. & sequentibus. Eam in se consideratam inter res indifferentes poni, atque ita

ex tempore, loco, persona, modo & causa licitam & honestam, modo illicitam & inhonestam haberi posse, recte statuunt Lutherus in comment. ad cap. XXV. Genes. fol. 339. Heigius d. l. Tiraquellus de nobil. cap. 37. num. 148. GERHARDVS.

tur, væ miseris, si non se correxerint. Qui enim vident venatorem, & delectantur, videbunt salvatorem, & contristabuntur. Glossa tamen non de quavis, sed de arenaria venatione illud accipiendum esse docet, in qua cogebantur homines cum bestiis in arenam descendere, de qua Cassiodorus libr. V. cap. 42. & Cassander part. XI. glor. mund. c. 49. (*) 8.) Et venatorum nomine in scripturis quandoque *tyranni*, quandoque *diabolus* significatur Gen. X. 9. Psalm. XCI. 3. Thren. III. 54. &c.

§. CCCCXXXII. Atque hæc recte opponuntur illis, qui venationibus nimium indulgent, qui κυνηγετικομανίᾳ quadam correpti vitam, atque ætatem omnem in illis consumunt, sicut de Mithridate Pontico Patritius libro III. de regn. tit. 6. scribit, quod *annos septem neque urbis, neque ruris tecto usus inter sylvas quasi errabundus vagatus fuerit*, qui majorem voluptatis, quam ex venationibus percipiunt, quam officii sui, quam reipublicæ, quam subditorum habent rationem, qui primo diluculo *non ad ecclesiam vigilant, sed surgentes congregant servulos, disponunt retia, canes producunt, sylvas saltusque perlustrant, servulos, inquam, secum pertrahunt, fortasse magis ad ecclesiam festinantes, & voluptatibus suis peccata adcumulant aliena*; ut ex Ambrosio hom. XXXIII. de quadrag. loquitur cap. *An putatis &c.* dist. 86. *Qui miselli rusticis plagas inferunt, fata læta boumque labores diruunt, qui inter cervorum greges, quasi essent ex numero ipsorum, obambulantes, id tantum ab iis differunt, quod lineamenta hominis gestent*, ut de Hagide, Curetum rege, loquitur Justinus libr. XLIV. &c. quorum

Tunc etiam, defessa thoro cum membra reponunt,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit;

ut Thomas Morus canit: quibus merito occinitur illa episcopi Florentini admonitio, qua referente Rein. Reinneccio in chron. marchionem Brandenburgensem, qui eximiæ magnitudinis aprum nimis avide insecutus, noctem in sylvis agere coactus multis spectris & illusionibus satanæ territus fuerat, a nimio venationis studio abstrahere voluit: *Periclitari scilicet rempublicam, conculcari querelas viduarum & orphanorum, negligi justitiam, corrumpi magistratus, dum princeps officii sui immemor a medio foro se subtrahit, & per solitaria nemora feras confodit bestias.* Interim moderatus venationis usus recreationis ergo adhibitus in principibus improbari penitus non potest. (**) *Venatica* (inquit Sarisberiensis in suo policratico de nug. curial. lib. I. cap. 4. *immoderato voluptatis incursu virilem animum concutit, & fundamentum rationis subvertit, utilis autem & honesta esse potest ex loco, tempore, modo, persona & causa.* 1.) Deus ipse leges venationis præscribit. Levit. XVII. 13. *qui venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra.* 2.) *Isaacus* mandat Esavo filio suo, ut egressus in campum ferinam capiat Gen. XXVII. 3. *Simson* cum leonis catulo; Jud. XIV. 5. *David* cum leone & urso 1. Sam. XVII. 34. divinis auspiciis congressi feras istas debellarunt. *Salomon* venatione cervorum, caprearum ac bubalorum mensam regiam ferina instruxit, 1. Reg. IV. 23. *Benajas* unus ex heroibus in aula Davidis interfecit leonem in media cisterna tempore nivis. 1. Paral. XI. 22. 3.) Spiritus sanctus petitas ex venationibus *similitudines* ad res mysticas adcommodat. Psalm. XLII. 1. Cant. II. 15. Jer. XVI. 16. 4.) *Fortissimi heroes & laudatissimi principes* venationibus delectati sunt. *Marcus Antoninus* philosophus imperator a gravioribus reipublicæ curis animum remit-

(*) Illa a Moschis adhuc frequentatur teste L. B ab Herbenstein in descript. Moscov. GERHARDVS.

(**) Pro venatione disputant Sebast. Medic. in tract. de venat. part. II. q. 42. Tiraquellus de nobilit. cap. 37. n. 149. Gail. II. observ. 67. n. 1. Petr. Gregorius 39. synt. cap. 10. n. 8. *Legislatores venatoribus eo quod commentui & annonæ consulant, certas immunitates & a gravioribus muneribus vacationem concesserunt.* l. ult. ff. de jur. immun. GERHARDVS.

remittens in venationem perrexit. Julius Capitolinus in vita ipsius. *Alexander Severus* reipublicæ alioquin vel maxime intentus quandoque venabatur. Lampridius in ipsius vit. *Alexander magnus* post prandium sæpe diem venatu consumebat, & ubi ab armis atque acie quies erat, adsidua venatione oblectabatur. Plutarchus in Alexand. 5.) Venatio præstat *utilitates* non contemnendas. Julius Pollux monet imperatorem Commodum, ut venatione quandoque utatur, quod hoc sit *studium heroicum, conferens ad corporis animique virtutem. Optimi principes*, inquit Dion, *venationem exercent, ut rem saluberrimam, unde corpus robustius atque anima fortior efficitur, quippe in qua bellica omnia exercentur. Nam in ea equitare & currere, & atroces feras excipere, & æstum frigusque perferre, sæpe famem pati, necesse est.* Xenophon libro I. Cyrop. inquit, *venationis exercitium plurimum simile esse militari labori, ideoque qui ad bellum adsuefaciendi sunt, illos primis statim annis venationibus esse exercendos;* quod & Platonis libro VII. de legibus est consilium, cum quo congruit illud Philonis libro I. de vita Mosis fol. 393. *bellica ingenia præexercere se debent in venationibus, siquidem ea efficiunt hominem robustum, celerem, laboriosum.* 6.) Ipsa quoque *necessitas* venationem quodammodo commendat, ne scilicet ferarum copia nimis aucta subditis damnum inferat, neve principes nihil agendo male agere discant. (*)

§. CCCCXXXIII. Quæritur II.) *An principes venationes sibi solis jure vindicent?* Videtur id prima specie pugnare: 1.) *cum jure divino*, quia Deus ab initio dominium ferarum non solum principibus, sed universo hominum generi subjecit, Genes. I. 28. ac post diluvium hanc constitutionem suam repetivit Gen. IX. 2. Lactantius lib. de ira Dei c. 13. ante medium: *Intelligimus animantia ad usum hominis a Deo facta partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia, ut clarum sit, divinam providentiam rerum & copiarum abundantia hominem instruere atque ornare voluisse, ob eamque causam & aërem volucribus, & mare piscibus, & terram quadrupedibus implevit*; hinc *Esavus* in illa terra, in qua nihil habebat proprii, venationes instituit, Gen. XXVII. 5. Act. VII. 5. ac longo tempore post diluvium promiscua ferarum venatio duravit. 2.) *Cum jure naturali*: Aristoteles lib. I. polit. c. 8. *Plantæ sunt animalium gratia, cætera animalia hominum causa, mansueta quidem propter utilitatem & cibum, fera vero propter cibum & alia adjumenta, ut & vestis & cætera instrumenta ex iis fiant.* Cicero lib. II. de nat. deor. *Terrenorum commodorum naturalis est in homine dominatus, nos campis, nos montibus fruimur, nostri sunt amnes, nostri lacus.* Jam vero quæ sunt juris divini ac naturalis, ea sunt firma & immuta-

2.) *An principes venationes sibi solis jure vindicent?*

(*) Laudes venationis exstant apud Xenophontem libro de venat. & libro VIII. Cyropæd. apud Athenæum libr. I. dipnosophistarum cap. 20. apud Olaum magnum libro XVIII. cap. 41. apud Livium libro V. decad. 1. Julium Cæsarem libro VI. comment. Homerum libro VI. odyss. Ranzovius libro de sanitat. tuenda cap. 9. *Venatio non solum universas corporis vires, & partes ex æquo exercet, sed etiam animum mira voluptate adficit.* Lutherus tomo VI. Witeberg. pag. 369. *Venatio per se non est mala, & potest ejus studium pium & bonum esse &c. Finis venationis est, ut bestiæ crudeliores lupi, ursi, apri arceantur, & homines ac jumenta in tuto sint. Talis sit venatio, qua defendantur oves & aliæ bestiæ innoxiæ &c. deinde etiam honesta voluptas est & oblectatio concessa bis, qui utuntur ea sine injuria & pernicie subditorum. Sin aliter fit, res pessima & noxia est venatio.* Ranzovius eam sic descripsit:

Laudibus eximiis ars est decoranda Dianæ,
Si non exsuperat cum feritate modum.
Reddit enim timidos proceres ad prælia fortes,
Anxia lætificans corda dolore gravi.
Mollitiem pellit, sævique cupidinis arcus,
Languida jucundo membra labore levat.
Sternit apros, cervosque premit, qui damna colonis
Tristia dant rudibus dum male farra terunt.
Suppeditatque dapes, nigræque alimenta culinæ,
Pellibus hirsutis corpora nuda tegit.
Ergo venandi ne tu contemne laborem,
Hic tibi quandoquidem commoda dicta feret.
GERHARDVS.

mutabilia, §. *sed naturalia, institut. de J. N. G. & C.* ut nec princeps ea tollere possit. can. 1. dist. 5. 3.) *Cum jure gentium*, quod diu usu receptum nationes plurimæ coluerunt. De *Germanis* refert Tacitus in lib. de moribus Germ. quod *omnis ipsorum vita in venationibus ac studiis rei militaris fuerit consumta.* Xenophon lib. I. cyrop. de *Persis* dicit, quod publicam operam venationi dederint. De *Indis* idem testatur Bohemius libr. II. de moribus gent. cap. 9. de *Græcis* Xenophon libro de venat. &c. 4.) *Cum jure civili* l. *injuriarum* 13. §. ult. ff. *de injuriis*, ubi dicitur, *non posse aliquem prohiberi, vel in mari piscari, vel in quodam fundo aucupari*, quod de venationibus etiam dicendum, quippe quæ cum piscationibus & aucupiis sunt ejusdem juris & conditionis l. *item si fundi* 9. §. *aucupiorum.* l. *usufructuar.* 62. in princip. ff. *de usufruct.* Sic etiam §. *feræ institut. de rer. divis.* statuitur: *Feræ bestiæ & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur, nec interest, utrum feras bestias, & volucres in suo fundo quis capiat, an in alieno.* l. *quod in littore* 14. ff. *de adquir. rerum dominio: Feræ simul ac adprehensæ sunt, sine dubio ejus, in cujus potestatem pervenerunt, dominii fiunt.* (*)

§. CCCCXXXIV. Sed argumenta ista non sunt tanti roboris æstimanda, ut venationes principibus adimere possint, siquidem eas possident 1.) *jure dominii superioritatis ac traditæ gubernationis.* Cum enim olim consensu populi quidam in reges ac principes eligerentur, eo ipso traditum ac concessum ipsis fuit jus venandi, quo ob molestias, quas in imperio gerendo perferunt, recreationis causa uterentur. Osiander in comment. cap. XXIV. Jobi. Saltus & nemora, in quibus feræ vagantur, sunt loca publica, quo igitur jure loca publica ad principes pertinent, eodem etiam jus venandi in locis publicis ad ipsos spectat. Ex 1. Reg. IV. 23. haud obscure colligitur, jamdum tempore Salomonis venationes mensæ regiæ ferina instruendæ serviisse, ac proinde hominibus privatis ademtas fuisse. Jer. XXVII. 6. & XXVIII. 14. de rege Nabuchodonosor dicit Dominus: *Bestias terræ sive agri dedi ei, ut serviant illi.* Dan. II. 38. *Bestias agri & volucres cœli dedit Dominus in manu regis, &c.* 2.) *Jure occupationis*: Quæ jure naturali sunt communia omnium, ea occupatione unius alicujus fieri possunt, l. 3. in princip. ff. *de adquir. rer. domin. quod proprietate nullius est, sed usu omnium commune, id ratione naturali occupanti conceditur*; quocirca etiam jus venandi, licet primitus omnium hominum fuerit commune, attamen occupatione principum, aliorumque primatum fieri potuit proprium. Sic littoris usus, quamvis omnium hominum jure naturali communis sit §. *littorum quoque usus. institut. de rer. divis.* littoris tamen dominium aliquis occupando suum alicubi facere potest. l. *quod in littore* 13. ff. *de adquirend. rer. domin.* cur ergo non æque jus venandi, quod similiter, cum omnibus gentibus fuit commune, occupando principes aliique primores in suis territoriis suo dominio potuissent adjicere? Bozerus de regalibus cap. 1. num. 59. Sic pleraque jurisdictione privata ac propria sunt facta, quæ naturali jure sunt communia, ut de piscibus, gemmis & aliis nos docet experientia. Heig. in quæst. juris quæst. 15. (**) Confirmat hanc occupationem a principibus factam *utilitas publica.* Etenim *primo* indifferens venationum

(*) Theodorus Marcellus ad §. 12. institut. de R. D. vocat illud jus *usurpativum*, quod quidem majoris mali evitandi causa toleretur. argument. l. 23. §. ultim. ff. de injur. *inepture autem eos censet, qui hoc juri consentaneum esse adserunt. Inutiliter hac de re disputari, cum facti magis sit, quam juris,* sit Wehnerus in pract. observ. verbo *Forstrecht.* GERHARDVS.

(**) Competit etiam eis *jure compensationis*, quia populus id, quo ipse quoque uti poterat, lubens cessit principi in compensationem laborum ac vigiliarum, quas princeps habet pro populo. GERHARD.

tionum usus maximum discordiarum esset fomentum, cum *communio soleat parere discordiam.* l. *Cum pater* 77. §. *dulcissimis* 20. ff. *de legibus.* l. *in re communi* 26. ff. *de serv. præd. urban. Secundo* interdictus est privatis armorum usus t. t. Codic. *ut armorum usus*, jam vero absque illis venatio vix perfici potest. *Tertio* permissio venationis indifferens foret illecebra otii, ac avocamentum ab agricultura & operis rusticis, ab artificiis vitæ humanæ necessariis, &c. (*) *Quarto* per eamdem daretur occasio latrociniis, quibus alias nemora solent esse infesta & obnoxia. *Quinto* si cunctis indiscriminatim concessus esset venationis usus, brevi temporis spatio ferarum genus ad internecionem usque debellaretur, quas tamen servari publice interest. Tiraquellus de nobil. caap. 37. n. 150. 5.) *Jure præscriptionis*: Fridericus imperator juris venandi olim communis usum quadantenus coarctavit, & subditis præsertim rusticis illud ademit. §. *Si quis rusticus in verb. nemo retia. de pac. tenend. in us. feud.* id postea consuetudine receptum, & quia longa subditorum patientia adprobatum, vel ex hac ipsa patientia principes ejusmodi jura præscripserunt. Wesenbecius in parat. de adquir. rer. domin. n. 7. Jus piscandi in fluminibus publicis jure gentium omnibus est commune. §. *Flumina. institut. de rerum divis.* si tamen quispiam in fluminis publici diverticulo solus pluribus annis piscatus sit, alterum eodem jure uti prohibere potest. l. *Si quisquam* 7. ff. *de diverf. temporal. præscriptio.* l. *Præscriptio* 45. ff. *de usurp. & usucap.* jam vero quod de jure piscandi dicitur, exaudiri quoque debet de jure venandi, ut ostensum fuit superius. Quare cum principes pluribus annis venandi jure soli sint usi, integrum est ipsis, ab eodem jure alios prohibere, ac si vel maxime de jure occupationis dubitatio quædam supereesset, tamen temporis, quod hominum memoriam excedit, præscriptio jus illud venandi principibus conservaret; præsertim cum nec titulo nec bona fide destituantur, ut ostendunt Bocerus d. l. num. 63. Heigius lib. I. quæst. juris q. 15. n. 50. Fachinus lib. I. controv. cap. 1. Zoanetus in tract. de dupl. venat. n. 79. & alii complures.

§. CCCCXXXV. Ex his facile adparet, quid ad argumenta in contrarium adducta respondendum sit. 1.) Distinguendum enim inter *jus naturale primævum & secundarium*, illud est, quod primitus ingenitum humano generi; hoc, quod postea naturalis ratio inter homines constituit. Quæ juris naturalis primævi sunt, semper firma atque immutabilia permanent, quæ vero sunt juris secundarii, ad quæ etiam pertinet jus venandi, illa sæpe mutantur. 2.) Distinguendum inter *jus naturale & gentium consideratum in suo genere*, qua ratione semper manet firmum ac immutabile, & *consideratum in subjectis individuis*, qua ratione ex justa causa, si non penitus tolli, tamen minui potest ac temperari. 3.) Distinguendum inter *jus venandi ante occupationem, & citra præscriptionem consideratum*, atque *idem jus, quatenus occupatione ac præscriptione a quibusdam est adquisitum.* Non feræ solum, sed & mansueta animalia ac reliqua omnia initio fuere communia, quæ tamen subsecuto jure gentium occupata, & in certa dominia distincta fuerunt. (**) 4.) Distinguendum inter *id, quod permittitur*, & *quod imperatur.* Jure naturæ permissum est omnia esse communia; nemo tamen dixerit, juri naturali repugnare dominiorum distinctionem. Sic jure naturæ permissum est omnibus venari, sed non sequitur, ergo illud non potest quibusdam prohiberi. 5.) Thomas I. 2. q. 94. art. 5. sic distinguit, *feras esse jure naturali communes non adfirmative vel positive, sed negative*, hoc est, juxta explicationem Covar-

(*) Constitutio Ludovici ducis Wirtenbergici anno 1588. *So bald sie sich dem Wildprätschießen ergeben, werden sie werklos und Faullenzer.* GERHARDVS.

(**) *Non tam de jure quærendo, quam quæsito custodiendo hodie disceptandum.* Kulchenius *de Saxon. non prov. jur. verbo Ducum Saxon.* c. 5. in princ. GERHARDVS.

Covarruviæ, *non sunt in bonis vel proprietate omnium, quod est affirmative commune, sed quia ad nullius res pertinent*, idcirco dicuntur communes.

§. CCCCXXXVI. Caveant tamen principes, ne hoc jure venandi ad subditorum perniciem abutantur, quod multis modis contingere potest: 1.) si *feras nimium multiplicari* permittant, ac tantam illis indemnitatem procurent, ut armentis sese intermisceant, nec sint amplius, quod dicuntur feræ, sed domestica animantia. (*) 2.) Si prohibeant subditis, ne *feras* ex suis agris & vineis stantibus adhuc fructibus *abigere*, & molossos ad eam rem habere, vel etiam sepibus fundos suos munire possint, id quod publicæ utilitati directe adversatur; publice enim interest, sata & frumenta ad sustentationem hominis nata a feris non devastari. 3.) Si in ipso venandi exercitio possessoribus agrorum ac vinearum *plurimum damni* inferant, lætas segetes conculcent, & lachrymis agricolarum suas voluptates irrigent, quos Dominicus a Soto lib. IV. de just. & jure q. 6. art. 4. recte statuit ad *refusionem damnorum in foro conscientiæ obstrictos* teneri. 4.) Si *capitali supplicio* in eos animadvertere velint, qui feram unam vel alteram debellarint. Quamvis enim non damnemus principum constitutiones, in quibus sub pœna mortis venationes subditis prohibentur, ac jurisconsultis discutiendum relinquamus, an is, qui non casu, nec ex necessitate coactus, scilicet vel defensione vel paupertate, nec ex voluptate feram occiderit, sed ex contemtu legis etiam tertia vice, adeoque sæpius contra tale principis sui edictum, cui capitalis pœnæ comminatio diserte est adjecta, venatui pertinaciter indulserit, & ex ferinæ venditione magnum sibi lucrum adquisivit, non tam propter ipsam ferarum captu-

ram, quam propter pertinacem edicti principalis contemtum & extremam proterviam capitis pœna adfici possit; tamen piis principibus auctores sumus, ne in exsecutione pœnarum ad hanc severitatem descendant, sed mulcta pecuniaria, carcere, relegatione, aliisve pœnis sint contenti; ut enim monet Arnisæus lib. III. de jur. majest. cap. 4. num. 3. *cum jus venandi olim ad subditos pertinuerit, ac tituli illi principum, ex quibus illud sibi solis vindicant, non nimis firmis nitantur rationibus, ideo in eos, qui feras naturali sua libertate vagantes capiendo jus illud repetunt, crudeliter sævire non debent*, ac moderatiores jurisconsulti dicunt, nimis durum ac rationi dissentaneum videri, pro belua aliqua capta hominem ad imaginem Dei factum & Christi sanguine redemtum morte mulctari, & capite protinus plecti. Zoanetus de dupl. venat. num. 99. Wesenbecius in parat. ff. de adquir. rer. dom. num. 7. Jure Saxonico veteri expresse prohibitum, capitali supplicio ferarum captores adficere lib. II. *Landrecht* art. 61. *da GOtt den Menschen schuf, gab er ihm Gewalt über Vögel, Fisch und alle wilde Thier, darum haben wir dar ein Urkund von GOtt, daß niemand sein Leben an diesen dreyen verwirken kan.* Detestatione igitur dignum est, quod Galearius Sfortia coëgit colonum, ut leporem, quem ceperat, crudum cum pelle devoraret, ex quo mortuus est; Corius vol. VI. histor. Mediol. quodque adhuc hodie aliqui majoris æstimant vitam alicujus feræ, quam hominis, quibus Sarisberiensis in policrat. lib. I. cap. 4. *summam* tribuit *vesaniam. In tantam* (inquit) *quosdam vanitatis venatoriæ instinctu videmus erupisse vesaniam, ut hostes naturæ fierent, conditionis suæ immemores, divini judicii contemtores, dum in vindictam ferarum imaginem Dei exquisitis subjugant suppliciis.*

CAPVT

(*) Lutherus in cap. XXV. Gen. f. 339. de electore Saxoniæ Friderico III. memorat, quod ita venatus fuerit, ut nemini obesset, pluribus prodesset magis. *Si quando vel exiguum damnum datum intelligebat, solvebat id duplo. Sæpe etiam rusticis aliquot modios frumenti distribuebat, ut esset, quod feræ deglutirent.* GERHARDVS.

CAPVT IX.

DE PVGNANTIBVS CVM MAGISTRATV.

Pugnantia cum magistratu.

§. CCCCXXXVII. Ad contraria sive pugnantia referimus 1.) ἑτεροδοξίαν, *errores ac furores eorum*, qui potestatem & officium magistratus labefactant, quos superius suo loco enumeravimus: 2.) ἀναρχίαν καὶ ἀπειθείαν, *seditiones ac rebellionem subditorum*, qui divinæ ordinationi magistratus resistunt, & obedientiæ vinculum, quo obstricti tenentur, nefarie dissolvunt: 3.) κολακίαν, *adulationem eorum*, qui principum potestatem immoderate extollunt, licentiam quidvis faciendi ipsis concessam esse statuunt, & gnathonicis suis vocibus tyrannidi occasionem præbent: 4.) ἀκαταστασίαν, *eversiones & conversiones rerumpublicarum*, de quarum speciebus ac causis late disputant philosophus libro V. polit. Bodinus libro IV. polit. cap. 1. Tholosanus libro XXI. & sequentib. de republ. Patritius lib. VI. de institt. reipubl. cap. 5. Lipsius libr. IV. polit. cap. 10. & 11. Arnisæus lib. II. polit. cap. 2. & seqq. Junius part. I. quæst. 5. Schönbornius libr. VII. polit. & alii complures. (*)

§. CCCCXXXVIII. Mutationes rerumpublicarum Bodinus d. l. ad tria revocat capita: 1.) ἀλλάωσις, alteratio, quando respublica sic mutatur, ut prior ejus forma non desinat, nec nova succedat, ut si aliæ ferantur leges, si mutetur religionis status, si civitas in alium locum transferatur. 2.) Μεταβολὴ, conversio, qua reipublicæ forma in aliam mutatur, ut si monarchia degenerat in tyrannidem vel democratiam. 3.) Πανολεθρία, interitus ac abolitio, qua respublica penitus deletur. Causas mutationum plerique reducunt ad tres classes, videlicet divinam, naturales & humanas. *Divinæ* causæ adpellatione intelligunt Dei providentiam & decretum de periodis regnorum. *Naturales* sunt vel *remotiores*, ut vis stellarum & corporum cœlestium, vel *propiores*, ut temperamenta locorum, & qui ab his fere oriuntur, mores hominum. Causæ *humanæ* vel sunt exteriores vel interiores. *Exteriores* sunt alienæ respublicæ, quæ potentiores & vicinis inimicæ. *Interiores* in ipsis reipublicæ visceribus hærentes sunt vel *generales*, omnibus reipublicæ statibus atque ordinibus communes, vel *speciales* in ordine ecclesiastico, politico & œconomico; quod si enim idololatria, contemtus verbi, securitas, impietas, injustitia, libidines, luxuria ac similia delicta in omnibus vel aliquibus reipublicæ ordinibus invalescunt, conversiones & eversiones rerumpublicarum sequi consueverunt. Vide quæst. politic. decad. X. quæst. 1. 2. & 3. Scriptura sacra deducit nos ad *causam principem* unam, *Dei* scilicet *providentiam* ac dispositionem. Dan. II. 21. *Deus removet reges, & constituit reges.* IV. 22. *Donec scias, quod dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Act. XVII. 26. *Definit statuta tempora, & terminos habitationis eorum.* Tum ad causas *inferiores* complures, quæ sunt *peccata*, vel *magistratus*, vel *subditorum*, vel *utrorumque*, contra primam ac secundam decalogi tabulam commissa, quæ eversionibus rerumpublicarum Deus punire solet, qualia sunt *idololatria*: Jud. III. 6. cum *Israëlitæ oblivisserentur Dei sui servientes Baalim & lucis, vendidit eos Deus in manus regis Mesopotamiæ*; inobedientia: 1. Sam. XV. 26. *Projecisti sermonem Domini, & projecit te Dominus, ne sis rex super Israël*; contemtus verbi: 2. Paral. XXXVI. 16. *Israëlitæ subsannabant nuncios Dei, & irridebant sermones ejus, illudebantque prophetis, adduxit ergo super eos regem Chaldæorum*; vagæ libidines; Levit. XVIII. 27. *Omnes exsecrationes istas fecerunt adcolæ terræ, quæ fuerunt ante vos, unde terra eos evomuit*; injustitia: Eccles. X. 8. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos*; oppressiones subditorum: 1. Reg. XII. 16. *Videns populus, quod noluisset eos rex audire, defecit a domo David. &c.*

(*) Tria autem regnorum exitia, ἀσέβεια, ἀδικία, ἀσέλγεια, statuuntur a plerisque. GERHARDVS.

PARS III.

DE SVBDITIS.

§. CCCCXXXIX.

Ratio ordinis. Dictum fuit hactenus περὶ τῶν ἀρχόντων, *de illis, qui imperant*, qui potiorem ac præstantiorem politiæ partem constituunt; restat, ut porro disseramus περὶ τῶν ἀρχομένων, *de illis, qui parent*, qui numerosiorem ac copiosiorem politiæ cœtum absolvunt, semper enim eorum, qui parent in politiis, major est numerus, quam eorum, qui imperant, id quod ex singulis politiarum speciebus monarchia, aristocratia & democratia probari potest. *Subditorum* nomine intelligitur multitudo hominum, quæ regitur, ac comprehenduntur hoc nomine omnes ac singuli, qui sunt in illa civitate, provincia ac regione, cui magistratus præest, cujuscunque sint status vel conditionis. Quotquot enim ad rempublicam aliquam pertinent, illos ad alterutram ejusdem partem, videlicet vel ad *magistratum*, vel ad *subditos* referri oportet; unde consequitur *subditi* nomen generalius esse, quam *civis*, specifice & proprie sic dicti. Qui enim honorum ac dignitatum publicarum una cum aliis particeps est, is proprie *civis* est, sed qui onerum duntaxat, non vero honorum ac dignitatum particeps est, ille in ea, in qua degit, republica non est civis, sed *subditus*. Ἀντίστροφα hæc sunt, non ἀντιστρέφοντα, omnis quidem civis est etiam subditus, sed non omnis subditus est civis. Accedit insuper diversus respectus: civis dicitur respectu reipublicæ patriæ, in qua natus, vel cui adscriptus est; subditus respectu magistratus, cui paret.

Quinam dicantur subditi?

Quot modis fiant? §. CCCCXL. Subditos fieri dicunt duplici modo: 1.) *originе* sive *nativitate*; 2.) *domicilio* sive *habitatione*. Quod origo ac nativitas faciat subditum, probatur ex l. *Assumtio 6. §. 1. ff. ad municip. Filius civitatem, ex qua pater ejus originem ducit, non domicilium sequitur. Si quis ex diversarum civitatum parentibus natus sit, patris non matris conditionem sequitur*, l. *municipem 1. §. 2. ff. eodem*, nisi forte privilegio aliquo materna origo censeatur, tunc enim maternæ originis erit municeps. Vulgo quæsitus matris conditionem sequitur. Domicilium, in quo quis fortunarum suarum sedem figit, subditum constituit, quantum vero temporis spatium ad contrahendum domicilium requiratur, interpretes juris variant, qua in re cujusque reipublicæ leges ac mores respiciendos esse, non absurde statuitur. Congruit cum hac jurisconsultorum distinctione, qua subditi dicuntur fieri *obligatione* vel *naturali* vel *voluntaria*. Naturali obligatione subditus est, qui sub jurisdictione & dominio magistratus illius, cui subest, natus est. *Voluntaria obligatione* subditus est, qui magistratui alicui ultro ac sponte sese subjicit, & pro superiore eum recognoscit, etiamsi sub ejus dominio non sit natus. Addi autem potest tertia species, quia subditi etiam fiunt *debellatione*, quando scilicet in justo bello magistratus suæ potestati ac jurisdictioni quosdam subjicit.

Quotuplices subditi? §. CCCCXLI. Cæterum subditi in duplici sunt differentia. Quidam enim sunt *mere subditi*, qui nullam partem potestatis obtinent, sed superiori potestati simpliciter sunt subjecti: quidam vero sunt *mixti subditi*, qui vel ex legibus fundamentalibus, vel ex pacto vel consuetudine in partem potestatis sunt recepti, ideoque eandem in superiore magistratu quodammodo limitant ac restringunt. Sic electores in imperio Romano quasi ephori quidam constituti sunt ac custodes juramenti, quod imperator ante solennem inaugurationem imperio præstat. Antequam enim ad summum illud imperialis potestatis fastigium princeps evehatur, leges in capitulatione comprehen-

sas

sas juramento interposito recipit, ac fidem det electoribus scripta cautione, quod ab iis nullo modo velit recedere. *Capitulatio* illa est lex Germanorum regia, qua populi Germanici summum imperium in imperatorem designatum certis conditionibus transfertur; proinde imperatoris potestas non ex antiqua Romanorum, sed ex hodierna sub Henrico IV. nata, & sub Carolo IV. inprimis confirmata lege regia definienda est, ex qua constat, quod non sit absoluta & omnimoda potestas, sed legibus imperii fundamentalibus adstricta, quibus velut ex pacto & conventione obligatur. Hortlederus in q. ex Sleidano n. 5. & seqq.

An personæ ecclesiasticæ a potestate magistratus sint exemtæ?

§. CCCCXLII. Quæritur h. l. *An personæ ecclesiasticæ a potestate civilis magistratus, etiam christiani sint exemtæ?* Pontificii absolute & ἀδιακρίτως adfirmant, nos distincte respondendum censemus. (*) 1.) In personis ecclesiasticis sive clericis duo consideranda sunt. Primo *ecclesiasticum*, quod gerunt, *officium* in verbi prædicatione, sacramentorum administratione, disciplinæ ecclesiasticæ conservatione, &c. occupatum. Deinde *politicum*, quo civili societati obstricti sunt, *vinculum*. Illius ratione in actibus ecclesiasticis ac spiritualibus ad potestatem ecclesiasticam internam pertinentibus magistratui non sunt subjecti; neque enim magistratus potest nec debet illis præscribere aliam docendi, errores & peccata arguendi, sacramenta administrandi, &c. formam, quam est in verbo ipsis divinitus præscripta, quin potius magistratus christianus tanquam membrum ecclesiæ ad episcopum ac verbi præconem habet se tanquam ovis ad pastorem, ideoque peccata sua ex verbo argui & taxari, inique ferre neutiquam debet. Quod adtinet *vocationem* ministrorum, eorumdemque si vel erronea doctrina, vel impia vita scandalo sit, *remotionem*, item *legum ecclesiasticarum promulgationem*, *ceremoniarum institutionem* atque obligationem, quæ ad potestatem ecclesiasticam externam pertinent, in illis, an aliqua & qualis potestas christiano magistratui competat? superius fuit expositum, cujus potestatis limites neutiquam transgredi, nec ea, quæ vel cum tota ecclesia, vel cum presbyterio communia habet, sibi soli vindicare debet. 2.) Sed præter hoc ecclesiasticum officium civili etiam societati eædem personæ tenentur obstrictæ; sunt enim non solum ministri ecclesiæ, sed etiam membra ac partes reipublicæ, quo respectu duo in illis spectanda sunt: *personæ* & *fortunæ*, sive facultates temporales. Personarum suarum respectu magistratui civili sunt subjecti; cum enim sint partes reipublicæ, oportet eos vel ad magistratus vel subditorum ordinem referri: jam vero civilem magistratum nec gerunt nec gerere debent, ad subditorum igitur classem hoc respectu pertinent. Proinde ut reliqua membra reipublicæ legibus honestis ad civilem societatem pertinentibus obligantur, ita quoque iisdem personæ ecclesiasticæ obstrictæ tenentur. Vt legum transgressores incurrunt pœnas a magistratu in legibus definitas, ita quoque easdem personæ ecclesiasticæ effugere non poterunt propter obedientiæ vinculum, quo magistratui & legibus sunt obligatæ. 3.) Distinguendum tamen inter *delicta clericorum*. Etenim si *in officio suo* delinquant, tum cognitio & pœna illius delicti,

(*) Præmisso hoc, quod *libertas* illa sive immunitas spectetur vel in personis sive *clericis ipsis*, vel in eorum *bonis*. Personarum immunitas consideratur respectu negotiorum sive causarum, quæ sunt vel ecclesiasticæ vel politicæ. Illæ sunt, quæ ad conscientiam pertinent, & non nisi ex verbo Dei legitime definiri possunt. Suntque ejusmodi controversiæ de fide & de disciplina ecclesiæ. Hæ vero, quæ ad res civiles & œconomicas pertinent, & ex legibus magistratus politici legitime decidi possunt & solent in judicio civili. Bonorum clericalium immunitas consideratur præcipue vel in tributis, quæ solvuntur ex agris, prædiis, aliisve possessionibus immobilibus ac mobilibus, imo in ipsis personis & capitibus, (quod tamen potius est onus personale, quam reale) vel in vectigalibus, quæ penduntur pro mercibus exportandis & importandis sive ordinarie, quæ jussu legum semper numerari solent, sive extraordinarie, quæ tantum ad præsentem aliquam necessitatem exiguntur, & postea desinunt. GERHARDVS.

cti, utpote ecclesiastici non pertinet ad solum magistratum christianum, sed ad totam ecclesiam, vel ad illos, qui publico ecclesiæ nomine hoc officio fuunguntur, ad senatum scilicet ecclesiasticum. Sed si committant delicta, *civilem societatem turbantia*, eaque vel *capitalia* vel *non capitalia*; tum cognitio & pœna illius delicti pertinet ad magistratum civilem. 4.) Distinguendum etiam inter magistratum civilem *summum & inferiores*. Non enim sequitur, clerici in temporalibus subjecti sunt magistratui, ergo cuivis etiam inferiori magistratui sunt subjecti, ita ut consul oppidanus ac prætor paganus potestatem habeat ecclesiæ ministrum in jus vocandi, vel etiam in vincula conjiciendi. Pro diversitate enim ordinum diversa etiam sunt dicasteria, ita ut sub uno supremo magistratu aliud sit tribunal civium, aliud nobilium, aliud verbi ministrorum. Sic in ecclesiis reformatis, quamvis per pacificationem Passavienfem jurisdictio episcopalis in principes evangelicos sit translata, tamen recte & competenter illi faciunt, quod non immediate nec per consiliarios politici regiminis eandem exercent, sed præfecerunt pastoribus superintendentes, & instituerunt consistoria ecclesiastica, in quibus & ecclesiasticæ & politicæ personæ præsident, quibus in clericos certa determinatione, ordine ac modo jurisdictio est adtributa. Sic Paulus 1 Tim. V. 19. adcusationes contra Presbyteros institutas ad Timotheum episcopum deferri voluit. 5.) Distinguendum inter *actiones personales & reales*, quam distinctionem petimus ex constitut. eccles. electoris Augusti in cap. *de immunitatibus ecclesiæ ministrorum*. p. 106. cujus verba sic habent: *Wenn die Kirchendiener gleich andern unsern Unterthanen in Sachen ihre Person belangend* in actionibus personalibus *vor den Gerichten, da sie der Kirchen dienen, zu Recht stehen sollten, ihnen und ihrem Amt dadurch Verkleinerung erfolgen möchte, so ordnen und wöllen mir demnach, wann sich zwischen unsern Amtleuten, einen oder mehr unsern Unterthanen gegen einem Pfarrherr, Prediger, Diacon, oder Subdiacon, Speen oder Widerwillen zutrüge, dass anfänglich die Sach und Partheyen durch den Superintendenten desselbigen Orts neben dem Amtmann, Gerichtsherrn oder Collatorn, wofern derselbe nicht Parth, oder sonst der Sachen verwandt ist, oder auch zweyen Schöppen oder Kirchvätern gütlich verhört, auch unterstanden werde, sie mit wissenden und billigen Dingen zu vereinigen. Da aber über solche Unterhandlung und angewendten Fleiss sie einander rechtliche Forderung nicht erlassen wollten, soll der Superintendens mit dem Amtmann, Erb- oder Gerichtsherren an unser Consistorium gelangen lassen, was sie zwischen ihnen gehandelt, wie auch alle Sachen geschaffen, und an wem die Gütligkeit erwunden, daselbsten durch sie unsere Consistorialen der Partheyen Zwitracht und Sachen, so viel müglich, gütlich und ohne Weitläuftigkeit, auch da die Güte nicht Statt fünde, durch Recht, doch ohne langen Process, summarischer Weise entschieden werden sollen. Was aber ihre und ihrer Weiber angefallene oder erkauffte eigenthümliche Erbgüter und dergleichen* actiones reales *dingliche Sprüche und Forderung betrifft, sollen unsere Kirchendiener an Orten, da andere unsere Unterthanen schuldig seyn Recht zu nehmen und zu geben, deren Austrag gewarten.* 6.) Pari ratione distinguendum inter *onera personalia & realia*. Personalia ministris ecclesiæ non sunt imponenda, ne officii auctoritati & otio ad ejus administrationem necessario quidpiam decedat, inde l. *generaliter*. & l. *presbyteros* C. *de episc. & cler.* Justinianus statuit, *ut presbyteri a muneribus personalibus, quæ obeuntur industria & opera adhibita, immunes essent;* si enim ad illa adstringerentur, fieri non posset, quin a suo munere abstraherentur, ac confunderetur dignitas sacerdotis, ut dicitur l. *nec honore*. C. *eod.* l. *fin.* C. *de excus. muner.* Sic ergo ecclesiæ ministri cogendi non sunt, ut in acie versentur, (nisi sacrorum causa) ut vigilum munus una cum aliis subeant, &c. ubi tamen quidam addunt limitationem, si patria in extremo versetur discrimine, ac præsentissimum

tissimum sit periculum, ne in manus hostium veniat, tum personas ecclesiasticas, si sint numero plures & armorum peritæ, teneri, ut reipublicæ perituræ opem ferant. 7.) *Onera realia* quod adtinet, distinguendum inter *bona*, quæ ecclesiastici possident. Vel enim sunt *sacra & ecclesiæ consecrata*, vel *non sunt sacra*, sed ab ipsis per emtiones, hæreditates, jura connubiorum, aliave media adquisita. De his posterioribus, si sunt tributaria, magistratui solvendum, quod debetur. Rom. XIII. 6. res enim transit cum onere, ac *onera realia res & quocunque possessores sequuntur.* l. *imperatores* 7. ff. *de publ. & vectig.* cap. *Si quis laicus &c.* 16. q. 1. Quod si vero ecclesiæ ministri non possideant bona aliqua propria, sed tantum ex bonis sacris sive ecclesiasticis vivant, ad tributa solvenda cogi nequeunt; hinc Lutherus tom. VII. Jen. f. 449. ad concionatorem aulicum scribens graviter improbat, quod tributum contra Turcam a pastoribus exigatur, inter cætera sic loquitur: *Wovon sollens die Kirchendiener geben, so sie nichts eigens haben, und eben so viel ist, als nehme mans von dem Kirchengut, das ist, von Allmosen, oder wie man spricht, von unsers HErrn Christi Füssen.* 8.) Circa bona sacra & ecclesiastica distinguendum inter ea, quæ a magistratu, vel subditis ab omni vectigalium & *tributorum onere prius soluta atque libera* ecclesiæ sunt consecrata, & inter ea, *quæ non sunt libera, sed pensiones annuas magistratui semper hactenus solverunt.* Priora merito utuntur hac libertate, nec imponuntur illis onera tributorum, sic ager Ægyptiis sacerdotibus assignatus a pensione annua quintæ partis fructuum fuit immunis; Gen. XLVII. 22. Levitis, cantoribus, janitoribus, Nathinæis vectigalia, tributa & annonæ non fuerunt impositæ. Esdr. VII. 24. Posteriora per ipsam consecrationem non fiunt a tributis libera, nisi accedat magistratus consensus. 9.) In ipsis etiam ecclesiasticis bonis plane liberis distinguendum inter tributa *ordinaria* & *extraordinaria*. Ab ordinariis quidem tributis bona illa sunt libera, interim si ecclesiæ ac reipublicæ salus extraordinariæ contributionis necessitatem requirat, si captivi redimendi, si hosti potentissimo pro religione ac libertate conservanda tributum persolvendum, tunc ex illis etiam bonis tributum exigi potest, nimirum si ecclesiastici non ea tantum obtineant, quæ ad necessitatem & ordinis dignitatem faciunt, sed etiam ea, quæ ad abundantiam, ut in papatu cuivis obviam. Sic Ezechias 2. Reg. XVIII. 15. thesauros Deo consecratos Sennacheribo pacis redimendæ causa persolvit. Quod ergo Honorius & Theodosius l. *placet.* C. *de sacrosanct. eccl.* ab extraordinariis contributionibus clericos exemerunt, id intelligendum excepto casu *necessitatis & publicæ utilitatis*, ut colligitur ex l. *jubemus.* C. *eod.* quo pertinet dictum Hugonis lib. II. de sacram. part. 2. c. 7. *Nunquam possessiones a regia potestate ita elongari possunt, quin si ratio postulaverit & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patrocinium, & illi ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium*: Non tamen debet esse ficta, sed vera reipublicæ salutem concernens. 10.) Denique distinguendum inter *immunitatem* & exemtionem clericorum *generalem, totalem & indeterminatam*, quæ sit *juris divini*, qualem tam *personarum*, quam *rerum* ratione pontificii clericis tribuunt, & inter *immunitatem* & exemtionem clericorum *specialem, partialem & limitatam*, quæ est *juris humani*, ex principum piorum beneficio ac privilegio in ordinem ecclesiasticum descendens, qua certis quibusdam in casibus respectu personarum vel rerum a publicis oneribus ac subditorum officiis eximuntur. Priorem tantum, non autem posteriorem impugnamus, hic enim itidem locum habet vulgatum illud: *Vtrumque malum, immoderata libertas, & immoderata servitus.*

§. CCCCXLIII. Producimus igitur contra pontificios hæc argumenta: 1.) A *generali obedientiæ mandato.* Vbicunque homines jubentur magistratui obedire, ibi in genere omnes absque ulla limitatione vel determinatione ad obedien-

Argumenta nostræ sententiæ:
1.) a generali obedientiæ mandato.

dientiam præſtandam invitantur. Matth. XXII. 21. Marc. XII. 17. Chriſtus ad phariſæos, qui ad clerum pertinebant, dicit: *Date cæſari, quæ ſunt cæſaris.* Bernhardus epiſt. XLII. *Quod hic ore locutus eſt, mox opere implere curavit. Conditor cæſaris cæſari non cunctatus eſt cenſum reddere. Exemplum enim dedit vobis,* (clericis, quia ſcribit ad archiepiſc. Senon.) *ut & vos ita faciatis.* Tit. III. 1. *Admone illos, principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe & dicto obedire.* 1. Pet. II. 13. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, ſive regi tanquam præcellenti, ſive præfectis ab eo miſſis, quia ſic eſt voluntas.* Cumprimis huc pertinet inſignis locus apoſtolicus Rom. XIII. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſuper eminentibus ſit ſubdita, &c.* in quem locum ſic commentatur Chryſoſtomus hom. 13. in ep. Rom. in princ. *Oſtendit apoſtolus, quod iſta imperentur omnibus & ſacerdotibus & monachis, non ſolum ſecularibus, id quod ſtatim in ipſo exordio declarat, cum dicit:* Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſit ſubdita, *etiamſi apoſtolus ſis, ſi evangeliſta, ſi propheta, ſive quisquis tandem fueris, neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio. Et non ſimpliciter dixit, obediat, ſed ſubdita ſit.* Theophylactus in comm. h. l. f. 374. *Apoſtolus erudit & inſtituit omnem animam, ſive ſacerdos quispiam fuerit, vel monachus vel apoſtolus, ſubjici poteſtatibus, ipſa enim ſubjectio non invertit pietatem.* Bernhardus ep. XLII. ad archiepiſc. Senon. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita. Si omnis, & veſtra. Qui vos excepit ab univerſitate? ſi quis tentat excipere, conatur decipere.* Idem ep. CLXX. *Etiamſi totus terrarum orbis adverſus me conjuraret, ut aliquid moliar adverſus regiam majeſtatem, ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab ipſo regem offendere temere non auderem, memor ejus: Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Eundem locum urget contra Adrianum II. Carolus Calvus, Galliæ rex, in epiſt. ad pontificem, quæ exſtat in catal. teſt. verit. pag. 942. § *Unde ſitut, &c.* Sic ergo concludimus: Qui dicit omne, nihil excludit. Apoſtolus omnes homines poteſtatibus ſublimioribus ſive magiſtratui jubet eſſe ſubjectos. Ergo non excludit eccleſiæ miniſtros, quin imo cum ſcribat ad omnes, qui ſunt Romæ, *dilectos Dei, vocatos ſanctos* Rom. I. 7. inter quos etiam locum habuerunt eccleſiæ illius miniſtri, utique etiam eos magiſtratui obedire jubet. Excipit 1.) Bellarminus lib. de cler. c. 28. prop. 3. "Quamvis jure divino ſit omnis „anima ſublimioribus poteſtatibus ſubjecta, ac „per hoc etiam regibus, dum ſublimiores po„teſtates ſunt; tamen fieri poſſe, ut qui nunc „eſt ſublimior poteſtas, paulo poſt non ſit, „ut ſi ipſe ſubjiciat alteri partem ſui regni, „vel jure belli, aut alio juſto titulo regnum „vel regni partem amittat. Quoniam ergo „clericos partim ipſi principes ſubjecerunt in „omnibus cauſis, etiam temporalibus & civi„libus, epiſcopis ſuis, & ſummus pontifex „clericos omnes exemit a ſubjectione princi„pum ſecularium, ſequitur, ut reſpectu cleri„corum principes non ſint ſuperiores poteſta„tes." *Reſp.* Petit Bellarminus principium, id enim in quæſtione eſt, an principes clericos a ſua poteſtate exemerint, vel eximere debuerint? & an pontifex Romanus eos ex principum poteſtate eximere potuerit? Si exemtio illa deſcendit ex principum indulgentia & privilegio, non deſcendet ex jure divino, quia conceſſio privilegii eſt voluntatis, ſed juris divini ſanctio eſt ſtrictæ neceſſitatis. Nec potuit vel poteſt pontifex contra jus divinum aliquid ſtatuere, jam vero clerici ex jure divino obligantur ad obedientiam magiſtratui civili præſtandam. Ergo pontifex non potuit illos ab obedientia eximere. Fruſtra alibi Bellarminus excipit, "reges & principes in ſua „ad chriſtianiſſimum converſione ſceptra ſua „Chriſto, hoc eſt, Chriſti in terris vicario, „Romano ſcilicet pontifici ſubjicere, proinde „pontificem ab eorum poteſtate clericos exi„mere potuiſſe." Aliud enim eſt Chriſto, aliud pontifici ſe ſubjicere. Quod ſi principes Chriſto fidem dantes, eo ipſo amittunt jurisdictionem civilem in clericos, tum privantur ſuo jure absque ulla culpa, quod eſt abſur-

absurdum. 2.) Idem c. 30. §. *quarto &c.* aliter excipit, „sententias apostolorum Rom. XIII. „1. Petr. II. esse generales. Quamvis enim „nominatim in iis fiat mentio regum, quo„niam eo tempore valde necessarium erat di„ligenter monere christianos, ut regibus obe„dirent, ne fidei prædicatio impediretur; ta„men absolute verba illa tam b. Petri, quam „b. Pauli nihil aliud significant, nisi debere „omnes homines suis legitimis superioribus „debitam obedientiam exhibere, quare non „potest ex his testimoniis apostolicis probari, „clericos principibus seculi, vel ipsorum le„gibus obtemperare debere, nisi prius probe„tur, principes ac reges seculi esse legitimos „superiores & judices clericorum.„ Eandem exceptionem adducit lib. II. de Rom. pont. c. 29. resp. ad 3. eamque repetit in resp. ad 8. propos. in caus. Venet. & contra Barclai. c. 3. *Resp.* Scopus apostoli est redarguere eos, qui prætextu libertatis christianæ homines abducebant ab obedientia magistratui, etiam infideli & ethnico, in civilibus præstanda, ut Chrysostomus in comment. observat, & suo loco demonstratum fuit. Ergo in specie agit de magistratu politico. Præterea de tali potestate loquitur apostolus, quæ *gladium portat*, & cui præstantur tributa. ita vero non est ecclesiastica, sed politica. (*) Sed demus, apostolum de quibusvis superioribus loqui; nihilo tamen minus manet illud, quibus in rebus aliquis præest, in iis reliquos ipsi obsequi debere, ac proinde etiam ecclesiasticos principibus, qui in rebus temporalibus præsunt, obsequium debere, quemadmodum in spiritualibus parendum est episcopis ab omnibus, ac proinde etiam ab ipsis principibus, quatenus scilicet potestate sua juxta verbi limites utuntur. Quod Bellarminus dicit, *in quæstione adhuc esse, an reges seculi sint legitimi superiores clericorum*, id ex textu apostolico firmiter probari dicimus. Apostolus enim generaliter loquitur, quod *omnis anima potestatibus sublimioribus debeat esse subjecta*, & profert argumenta generalia, quæ ipsos etiam clericos concernunt, videlicet, quia magistratus est *Dei ordinatio, tui, qui resistit, Dei ordinationi resistit;* quia contemtus & inobedientia trahit secum pœnas, obsequium vero laudem habet; quia obedientia erga magistratum necessaria est, non tantum propter *iram* sive pœnam fugiendam, sed etiam propter *conscientiam*; quia tributa magistratui solvimus. Jam vero hæ rationes sunt generales, & Christus etiam pharisæis jussit tributa cæsari dare, quin ipse etiam tributum pro se & Petro solvere voluit, ut postea dicetur. Ergo etiam clericorum respectu principes sunt sublimiores potestates. 3.) Alii excipiunt, *per animam intelligendos esse homines animales & carnales, qui sint distinguendi a spiritualibus*, quo adcommodant Origenis interpretationem. *Resp. anima* phrasi hebræa ponitur pro homine per *synecdochen* usitatam: Gen. XIV. 21. XLVI. 27. Ezech. XVIII. 20. Act. II. 41. 1. Petr. III. 20. &c. omnis ergo anima notat omnes omnino homines, ut recte monet Chrysostomus, & ex scopo & circumstantiis textus est manifestissimum. Origenes se ipsum satis explicat, sic enim addit: *Petrus & Johannes nihil habebant, quod cæsari redderent, dixit enim Petrus, aurum & argentum non habeo. Qui hoc non habet, nec cæsari habet, quod reddat, nec unde sublimioribus subjaceat potestatibus. Qui vero habet pecuniam aut possessiones, aut aliquid in hoc seculo, audiat, omnis autem anima potestatibus sublimioribus subjaceat.* Jam vero episcopi, prælati, abbates & sacerdotes habent pecuniam & possessiones. Ergo potestatibus sublimioribus debent subjacere. Digni certe sunt illi spirituales, qui eo migrent, ubi solis spiritibus est locus,

(*) *Nulla tunc temporis alia, quam politica & temporalis potestas vulgo ab hominibus agnoscebatur. Et apostolus ita suas epistolas conscripsit, ut non solum conversos ad fidem erudiret, sutque officii admoneret, ne existimarent, se ita Christi sanguine redemtos, ut ulli amplius potestati seculari obedire tenerentur; sed etiam ut ethnicis & infidelibus crederet, legem christianam nulli jus suum auferre, nec esse ullo modo temporali regum & imperii auctoritati & potestati contrariam.* Barclajus de potest. pap. GERHARDVS.

locus, si unam cum illis, qui anima & corpore constant, rempublicam constituere, ejusque legibus sese obsequentes præbere nolunt. 4.) Mandatum Christi de cæsari dandis, quæ sunt cæsaris, Matth. XXII. 21. Jacobus de Terano Vrbani VI. cubicularius sic accipiendum esse statuit, quod *non nisi usque ad ascensionem ejus præcepti vim habuerit, sed post ascensionem omnia imperia a cæsare & regibus ad Christi vicarium fuisse transferenda*, probat ex Joh. XII. 32. Sed hoc recitasse est refutasse, cum Petrus, quem primum Christi in terris vicarium fuisse volunt, etiam post Christi adscensionem subjectionem erga principes terrenos ab omnibus requirat.

2.) *A sacerdotum in vet. test. exemplo.*

§. CCCCXLIV. II.) A *sacerdotum in vet. test. exemplo.* Si vet. test. sacerdotes fuerunt potestati magistratus politici subjecti, utique idem de ministris ecclesiæ in nov. testam. dicendum. *Connexio probatur*, quia ut Bellarminus ipse scribit prop. 5. *constat id nunc esse in ecclesia clericos, quod erant Levitæ in testamento veteri.* Jam vero sacerdotes vet. test. fuerunt potestati magistratus politici subjecti, ut constat exemplo illorum regum ac ducum, qui in sacerdotes exercuerunt jurisdictionem politicam. *Moses* præficitur Aaroni in Deum, Exod. IV. 16. & in peccatum prolapsum eumdem corrigit. Exod. XXXII. 21. *Levitæ* non solum Aaroni, sed etiam Mosi, qui erat princeps civilis totius populi, fuerunt subjecti. *David ex regali unctione sacerdotibus & prophetis præfuit in causis seculi*, ut loquitur Gratianus. *Salomon* propter crimen læsæ majestatis Abjatherem pontificem, non tantum sacerdotio exuit, sed & morte mulctavit, quamvis gratiam ipsi fecerat propter merita, quibus parentem sibi devincierat. 1. Reg. II. 26. *Levitæ* juxta mandatum regis Ezechiæ instituunt reformationem. 2. Paral. XXIX. 15. &c. Excipit 1.) Bellarminus de cleric. cap. 30. in resp. ad argumenta Medinæ: *Mosen non solum principem civilem totius populi, sed etiam summum sacerdotem fuisse, & Aaronem majorem, quamvis extraordinaria potestate*, quo refert locum Psalm. XCVIII. *Moses & Aaron in sacerdotibus ejus*; *item consecrationem Aaronis a Mose peractam. Resp.* imo vero unicus tantum quovis tempore fuit summus sacerdos in vet. test. ad exprimendum typum Christi unici illius in nov. test. ἀρχιερέως. Inauguratio & consecratio Aaronis ac filiorum ejus fuit extraordinarium opus peculiari Dei præcepto Mosi demandatum, quo peracto nullam muneris sacerdotalis partem postmodum adtigit, sed ducis ac legislatoris partes obivit. In Psalmo habetur vox כהנים, quæ generalis est, virum *primarium ac principem* in ecclesiastico vel politico ordine constitutum significans, ut superius ostendimus. 2.) Ad exemplum Salomonis excipit contra Barclajum c. 15. *factum Salomonis narrari tantum, non probari.* Sed quia idem obverti potest omnibus exemplis, quæ pro stabilienda sua opinione Bellarminus ex vet. test. adducit in prop. 5. hujus libri de clericis, & cumprimis quia manifeste constat, Abjatherem cum Adonia conspirasse, ac crimen læsæ majestatis commisisse, 1. Reg. II. 22. atque hac ratione in pœnam magistratus incidisse; (quia rex divino mandato constitutus fuit custos utriusque decalogi tabulæ Deut. XVII. 18. qui ergo in earum alterutram offendebat, in pœnas ejus jure ac merito incurrebat) ideo aliter excipit lib. II. de Rom. pont. c. 26. arg. 4. *Salomonem non ut regem, sed ut prophetam & exsecutorem divinæ justitiæ deposuisse Abiathar surrogato Sadoco. Resp.* Hæc posterior exceptio repugnat priori. Si enim Salomon in hoc facto, ut propheta & divinæ justitiæ exsecutor egit; utique factum illud non solum narratur, sed etiam probatur, absit enim, ut statuamus Deum per prophetas suos quædam agere, quæ probari non possint. Sed negamus Salomonem hic egisse, ut prophetam, & non ut regem, quia ad jus regium pertinebat illa superioritas & jurisdictio, quam Salomon in hac depositione exercuit, quo referri possunt similia exempla, in quibus summi sacerdotes a regibus fuere instituti & correcti:

recti: 1. Paral. XXIII. 27. *juxta præcepta David supputabantur Levitæ, & certa ministeria illis ordinabantur*; 2. Paral. XVII. 8. *mittit Josaphatus Levitas & sacerdotes, qui docerent populum Juda, & reformationem cultus instituerent*; 2. Paral. XXIX. 30. *præcepit Ezechias Levitis, ut hymnos canerent, & sacrificia Deo offerrent. Josias & Judas* Maccabæus idololatricis cultibus abolitis per sacerdotes reformationes instituerunt 2. Par. XXXIV. 1. Macc. IV. &c. *Joas* sacerdotum & Jojadæ pontificis negligentiam arguit. 2. Paral. XXIV. 6. Bellarminus quidem ex verbis: *ut impleretur sermo Domini*, immediate subjectis 1. Reg. II. 17. demonstrare nititur Salomonem inspiratione prophetica, non autem potestate regia Abjatherem depositisse. Sed constat ex nov. test. formulam illam sæpius usurpari, etiam de illis factis & eventibus, ad quæ non accedit peculiare aliquod mandatum. Matth. XXVII. 35. Marc. XIV. 49. Joh. XIX. 24. &c. Nec est, quod regerat, *juxta fontes hebraicos de Salomone dici, quod impleverit sermonem Dei*; ex eo enim nondum colligi potest, quod Salomon ut propheta, & non ut rex eum sermonem impleverit, quemadmodum enim duplici modo Deus exercet vindictam, ordinarie per magistratum, qui dicitur *minister Dei vindex ad iram*, & extraordinarie per se ipsum: ita quoque sermonem suum implet, tum per ordinariam magistratus potestatem, tum per extraordinaria prophetarum facta.

3.) *A Christi in nov. test. exemplo.*

§. CCCCXLV. III.) *A Christi in nov. test. exemplo.* Christus ad apostolos & ipsorum successores dicit, *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*; Joh. XIII. 15. ac *sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*; Joh. XX. 21. item *discite a me.* Matth. XI. 29. Jam vero Christus tum in *personalibus*, tum in *realibus* obedientiam præstitit civili magistratui. Ergo Christi ministri eamdem præstare debent. Prior pars *adsumtionis* confirmatur ex Joh. XIX. 11. ubi Christus ad Pilatum dicit: *Non haberes potestatem super me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, in quem locum sic scribit Bernhardus epist. XLII. ad archiepisc. Senon. *Quid secularitatem contemnitis? nemo secularior Pilato, cui Dominus adstitit judicandus.* Non haberes, *inquit*, in me potestatem, nisi desuper tibi esset datum; *jam tunc pro se loquebatur, & in se experiebatur, quod per apostolos clamavit in ecclesiis*; *Non est potestas nisi a Deo.* Ibidem: *Dicite, si audetis, sui præsulis Deum ordinationem nescire, cum Romani præsidis potestatem Christus super se quoque fateatur fuisse cœlitus ordinatam.* Et ante Bernhardum Augustinus in h. l. aperte docet, *potestatem Pilati in Christum fuisse a Deo juxta illud apostoli*: *Non est potestas nisi a Deo.* Posterius probatur ex Matth. XVII. 27. ubi pro *se & Petro* censum solvit, addita ratione, *ne scandalum præberet.* Fuit sane Christus dominus omnium, ideo ex necessitate non solvit illud tributum; interim scandali vitandi ergo solvere voluit, ne quis scilicet ipsius exemplo libertatis jus sibi arrogaret. Quod si ergo Christus hoc fecit, multo magis ipsius ministri illud facere tenentur. Si pro Petro Christus voluit censum dari, utique pontifices, qui se Petri successores vocant, magistratui censum dare non recusent. Irenæus lib. V. adv. hæres. c. 24. *Dominus tributorum exactoribus jubet pro se & pro Petro dare tributum, quoniam ministri Dei in hoc ipsum deservientes.* Isidorus Pelusiota lib. I. epist. CCVI. *Suo nomine fiaterem dare præcepit, utpote homo effectus, atque omnibus conditionibus nostris subjectus, nec imperatori, cum ea imperat, quæ minime noxia & pernicioſa sunt, obluctari permittens, ac divinæ potentiæ vim ac facultatem ostendens.* Hieronymus, qui nihil ulla ex parte simile illi immunitati, qua hodie clerici papales fruuntur, suis temporibus viderat, clericos propter illam principum libertatem, qua jam tum fruebantur, infelices pronunciat, videns dubio procul, quantum ecclesia adiret periculum, ne ditata corrumperetur. *Dominus noster* (scribit in comm. h. l.) *tributa quasi regum filius non debebat, sed qui humi-*

litatem carnis adsumserat, debuit adimplere omnem justitiam. Nos infelices, qui censemur nomine, & nihil dignum tanta facimus majestate: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus. Excipit Bellarminus de cler. c. 30. §. *Sed ad hæc &c. Christum subjectum fuisse Pilato de facto, non de jure, & potestatem desuper datam, quam Christus in Pilato agnoscit, non fuisse potestatem judiciariam, sed permissionem. Resp.* Concedimus hoc; interim tamen manet illud, quod Christus non restiterit potestati præsidis, sed eidem sese subjecerit, exemplum obedientiæ & patientiæ nobis hac in re exhibens. *Si regnum meum esset de hoc mundo*, inquit, *ministri mei certarent, ne traderer tibi.* Quemadmodum igitur Christus non arripuit mundanum regnum, nec armis externis magistratui etiam abutenti potestate sua restitit; sic ecclesiæ ministri non arripiant dominium temporale, nec de solio deturbent politicum magistratum, sed patienter eidem sese submittant, etiamsi potestate sua quandoque abutantur. Pontifex contrario modo procedit, is se & clericos suos a potestate civili penitus eximit, subditos a juramento absolvit, principes de solio deturbat, si non ad ipsius nutum ac placitum regimen politicum administrant. Et quid? num de facto tantum Christus agnoscit cæsarem superiorem, quando ipsi tributum dare jubet, atque ipsemet illud persolvit? Ad locum igitur Matth. XVII. excipit c. 28. §. *Objicit &c. Christum solvisse tributum, quia voluit, non quia debuit*, addit enim, *ergo liberi sunt filii. Resp.* Concedimus, Christum non ex jure necessitatis solvisse tributum, sed ex arbitrio spontaneæ subjectionis ac voluntatis ob causam, quam ipse exprimit, videlicet ne scandalum daret, sed potius ad obedientiam magistratui præstandam suo exemplo alios invitaret, quæ ratio cum sit generalis, ipsos etiam clericos tangens, ideo ex hoc contra exemtionem clericorum recte ducitur argumentum. Addit ibidem Bellarminus, *Hieronymi interpretationem*, qui verba Domini de tributo, quod cæsari solvebatur, exponit, *minus probabilem sibi videri, quia tributum, quod solvebatur cæsari tempore Christi, non erat didrachmum, sed denarius* Matth. XXII. ideo præfert expositionem Hilarii, qui exponit *de tributo, quod imposuerat Deus filiis Israël in usum templi*, Exod. XXX. quam sententiam amplectitur etiam Baronius tom. I. annal. an. 33. num. 31. nec improbat Casaubonus exerc. XV. sect. 19. *Resp.* Ex circumstantiis textus colligitur, tributum illud pro cæsare fuisse exactum & collectum, quia Christus *de regibus terræ* expresse postea quærit, & Pompejus jam olim Hierosolymam ac totam Judæam in Romanorum potestatem redactam ipsis fecerat tributariam. Josephus lib. XIV. antiq. c. 8. Quod Bellarminus ex lib. VII. Josephi de bello Judaico c. 26. probare conatur, *post eversum demum templum a Vespasiano institutum fuisse, ut tributum didrachmi, quod Judæi omnes singulis annis solvebant, deinceps in capitolium deferretur:* id non est eo sensu accipiendum, quasi ante Vespasianum Judæa non fuerit tributaria, ac quasi fiscus ille non fuerit jam ante etiam fisco cæsaris illatus, sed quod Vespasianus Judæis, *ubicunque degerent*, ut notanter loquitur Josephus, hoc stipendium indixerit, sic ergo tributum, quod jam ante a multis annis Judæis terram patriam inhabitantibus impositum fuerat, etiam iis, qui extra Judæam viverent, a Vespasiano impositum fuit. Lyserus in harm. evang. c. 91. p. 473. Confirmat hanc expositionem Jansenius c. 69. harm. p. 521. *Hilarii sententiam* (inquit) *non esse veram, sequentia docent, ex quibus satis patet, didrachma hæc non exigi secundum legem*, (Exod. XXX.) *sed secundum præceptum Romanorum, quibus Judæi jam erant facti tributarii. Quærit enim Dominus a Petro, a quibus reges terræ acciperent tributum vel censum, quo manifeste significatur, didrachma hæc exacta fuisse pro tributo & censu Romanis debito. Nam & Matthæus utitur dictione Romana κῆνσος*, hoc est, *census.* Postea ad locum Josephi eodem modo respondet, Vespasianum scilicet non omnino novum tributum Judæis imposuisse,

sed

sed quod Judæis inhabitantibus Judæam impositum fuerat, etiam aliis extra Judæam degentibus fuisse ab ipso indictum. Idem statuit Barradius lib. X. harm. c. 32. p. 717. *Non recipitur* (inquit) *Hilarii sententia. Etenim hoc tributum, quod a Christo petebatur, non Deo, sed Romanorum imperatori vel Herodi solvebatur, ut ex illis verbis Christi colligitur: Simon, reges terræ a quibus accipiunt tributa?* Et postea: *Probabilius puto, tributum illud non a sacerdotibus in templi sumtus, sed a publicanis in impensas imperatoris Tiberii, vel tetrarchæ Herodis fuisse exactum.* Paulo ante solvit argumentum Bellarmini: *Numisma tributi imperatoribus dari soliti fuit denarius, non didrachmum*, Matth. XXII. *Ergo hoc loco non potest intelligi tale tributum.* Respondet Barradius, *denarium numisma census adpellari, quod pars esset tributi, duo enim denarii solvebantur; vel dici potest, tributum a Romanis indictum fuisse denarium, numisma census ob id dictum, tributum vero Herodis, qui civitati Capernaum imperabat, fuisse didrachmum.* Salmeronius tom. VI. tract. 37. pag. 238. idem statuit, & præter argumenta jam adlata etiam hæc urget: *Si in usus tabernaculi colligeretur hoc didrachmum, non in Capernaum, sed in templo Hierosolymorum acciperetur, nec pro duobus, Christo & Petro, sed pro omnibus & finguit apostolis, qui excederent annum vigesimum, &c.* cum illis ergo Bellarminus transigat.

4.) *A Pauli apostoli facto.* §. CCCCXLVI. IV.) A *Pauli apostoli facto.* Is Act. XXV. 10. a synedrio Hierosolymitano adpellat ad cæsarem. *Ad tribunal Cæsaris sto*, inquit, *ubi me oportet judicari.* A quo & coram quo se oportere judicari apostolus adserit, illum agnoscit judicem, competentem ac legitimum. Item: Ad cujus tribunal aliquis adpellat, ejus potestati sese submittit. Paulus adpellat ad tribunal cæsaris. Ergo cæsaris potestati sese submittit. Quod si ergo tantus apostolus cæsarem agnovit superiorem, ejusdemque potestati sese subjecit, utique ejus in ministerio successores cæsari, hoc est, politico magistratui sese subjectos esse agnoscant. Excipit Bellarminus cap. 30. de cler. in resp. ad 3. arg. Covarruviæ: *Paulum coactum fuisse adpellare cæsarem, quia oppressus fuerit calumniis Judæorum, & injustitia præsidis Romani, qui solum cæsarem agnoscebant superiorem. Itaque ipsum de facto solum, non de jure cæsarem judicem agnoscere debuisse, nec sine risu exceptum fuisse, si Petri, supremi principis ac judicis sui, coram Judæis vel gentilibus mentionem facere voluisset. Resp.* Imo vero apostolus non de facto solum, sed etiam de jure loquitur, expresse enim dicit, *coram cæsare stari, oportet, me judicari.* Provocat apostolus ad jus Romanæ civitatis, Act. XVI. 37. XXII. 25. cui adhæret provocatio ad cæsarem, summum Romanorum magistratum. Quod si jure divino apostolus sese a jurisdictione cæsaris exemtum statuisset, non potuisset beneficio provocationis sive appellationis ad cæsarem uti, quin imo secundum canonistas graviter peccasset, quia *clericus, qui se potestati seculari subjicit, secundum ipsos graviter peccat.* cap. *Significasti &c.* cap. *Si diligenti de for. compet.* Deinde si *Paulus non sine risu exceptus fuisset, si Petri, supremi sui principis & judicis, mentionem facere voluisset;* Bellarminus etiam risu excipiendus erit, quod Petro monarchicum in ecclesiam dominatum tribuit, in quo ne umbra quidem monarchicæ illius potestatis conspicitur. Lib. II. de Rom. pont. c. 29. resp. ad 2. Bellarminus eamdem exceptionem ponit, *cæsarem scilicet de facto fuisse Pauli judicem, non autem de jure;* sed firmitati ejusdem diffisus subjicit, *melius dici posse, discrimen esse inter principes christianos & ethnicos. Nam quo tempore principes erant ethnici, non erat pontifex illorum judex, sed e contrario illis subjectus erat in civilibus omnibus causis non minus, quam cæteri homines. Merito itaque Paulus cæsarem adpellavit, eumque judicem agnovit, cum adcusaretur seditionis & tumultus in populo excitati. At cum principes christiani facti sunt, continuo se tanquam oves & membra*

capiti subjecerunt præsidi ecclesiasticæ hierarchiæ. Resp. Evangelium non abolet politias, &, ut Bellarminus ipse hic loquitur: *Lex christiana neminem privat suo jure.* Ergo etiam imperator & principes per suam ad fidem Christi conversionem nullam jurisdictionis ac potestatis suæ partem amiserunt. Si enim potestatem, quam in clericos habebant, per suam ad christianismum conversionem amisissent, utique lex christiana parte aliqua juris ipsos privasset, quod absurdum, quia *quod meum est, sine mea culpa a me auferri nequit.* l. 11. de R. J. Subjecerunt se quidem præsidi ecclesiastico tanquam oves pastoribus, non absolute ac simpliciter, sed in spiritualibus; nam in temporalibus, ut suum statum atque officium, in quo divinitus constituti sunt, ita quoque potestatem officii sui sartam tectam retinuerunt. Vidit Bellarminus hanc difficultatem, ideo contra Barclajum de pot. pap. 34. addit limitationem: *Lex christiana neminem privat suo jure ac dominio, nisi quis sua culpa privari mereatur.* At quam culpam committunt principes, quando relicto ethnicismo ad Christum convertuntur? Cap. 3. contra Barclajum urget hoc, *quod quæstio, de qua Paulus accusabatur, non pertinuerit ad magistratum politicum, ideoque non jus, sed factum duntaxat ex hoc loco colligit. Resp.* Non ob religionem duntaxat apostolus accusabatur, sed etiam aliorum criminum peragebatur reus, ut colligitur ex ipsius verbis v. 8. *Neque in legem Judæorum, neque in templum, neque in cæsarem quidquam peccavi*, ac v. 7. *Judæi dicuntur* πολλὰ καὶ βαρέα αἰτιώματα *ipsi objecisse.*

5.) *Ex rationum momento.*

§. CCCCXLVII. V.) Ex *rationum pondere ac momento*: Prima petitur a *clericorum conditione ac statu.*

a.) *A clericorum statu.*

Quicunque sunt cives ac partes reipublicæ, illi, nisi sint cum imperio, subjecti esse debent civili magistratui. *Connexio* probatur, quia duæ tantum sunt integrantes reipublicæ partes, *magistratus*, scilicet ac *subditi.* Sed clerici sunt cives & partes reipublicæ, in qua vivunt; Ergo subjecti esse debent civili magistratui. Assumtum probat Dominicus a Soto lib. IV. dist. 25. q. 2. art. 2. ac constat ex dicto Optati Milevitani libro III. contra Parmen. quod *respublica non sit in ecclesia, sed ecclesia in republica.* Bellarminus ipse l. de cleric. c. 28. prop. 2. *Clerici præterquam quod clerici sunt, sunt etiam cives & partes quædam reipublicæ politicæ, igitur ut tales, oportet eos obedire reipublicæ legibus ac magistratui, quia non decet, ut membra a capite discrepent, ac contraria gerant*, ait Victor cap. *Celebritatem &c.* dist. 3. de consecrat. *ac turpis omnis pars toti suo non congruens.* cap. *Quæ contra &c.* dist. 8. *omne membrum debet esse subjectum suo capiti*, inquit Bellarminus lib. de monach. c. 19. Clerici sunt membra reipublicæ. Ergo etiam subjecti esse debent capiti reipublicæ civili scilicet magistratui. Joh. Medina pontificius in C. de restit. q. 15. argumentum sic informat: „Non repugnat rationi, ut homines addicti „obsequio Dei & spiritualibus functionibus „subsint in rebus temporalibus ac civilibus ma„gistratui seculari. Nam sicut princeps secu„laris, ut christianus & in rebus spiritualibus „est ovis & filius sacerdotum, ita e contrario „sacerdotes, ut cives & in rebus temporalibus „dici possunt oves & quasi filii principum se„cularium.„ Item: "quia unum est tantum „ecclesia continens clericos & laicos, & eccle„siæ caput est summus pontifex, ideo subsunt „omnes eidem summo pontifici, tum clerici, „tum laici; igitur eodem modo, quoniam „una est civitas continens laicos & clericos, „& civitatis caput est princeps secularis, ideo „subjecti esse debent omnes, tam laici, quam „clerici in iis, quæ pertinent ad bonum re„gimen civitatis.„ Est, qui tali similitudine rem declarat: Quemadmodum, cum in navi vehuntur, & *remiges*, quibus gubernator, & *milites*, quibus tribunus præest, utrumque hoc genus hominum tribuno in militaribus imperiis, utrumque vicissim gubernatori in iis, quæ ad rem nauticam pertinent, paret: sic in christianæ reipublicæ navi alii curant res eccle-

sia-

cleſiaſticas, qui vulgo appellantur clerici, alii politicas, qui laici dicuntur. Illis præſunt epiſcopi, his principes. Quemadmodum igitur in rebus ad Chriſti regnum directe pertinentibus utrosque epiſcopis tanquam Dei legatis parere convenit: ita in iis, quæ ad hanc terrenam vitam pertinent, utrosque principis imperio ſubjectos eſſe par eſt. Excipit Bellarminus ad Medinæ argumentum libr. de clericis cap. 30. reſp. ad ultim. object. 1.) *principem quidem ovem ac filium ſpiritualem ſacerdotis eſſe, ſed ſacerdotem nullo modo ovem ac filium principis dici poſſe. Reſp.* Imo vero hoc requirit natura relatorum. Principes ſunt *paſtores.* Eſa. XLIV. 28. Jer. XLIX. 19. Zach. X. 2. ac *patres* 1. Sam. XXIV. 12. Job. XXIX. 16. totius reipublicæ atque omnium civium. Quod ſi ergo clerici ſunt cives & partes reipublicæ; utique princeps eorum etiam pater ac paſtor erit, & ipſi erunt ejus oves ac filii. Unde igitur probat Bellarminus, hoc eſſe abſurdum? "Quia, inquit, ſacerdotes & omnes „clerici ſuum habent principem ſpiritualem, „a quo non in ſpiritualibus ſolum, ſed etiam „in temporalibus reguntur, nec fieri poteſt, „ut duos agnoſcant principes in rebus tem„poralibus, cum juxta evangelium nemo poſ„ſit duobus dominis ſervire.„ *Reſp.* Bellarminus principium petit, ac ſibi ipſi contradicit. Prius patet, id enim in quæſtione adhuc eſt, an clerici debeant habere talem principem proprium, a quo regantur in temporalibus? contrarium ex vet. & nov. teſt. demonſtrari poteſt. Poſterius itidem in aprico eſt. Si enim princeps ille, quem clerici habent, eſt ſpiritualis, utique in ſpiritualibus tantum, non autem in temporalibus ab eo regi debent, alias non erit tantum ſpiritualis, ſed etiam terrenus princeps ac dominus. 2.) *Eccleſiam vere tantum unam eſſe, & nullo modo duas, civitatem autem unam eſſe materialiter, & duas formaliter, quia cœtus clericorum & cœtus laicorum formaliter duæ civitates dici poſſunt, quoniam in ipſis etiam temporalibus rebus diverſas leges habent, diverſum principem, diverſa tribunalia, & tamen materialiter unam quoque civitatem faciunt, quia unam urbem inhabitant, & ſub ejusdem principis protectione vivunt, qui ſicut pro labore ac ſolicitudine, quam pro communi bono ſuſcipit, a laicis tributa recipit, ita recipit a clericis auxilia longe majora publicarum precum ac ſacrificiorum ad Deum. Reſp.* Si clerici ſunt cives ac partes reipublicæ, utique cœtus clericorum ac cœtus laicorum non conſtituent duas civitates formaliter diſtinctas, quia pars nunquam abſolvit totum, quando ergo utrumque Bellarminus aſſerit, turpiter ſibi contradicit. Viciſſim ſi clerici habent in ipſis etiam temporalibus diverſas leges, diverſum principem, diverſa tribunalia, ac velut Appius ad tribunum dicebat, ſi peculiarem patriam ac peculiarem rempublicam ſibi conſtituerunt, utique non ſunt, nec dici poſſunt cives ac partes reipublicæ, quia unitas reipublicæ in communione legum, in recognitione ejusdem magiſtratus, in uſu eorumdem tribunalium ſive judiciorum. Vlterius ſi clerici unam urbem cum laicis inhabitare, & ſub unius ejusdemque principis protectione cum ipſis vivere cupiunt, utique etiam debitam obedientiam illi principi præſtent, quia protectionis beneficium aliquam omnino ſubjectionem requirit. De oneribus ac tributis, quæ noſtra ſit ſententia, conſtare poteſt ex ſuperioribus. Omnimodam & abſolutam immunitatem, ex jure divino deſcendentem, nunquam ex eo probabit Bellarminus, quod clerici auxilia precum publicarum & ſacrificiorum magiſtratui conferant, quia ad easdem preces pro magiſtratu fundendas etiam laici obſtricti tenentur, ac nihilominus ſua eidem ſolvunt tributa. Abſurdum eſt, ſi clerici in favorabilibus pro membris reipublicæ ſe venditare velint; in iis autem, quæ ad conſervandam rempublicam contribui debent, extraneorum locum velint ſubire, inquit Sebaſt. Medic. tract. de legibus & ſtatut. part. IV. q. 6. n. 5.

§. CCCCXLVIII. *Secunda* ratio ab *incommodo*: "Plenaria illa „exemtione perſonarum & bono- b.) *Ab incom. modo.*

„rum, inquit Arnisæus lib. de sub. & exemt. „cleric. c. 2. n. 1. nihil potest excogitari per„nicioſius, nihil iniquius. Quæ enim major „iniquitas, quam florem bonorum reipublicæ „iis depascendum dari, qui non tantum one„ra non ferant, nec rempublicam juvent ex „iis bonis, unde suam salutem sperare habent, „sed ne eam agnoscant quidem benefactricem, „a qua omnia sua prius emendicarunt, & quæ „tenetur, ne mortis quidem discrimen effu„gere, ut ipsi tuti sint. Quæ major pestis, „quam in medio sinu habere non tantum, con„tra quos, si te omni adfecerint injuria, mu„tire non audeas, sed etiam qui alienæ pote„statı fidem dederint, hoc est, qui teneantur „ad nutum alterius arma in te sumere, nec, „ut maxime velint, abnuente externa pote„state, quidquam pro salute tua facere ausint. „Jam vero tales sunt clerici pontificii, qui „ad nutum pontificis sui contra ipsam, in qua „degunt, rempublicam insurgere non veren„tur; ejus enim unius summum agnoscunt im„perium, ipsi soli tenentur fidelitatis obstricti, „ipsius forum unice agnoscunt. Quod si ergo „pontifex classicum canat, tot quælibet respu„blica contra se expertura est hostium exerci„tus, quot in sinu suo alit cœnobia monacho„rum, quot conventus sacerdotum, quot col„legia canonicorum. Peregrini sunt, qui in „republica versantur, cui non sunt subjecti, „a quibus reipublicæ maxime timendum esse, „dicit philosophus libr. V. polit. c. 3. Vnde „nomen hostis, quod olim peregrinum signi„ficabat, in odium tandem abiit. Quod si er„go clerici nolunt esse subjecti reipublicæ, in „qua degunt, non alio haberi possunt loco, „quam peregrini, nec minus ab iis timendum, „imo tanto magis, quanto arctius suo supe„riori, pontifici scilicet Romano, obstringun„tur, & quanto intimius in reipublicæ arcana „penetrare possunt.„ Hæc ille. Adde, quod plenaria illa ac totalis exemtio in omnibus cau-sis ac rebus animum peccandi addit, cum spem impunitatis sibi propositam sciant, atque a legum severitate sibi nihil timendum esse noverint.

§. CCCCXLIX. *Tertia* ratio petendi potest a *caritatis* præscripto. Lex caritatis non patitur, ut cum clerici agros, fundos & bona plurima possideant, tributis & oneribus contra magistratus voluntatem sese subtrahant, & universam molem tributorum propter salutem reipublicæ magistratui persolvendorum in alios cives rejiciant, hac enim ratione aliis omnibus est *angustia*, ipsis vero solis *relaxatio*. 2. Cor. VIII. 13. Qui cum aliis sentit beneficium, æquum est, ut is quoque sentiat ex parte incommodum. Inde leges ferendum esse negant, ut *qui lucrum amplectitur, onus subire recuset*. l. *unic.* §. *pro secundo de caduc. toll.* *Quarta* ratio desumitur ex *immunitatis illius variatione*. Lex divina est immutabilis, apud eos cumprimis, qui recte eam intelligunt. Sed immunitas ecclesiastica tam rerum quam bonorum, postquam clericis fuit concessa, tot ac tam varias diversis temporibus subiit mutationes, ut nec ipsi canonistæ certas regulas de ea possint tradere. Ergo non descendit ex jure divino. *Quintam* rationem Medina sic format: *Lex evangelica, baptismus & ordo clericalis non liberant jure divino a debitis antea contractis, ut a debito servitutis, a debito pecuniario, a debito conjugali. Ergo nec a debito subjectionis & obedientiæ civilis. Jam vero clerici ante clericatum subjecti erant potestati & jurisdictioni principum secularium. Ergo non sunt liberi jure divino ab eadem potestate post clericatum.* Excipit Bellarminus de Cler. c. 30. *esse majus vinculum inter creditorem & debitorem, dominum & servum, virum & uxorem, quam inter magistratum & subditos.* Item: *aliam esse rationem legis evangelicæ & baptismi, quam clericatus; illa enim non excludunt, sed potius necessarium esse volunt principatum civilem, hic vero non posset suo munere recte fungi, nisi liber esset & immunis a jurisdictione civili.* Sed hæc omnia principium petunt, cum enim tam congruum sit

c.) *A caritatis præscripto.*

d.) *Immunitatis illius variatione.*

e.) *A legis evangelicæ conditione.*

juri

juri divino, clericos esse magistratui subjectos, quam servos domino, debitorem creditori, & conjuges sibi invicem esse obstrictos, ut ante fuit demonstratum; ideo nulla diversitatis ratio inveniri potest, nec ulla verisimili ratione probatur, clericos non posse munere suo recte fungi, nisi a jurisdictione civili sint plane immunes ac liberi. Urgemus igitur hoc Medinæ argumentum, quod etiam Barclajus repetit de pot. papæ c. 34. *Lex divina neminem privat suo jure & dominio, privaret autem, si per eam jus temporale, quod principes, antequam fierent christiani, in clericos habebant, invitis auferretur.* Regerit Bellarminus, *nullam fieri principibus injuriam, si vel maxime inviti suo jure priventur, quia qui jure suo utitur, nullam facit injuriam, utitur autem jure suo, qui eligit statum, quem sibi magis convententem esse censet, quamvis per accidens sequatur, ut princeps subdito suo privetur. Nam etsi quis justa de causa domicilium suum in aliam civitatem vel provinciam transferat, desinet subditus esse priori principi, nec tamen injuriam illi fecisse videbitur. Resp.* Est dispar ratio, qui domicilium suum in aliam civitatem vel provinciam transfert, is desinit esse pars ac civis prioris reipublicæ; sed clerici papales ex hypothesi Bellarmini nihilominus volunt esse partes ac cives reipublicæ, a cujus jurisdictione se exemtos esse statuunt: illi & oneribus & beneficiis reipublicæ frui desiunt; hi rejectis oneribus beneficia tantum sibi vindicant: illorum renunciatio plerumque fit cum consensu magistratus, & cum quodam onere secundum cujusque loci consuetudinem, ut nimirum de bonis suis aliquid magistratui pensitent, quod vocant *Nachsteur entrichten*; hi vero pro libitu etiam invitis magistratibus plenariam exemtionem sibi vindicant. Cap. 34. cont. Barclajum aliter excipit: *Sicut rex subtrahit comiti subditum, eumque constituens principem jurisdictione comitis eximit: ita papa ad altiorem gradum evehendo laicos, potest eos eximere jurisdictione temporali*; idem declarat exemplis: *quod mulier conversa liberetur ab imperio mariti infidelis, quod votum solvat promissa matrimonialia, quod filius episcopus exeat potestate patria, &c. Resp.* Papa non est dominus regum, ut rex est dominus comitis, exempla sunt partim falsa, partim Bellarmini scopo contraria. Quemadmodum enim mulier fidelis non liberatur a vinculo conjugali, quo marito infideli obstricta tenetur, 1. Cor. VII. 12. sed in causa religionis duntaxat ab obedientia liberatur: sic clericus non eximitur a jurisdictione magistratus, nisi in iis, quæ juxta præscriptum verbi in suo officio agit.

§. CCCCL. VI.) Ex *imperatorum statuto.* Imperatores clericos politicis legibus subjecerunt, ut constat ex codice & authenticis Justiniani, & ex capitularibus constitutionibus Caroli l. *Decernimus* 26. C. de episc. & cler. *Decernimus, ut posthac neque monachi, neque quicunque alii, cujuscunque status atque fortunæ ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem crucem, & sanctorum martyrum reliquias illicite inferre conentur, &c. Ideo patientiam & modestiam suam, quam leges naturæ, & publica disciplina, & ipsorum monachorum nomen exposcit, studiose unusquisque tam monachus, quam ulterius cujuslibet alterius professionis retineat.* l. *Omnes* 10. C. *de legib. & constit. princ. Omnes secundum leges vivant, etiamsi ad divinam domum pertineant.* Novell. 123. c. 8. *Nullus episcopus invitus trahatur ad secularem, nisi princeps jusserit,* (quæ verba posteriora, ut & verbum *invitus*, quia supremam potestatem imperatori reservant, Gratianus studiose omisit cap. *Nullus &c.* 11. q. 1.) Huc refer l. *addictos* 6. l. *si quis ex consensu* 7. & t. t. C. *de episc. audient.* Novel. 3. in princ. Nov. 6. c. 8. & in epil. Nov. 9. Nov. 86. c. 1. Nov. 123. Nov. 22. in prin. & c. 6. procem. edict. Justin. ad archiepisc. & patriarchas script. ex quibus constat, Justinianum, licet episcopis *audientiam* concesserit, tamen *cognitionem & appellationem* supremam sibi reservasse. Imperator Valentinianus in epist. ad

f) *Ex imperatorum statuto.*

ad episcopos Asiæ, quam refert Theodoretus lib. IV. hist. c. 7. scribit, *probos episcopos non solum Dei, sed etiam regum legibus obtemperare.* Inde Ferrariensis in form. libr. VIII. conf. gl. 7. verb. plenam & omnimodam num. 3. ex Innoc. *Naturaliter & a principio mundi omnes clericos fuisse sub jurisdictione & potestate imperatorum, dulcedine autem & benignitate imperatorum dimissos sub potestatem papæ, quod beneficium ii, ut ingrati, male agnoscant*, adserit. Idem in form. lib. quo agit ex subst. gloss. 9. num. 4. & seqq. optat *imperatorem, qui clericis jurisdictionem concessam adimat, & dicant omnes: Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Et clarius in form. resp. rei convent. gl. 7. num. 13. & sequentib. Quinimo constat, ex ipso jure canonico imperatores olim habuisse potestatem coërcendi pontifices ac clericos, ut probat Jacobus, rex Britanniæ, in præfat. monitor. ad principes christianos, & cives Veneti in resp. ad paræneſin Baronii ipsum remittunt ad tomum VII. annal. ann. 556. §. 5. Ac testantur historiæ, christianos imperatores sæpius judicasse ac deposuisse pontifices. *Constantius* in exsilium misit Liberium, *Justinianus* Sylverium, *Otho* I. Johannem XII. deposuit, & in ejus locum Leonem VIII. substituit, *Henricus III.* Gregorium VI. deposuit, & Clementem II. ordinari jussit. Athanasio de morte Arsenii adcusato *Constantius* imperator judices dedit. Socrates libr. I. cap. 20. *Aurelianus* Paulum Samosatenum removit. Legati *Constantis*, imperatoris Stephanum Antiochenum episcopum de vi publ. & l. Cornel. de sicar. reum egerunt, ac in palatio damnarunt. Theodoretus lib. cap. 11. Excipit Bellarminus de cler. cap. 30. resp. ad 2. *leges illas imperatorum procedere de facto, non de jure & toleratas aliquando a summis pontificibus, nunquam autem adprobatas.* Lib. II. de Rom. pontif. cap. 29. resp. ad 4. excipit: *Hæc quidem facta sunt ab imperatoribus, sed quo jure, ipsi viderint.* Atqui leges illas ecclesiasticas tulerunt, & pontifices hæreticos atque impios pii imperatores loco moverunt, consentientibus atque adprobantibus præcipuis illorum temporum ecclesiæ doctoribus, quin imo ipsimet pontifices imperatoribus se subjectos esse confessi fuerunt, & auxilium imperatorum imploraverunt. Hoc loco notare jubemus verba Bellarmini, quibus trepidantem suam conscientiam prodit lib. II. de Rom. pont. c. 29. *Ab Ottone I. satis constat, bono zelo, sed non secundum scientiam depositum esse Johannem II. fuit enim Johannes iste omnium pontificum fere deterrimus, atque ideo non mirum, si pius imperator, qualis fuit Otto I. sed minus peritus rerum ecclesiasticarum judicaverit, eum potuisse deponi, præsertim cum multi doctores*, (nota) *idem senserint.* Idem contra Barclajum c. 34. excipit, *piis principibus nondum satis notam & explicatam fuisse exemtionem, quam clerici jure divino habebant, sanctos autem patres paulatim eam explicare atque introducere nisos.* At Christus & apostoli jus illud divinum nuspiam explicarunt, nec patribus hanc laudem præripuerunt. Et quanta hæc fuerit omnium imperatorum ac regum ante Hildebrandi adventum insciția, quod clericos suæ potestati subjectos existimarunt, a qua tamen divino jure sint exemti?

§. CCCCLI. VII.) Ex *patrum & episcoporum Romanorum antiquorum suffragio.* Gregorius, cum Romanus episcopus esset, tamen imperatorem *dominum suum* agnoscit lib. III. ep. 61. Imperatoris indignum *se* vocat *servum*, ibidemque *obedientiam se ei debere* fatetur. Lib. IV. ep. 31. *Sacerdotibus non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat*, ubi Gregorius se inter eos numerat, quibus adserit imperatorem dominari. Lib. II. ep. 65. fatetur, *principi datam potestatem non tantum super milites, sed & sacerdotes.* Excipit Bellarminus lib. II. de Rom. pont. c. 28. *Gregorium partim ex humilitate, partim ex necessitate se imperatori subjecisse, quia*

g) *Ex patrum & episcoporum Romanor. suffragio.*

quia eo tempore imperator dominium temporale in urbem Romanam obtinebat, & Gregorius ejus ope ac amicitia vehementer indigebat, ut tam ipse, quam bona temporalia ecclesiæ, & populus Romanus a Longobardorum gladiis & furore defenderetur. Resp. Humilitas illa fuisset hypocritica & adulatoria, nisi Gregorius vere & ex animo statuisset, se imperatori esse in temporalibus subjectum, perinde ut hodie pontifices se adpellant *servos servorum*, atque interim dominos dominorum se esse gloriantur. Quam vero absurdum est, quod Bellarminus Gregorio tribuit, ipsum ideo tam humiliter ad imperatorem scripsisse, quia *ejus ope & amicitia indigebat!* ergone Gregorius fuit ex eorum numero, de quibus poëta canit:

Vulgus amicitias utilitate probat.

ergone aulicum adulatorem episcopus ille egit? Neque quidquam obstat, quod Bellarminus urget, *Gregorium voluisse reverentiam ab imperatoribus exhiberi sacerdotibus, quod est inferioris, non superioris.* Hæc enim duo nequaquam invicem pugnant, imperatori a sacerdotibus deberi obedientiam, & sacerdotibus exhibendam esse ab imperatore reverentiam: illud enim respectu temporalium, hoc vero respectu spiritualium rerum accipiendum. Sic Gelasius in epist. ad Anastasium, imperatorem vocat *filium* & præsulibus rerum divinarum subditum, eumdem tamen ibidem dicit *generi humano præsidere.*

§. CCCCLII. Præter Gregorium etiam alii ex Romanis episcopis imperatori sese subjectos fassi fuere. Nicolaus I. pont. Rom. ad imperatorem Michaëlem scribit: "Deum divisisse „pontificiam auctoritatem ab imperiali potestate, ut & christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices „pro cursu temporalium tantummodo rerum „imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio a carnalibus distaret incursibus, „& ideo militans Deo minime se negotiis se„cularibus implicaret, ac vicissim non ille re„bus divinis præsidere videretur, qui esset ne„gotiis secularibus implicatus„ cap. *Cum ad verum &c.* dist. *96.* Leo IV. Lothario imperatori scripsit, ut habetur in c. *9.* dist. 10. „De capitulis vel præceptis imperialibus ve„stris vestrorumque pontificum prædecessorum „irrefragabiliter custodiendis & conservandis, „quantum valuimus & valemus Christo propi„tio, nunc & in ævum nos conservaturos mo„dis omnibus profitemur. cap. *Adrianus &c.* dist. 63. "Adrianus tradidit Carolo potestatem „eligendi pontificem, & ordinandi apostoli„cam sedem, dignitatem quoque patriarcha„tus ei concessit, insuper archiepiscopos & „episcopos per singulas provincias ab eo inve„stituram accipere definivit.„ Idem jus Leo confirmavit Ottoni. cap. *in Synodo &c.* dist. eadem. Leo IV. ab imperatore Ludovico petit judices, & eorum sententiæ se pariturum promittit. cap. *Nos si &c.* caus. 2. q. 7. „Nos si incompetenter aliquid egimus, & „subditis justæ legis tramitem non con„servavimus, vestro ac missorum vestrorum „cuncta volumus emendare judicio, &c. Similia exstant complura. Excipit Bellarminus lib. II. de Rom. pont. c. 20. resp. ad 6. "Leo„nem subjecisse se judicio imperatoris discre„tivo, non coactivo.„ Sed verba intelligenda sunt cum effectu, quorsum enim legatos ab imperatore peteret, si cognitionem duntaxat, non autem definitionem & exsecutionem illi tribueret? Adde, quod verba ipsa Leonis contrarium manifeste testentur: "Omnia, „inquit, negotia ita eorum legitimo termi„nentur examine, quatenus in posterum nihil „sit, quod ab eis indiscussum vel indefinitum „remaneat;„ ubi discussionem & definitionem conjungit. Ad Hadriani & Leonis constitutiones respondet, "eos tantum confirma„tionem vel infirmationem electionis impera„tori concessisse, ac privilegia illa propter „istorum temporum schismata & hostes Lon„gobardos ac Græcos imperatoribus data, fuisse „postea revocata.„ *Resp.* Si jure divino pontifex exemtus est ab omni potestate civilis magistratus, nec Hadrianus nec Leo imperatoribus illud jus concedere debuissent. Falsum

autem est, quod de confirmatione duntaxat electionis Bellarminus addit, verba enim capituli sic habent: "Hadrianus papa cum uni„versa synodo tradiderunt Carolo potestatem „eligendi pontificem, & ordinandi apostoli„cam sedem.„ Item: "Ego Leo episcopus „cum toto clero ac populo Romano consti„tuimus, & confirmamus, & largimur Ot„toni ejusque successoribus hujus regni Italiæ „in perpetuum facultatem eligendi successo„rem, atque summæ sedis apostolicæ pontifi„cem ordinandi, &c.„ De revocatione illorum privilegiorum usurpamus illud Bellarmini, hæc quidem a pontificibus successoribus fuisse facta, quod imperatorem ab electione plane exclusum voluerint, *sed quo jure, ipsi viderint.*

h.) *Ex adversariorum calculo.*

§. CCCCLIII. VIII.) Ex *ipsorum adversariorum calculo.* Gratianus *§. Item cum Balaam* caus. 2. quæst. 7. "Duæ sunt personæ, „quibus mundus iste regitur, regalis videlicet „& sacerdotalis. Sicut reges præsunt in cau„sis seculi, ita sacerdotes in causis Dei. Re„gum est corporalem irrogare pœnam, sacer„dotum spiritualem inferre vindictam. Da„vid ergo etsi ex regali unctione sacerdoti„bus & prophetis præerat in causis seculi, „tamen suberat eis in causis Dei;„ jam vero ex hypothesi Bellarmini, quod *fuerunt Levitæ in vet. id hodie sunt clerici in nov. testamento.* Testimonium Ferrarienſis adduximus superius. Ex pontificiis huc referimus etiam eos, qui docent, clericos in ecclesiasticis quidem & spiritualibus jure divino esse a potestate seculari liberos, in aliis vero *non nisi jure humano.* Ita docent Franc. Victoria de potest. eccl. relect. 1. q. ult. Dominicus Soto in lib. IV. dist. 25. q. 2. art. 2. & (quos præ reliquis auctoribus *liberius locutos fuisse*, Bellarminus dicit, ipsosque eo nomine refellit lib. de cler. c. 30.) Johan. Medina in cod. de restit. q. 15. & Didacus Cavarruvias Hispan. in lib. practicar. quæstion. c. 31. & libr. I. var. resolut. c. 17. n. 2. quibus addendi ex jurisconsultis Molinæus in addit. ad consil. Alex. VIII. lib. I. Alciatus in c. *cum non ab homine de jud. ex theologis*, Palatius lib. IV. dist. 25. disp. 3. Salonius II. 2. q. 67. art. 1. controv. 1. & Bannez ibid. Albert. Piggius lib. V. eccl. hierarch. c. 7. Jansenius c. 69. harmon. Henriquezius lib. VII. de indulg. c. 24. qui omnes docent, *nullam adduci posse legem divinam, quæ clericos e civili potestate exemtos firmiter probet.* Quinimo Marsilius de Padua & Joh. de Janduno eo abierunt, ut statuerent, *ipsum etiam Christum non fuisse liberum a solvendis tributis*, & quod fecit Matth. XVII. cum tributum solvit, *id feciſſe non voluntate, sed necessitate*, referente Joh. Turrecremata lib. IV. summæ de ecclesia part. II. c. 37. qui ibidem addit, *sententiam Paduani a Johanne XXII. ut hæreticam fuisse damnatam.* Ex quo facile intelligitur, quo consilio Bellarminus lib. de cleric. cap. 28. Paduani illius sententiam cum nostra conjungere inque unam classem referre voluerit, cum ab illius opinione nostra confessio toto cœlo distet, ut ex superioribus constare potest. Widringtonus in apol. Bellarm. *veritati magis consonum esse dicit, clericos jure divino non esse a potestate seculari exemtos.* (*) Barclajus ex professo hoc argumentum contra Bellarminum tractavit, & apologia in publicum edita contra Bellarmini refutationem sese defendit. Richardus, archiepiscopus Cantuarienſis in epist. Petri Blesenſ. epist. LXXV. ad Richardum, Vinctonienſem, Gaufridum, Elienſem, & Johannem Norwicenſem episcopos de omnimoda illa clericorum etiam in criminalibus exemtione sic scribit: "Clerici vel episcopi occisores

(*) Joh. Major Scotus in hist. Scot. lib. III. c. 15. *De jure divino est, ut clericus sit a Laico judicandus.* Claudius, episcopus Espensæus in comm. epist. ad Tit. III. digress. 10. *exemtionem tribuit fastuosis ac seditiosis spiritibus, qui dominationes contemnunt, &c.* ac laudat dictum Bernhardi ep. XLII. f. 188. *Si omnis anima subdita esse debet, tum & vestra. Quis vos excepit ex universitate? si quis tentat excipere, tentat decipere.* GERHARDVS.

„res Romam mittuntur, euntesque in delitiis „cum plenitudine apostolicæ gratiæ, & majore „delinquendi audacia revertuntur. Talium „vindictam excessuum dominus rex (Angliæ) „sibi vindicat, sed nos eam damnabiliter no„bis reservamus, atque ob liberam præsentis „immunitatis materiam in fauces nostras lai„corum gladios provocamus. Ignominiosum „est, quod pro capra vel ovicula gravior, „pro sacerdote occiso pœna remissior irroga„tur. Sed his & durioribus digni sumus, qui „jurisdictionem alienam, & nobis omnino „indebitam ambitione temeraria usurpamus. „Nam in corpore decretorum, & in epistola „ad Romanos hæc verba legisse meminimus. „Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per „mundi judices, quam per rectores & judices „ecclesiasticos vindicantur, sicut est, cum quis „interfecit pontificem, apostolicum presbyte„rum sive diaconum hujus criminis reos, re„ges & principes mundi damnant. Omnis „equidem justitia ideo exercetur, ut debita „quiete gaudeant innocentes, & malignantium „temeritas refrenetur; veruntamen in hac ju„risdictione maledicta, quam ambitiose & su„perbe præsumimus, Deum offendimus & do„minum regem, viamque clericis malignandi „tutissimam aperimus.„ Tandem sic concludit: "Reddentes igitur Deo, quæ sunt Dei, „cæsari, quæ sunt cæsaris, juxta petitionem „domini regis, & tantorum vindictam excess„suum relinquamus.„ Archiepiscopi & episcopi in regno Galliæ juramentum fidelitatis præstant regi, referente Anton. Arnoldo in orat. contra Jesuit. apud Fr. Junium sub fin. operum pag. 1550.

Antithesis adversariorum.

§. CCCCLIV. Atque hæc pro confirmatione nostræ sententiæ dicta sufficiant. Pontificii statuunt, *clericos a potestate civili esse simpliciter & absolute exemtos, tam in temporalibus quam spiritualibus, tam in personalibus quam in realibus, tam in criminalibus quam civilibus, & quidem jure divino*, quam esse communem sententiam tradunt canonistæ. Bonifacius VIII. in cap. *Quamquam de censibus & ibi doctores. Jure divino & humano clerici & eorum bona libera sunt a seculari potestate.* Concilium Lateranense sub Leone X. sess. IX. *Cum a jure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas adtributa sit, innovamus omnes & singulas constitutiones, &c.* Concilium Tridentinum sess. XXV. cap. 20. *Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione & sanctionibus canonicis est instituta.* Vnde etiam porro statuunt, *clericos in rebellione contra principes seculares non posse committere crimen læsæ majestatis*; Emanuel a Saa in aphorismis confessorum in voce *clericus*, quam esse communem opinionem testantur cardinalis Alexander in cap. *Inprimis* §. *de pers.* col. 5. vers. *non obest opin.* 2. q. 3. Gomezius in §. *rursus &c.* num. 24. instit. de actionibus. Cumprimis vero de hac clericorum exemtione late disputat Soarius in defens. fidei cathol. adv. Anglic. sect. errores lib. IV. toto, in quo statuit, *clericos omni jure divino & humano a potestate principum secularium esse exemtos, non solum in spiritualibus & ecclesiasticis causis*; cap. 2. *sed etiam in rebus & causis temporalibus.* Cap. 3. *summum pontificem omni jure divino & humano ab omni jurisdictione secularium principum esse exemtum*, cap. 4. *adeo ut non possit se judicio humano submittere.* cap. 7. *clericos omnes sub pontifice existentes a jurisdictione temporalium principum jure divino esse exemtos*, cap. 8. *in causis civilibus*, cap. 14. *in causis criminalibus.* cap. 15. *privilegium illud fori includere exemtionem a legibus civilibus*, cap. 16. *a tributis & oneribus*, cap. 17. *tam personalibus*, cap. 22. *quam realibus* capite 25. &c. (*)

(*) Becanus in respons. ad aphorism. Calvinist. pag. 74. *Exemtio clericorum non solum jure canonico & civili, sed communi consensu principum, regum, imperatorum ac totius orbis christiani stabilita &*

confirmata est. pag. 75. *Sunt autem tribus modis exemti clerici a potestate principum secularium:* 1.) *quoad personas suas, quia si delinquant contra leges civiles aut ecclesiasticas, non possunt puniri*

Bellarmini. §. CCCCLV. Nobis cum Bellarmino res erit, is lib. de clericis cap. 28. tres producit sententias. Primam dicit esse *hæreticorum*, qui contendunt, *omnes clericos jure subjectos esse debere seculari potestati, tum in solvendis tributis, tum in judiciis & causis tam ecclesiasticis quam politicis.* Secundam tribuit *quibusdam catholicis*, qui censent *jure divino liberos esse clericos, & eorum bona a potestate principum secularium.* Tertiam, quæ est quasi intermedia, dicit esse *aliorum catholicorum*, qui existimant, *clericos liberos partim esse jure divino, partim jure humano*, id est, *in causis ecclesiasticis & spiritualibus jure divino, in aliis jure humano.* Notandum vero 1.) Bellarminum nostram sententiam non referre integram, neque enim absolutam clericorum subjectionem in causis tam ecclesiasticis quam politicis statuimus, sed certis utimur distinctionibus superius expositis. 2.) Argumentum nobis exhiberi consensus inter Romanæ ecclesiæ doctores, quem tantopere solent prædicare. Soarius enim dict. libr. cap. 8. in principio expresse dicit, *in hoc puncto duæ sunt opiniones contrariæ & valde communes. Prima absolute negat, hanc immunitatem esse de jure divino, quam tenent multi doctores catholici, &c.* Bellarminus etiam cap. 30. ex professo refellit Didacum Covarruviam celebrem canonistam, & Johannem Medinam jurisconsultum.

Prima propositio: In causis ecclesiasticis liberi sunt clerici jure divino a potestate principum secularium.

§. CCCCLVI. Suam vero opinionem Bellarminus includit certis propositionibus. *Prima* propositio hæc est: *In causis ecclesiasticis liberi sunt clerici jure divino a potestate principum secularium. Causas ecclesiasticas* vocari dicit, quarum cognitio non pendet a legibus civilibus, sed ab evangelio, vel a canonibus pontificum aut conciliorum, quales sunt controversiæ de fide, de sacramentis, & id genus aliæ. Hanc propropositionem probat *primo* ex *sacris literis*, quæ docent regimen ecclesiasticum distinctum esse a politico, & illo etiam sublimius, ac totam auctoritatem regendi ecclesiam commissam a Christo esse apostolis & præcipue Petro. *Secundo* ex *concilio Milevitano* can. XIII. & *Matisconensi* can. VIII. ubi clerici puniuntur, si causam ecclesiæ ad imperatoris terreni judicium deferant. *Tertio* ex *patribus*, ubi adducit Martinum, & Augustinum ep. 78. & 162. qui reprehendunt eos, a quibus causæ ecclesiæ terrenis judicibus exponuntur. *Quarto* ex *apostolorum exemplo*, qui causas ecclesiæ non detulerunt ad principes. *Denique* ex *nov 83. Justin. Resp.* An & qualis potestas magistratui in ecclesiasticis competat, superius late exposuimus; h. l. breviter monemus, distinguendum esse 1.) inter *magistratum christianum, qualis est nostro tempore*, & *ethnicum*, qualis erat apostolorum temporibus. 2.) Inter *potestatem ecclesiasticam internam*, quæ prædicationem verbi, sacramentorum administrationem, clavium ecclesiæ usurpationem, &c. complectitur, & inter *potestatem ecclesiasticam externam*, quæ in externam εὐταξίας & εὐσχημοσύνης in ecclesia constitutione, ac legum ecclesiasticarum promulgatione consistit. 3.) Inter *salutarem externæ illius potestatis usum*, quo magistratus una cum presbyterio & ecclesia eam exercet, & inter *vitiosam ejusdem abusum*, quo sibi soli excluso plane presbyterio & ecclesia eam vindicat. 4.) Inter *causas ecclesiasticas sive spirituales proprie sic dictas*, & inter *causas ecclesiasticas sensu pontificio latissime acceptas.* Si enim causarum ecclesiasticarum nomine accipiendæ sunt omnes illæ, de quibus ex canonibus pontificum est judicandum, nullæ superstites manebunt causæ seculares sive politicæ, quia pontificum canones de omnibus omnino clericorum causis disponunt. Nimirum pontificii causarum ecclesiasticarum nomine intelligunt non solum eas, quæ vere & proprie tales, sed multas insuper alias, quæ a foro conscientiæ & jurisdictione ecclesiæ sunt alie-

niri a magistratu civili, sed tantum ab ecclesiastico; 2.) quoad bona temporalia sive ecclesiastica, sive hæreditaria, quia illa libera sunt a tributis & oneribus civilibus; 3.) quoad causas seu controversias tam civiles quam ecclesiasticas, quia illæ non trahuntur ad tribunal seculare. Hæc triplex exemtio partim divini partim humani juris est. GERHARDVS.

alienæ. 5.) Distinguendi sunt *diversi respectus.* Ministerium, sive ut Bellarminus loquitur, *regimen ecclesiasticum superius est & inferius* politico respectu diverso. Superius est *quoad spiritualia*, & in ordine ad vitam æternam, inferius, *quoad politica*, & in ordine ad externam reipublicæ tranquillitatem & salutem. Denique 6.) Bellarminus ipse agnoscit lib. de cleric. cap. 30. §. 2. *christianos imperatores a causis ecclesiasticis non fuisse plane exclusos. Constat*, inquit, *non solum ex codice & authenticis, sed multo magis ex nomocanone Photii, non paucas leges Justiniani de rebus plane ecclesiasticis & spiritualibus disponere.*

Secunda propositio: Non sunt exemti clerici ab obligatione legum civilium.

§. CCCCLVII. *Secunda* Bellarmini propositio hæc est: *Non sunt exemti clerici ab obligatione legum civilium, quæ non repugnant sacris canonibus vel officio clericali.* Leges politicas vocat eas, quæ dirigunt actiones humanas in commerciis temporalibus. Videri cuidam posset, clericos aliquo duntaxat modo, respectu scilicet obedientiæ legibus politicis præstandæ, seculari potestati ex Bellarmini sententia esse subjectos, quia potestas νομοθετικὴ est pars civilis potestatis magistratui divinitus concessæ, & cui magistratus potest leges præscribere, ille etiam magistratui eo respectu est subjectus. Sed fumos verborum Bellarminus vendit, ac quod dextra porrigit, mox sinistra eripit, sic enim statim addit: *Nec volumus dicere, his legibus teneri clericos obligatione coactiva, sed solum directiva, nisi eædem leges ab ecclesia adprobatæ fuerint, quod si de iisdem temporalibus rebus disposuisset etiam lex ecclesiastica, eam sequi deberent clerici, & tunc legem civilem directive quidem observare tenentur.* Atqui si ecclesiæ, hoc est, pontifici competit suprema potestas leges civiles vel adprobandi vel abrogandi, utique etiam in temporalibus & civilibus clerici non civili magistratui, sed pontifici suo parere coguntur. Si *directive* solum, non autem *coactive* ad observationem legum civilium clerici tenentur, re ipsa non obligantur, quia obligatio proprie sic dicta adfert necessitatem obtemperandi propter potestatem & dominium superioris, ac inane nomen est obligatio sine potestate cogendi in superiore, & sine necessitate parendi in inferiore. Jam vero Bellarminus talem necessitatem parendi per hanc distinctionem inter obligationem *coactivam* ac *directivam* plane tollit, id quod manifestius constat ex distinctionis illius explicatione, quam tradit Becanus part. II. theolog. scholast. tract. 3. c. 6. q. 11. p. 329. "Non tenentur (inquit) cle„rici ex obedientia ipsarum legum, sed ex „conformitate partium cum toto. Nam cle„rici non sunt subjecti principibus secularibus, „cum ab eis puniri non possint; ergo id, quod „legibus principum secularium præcipitur, „non tenentur præstare ratione obedientiæ & „subjectionis, sed ut toti reipublicæ sint con„formes.„ Et postea: "Etiamsi clerici te„neantur servare leges civiles, non tamen in„currunt pœnas legibus illis statutas, nec pos„sunt puniri a magistratu seculari, etiamsi le„ges non observent, quia clerici sunt exemti „a jurisdictione seculari.„ At qualis hæc est obligatio, quæ non habet conjunctam obligationem ad pœnam transgressoribus legis constitutam? Opponimus igitur Bellarmino & Becano præcepta apostolica: Rom. XIII. 5. *Necessitate subditi estote.* 1. Pet. II. 13. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*; ex quibus locis recte colligit Chrysostomus hom. XXIII. in epist. Roman. *etiam clericos debere politicis legibus magistratus parere*; quod Chrysostomum adferere, cum Bellarminus hoc loco agnoscat, negare non debet, etiam coactiva obligatione ad earum observationem clericos teneri, quia de tali obligatione apostoli diserte loquuntur.

Tertia propositio: Non possunt clerici a judice seculari judicari.

§. CCCCLVIII. *Tertia* propositio sic habet: *Non possunt clerici a judice seculari judicari, etiamsi leges civiles non servent.* Illud probat I.) ex *concilio Chalcedonensi* can. IX. *Si clericus adversus clericum habet negotium, non relinquat episcopum suum, & ad secularia*

judicia non recurrat. Concilio Agathensi can. XXXII. *Clericum nullus præsumat apud secularem judicem episcopo non permittente pulsare.* Idem haberi dicit in concilio *Carthaginensi* III. can. VIII. *Toletano* III. can. XIII. *Matisconensi* can. VIII. *Resp.* 1.) Exemtio illa clericorum statuitur juris divini; ergo ex tabulis divini juris proferenda erant exemtionis illius privilegia. 2.) Concilia episcoporum non possunt præjudicare juri magistratus divinitus ipsi tradito & confirmato. Episcopi in conciliis illis congregati nequaquam debuissent ex immoderata libertatis cupiditate sibi ipsis jus dicere, aut personas ecclesiasticas potestati civili, cui Deus in verbo suo eas subjecit, penitus eximere. 3.) Conciliorum istorum canones de privatis controversiis inter clericos per episcopum componendis, nequaquam vero de universali & totali exemtione clericorum loquuntur, nec præjudicium aliquod creant laico, si causam habeat contra clericum. 4.) Concilia illa ad dignitatem ecclesiasticarum personarum adserendam voluerunt eorum lites prius apud episcopum audiri, quam ad tribunal politici magistratus provocaretur, quod ipsum etiam Justinianus constituit, *ne ante latam ab episcopo sententiam ad judicem percurratur*; sed nunquam ab antiquorum conciliorum canonibus prohibita fuit provocatio ad judicem secularem. Sic concilium Constan. can. VI. prohibet, *ne spretis episcopis provinciæ regiæ aures obtundantur, antequam causa audita sit in ecclesia, ne videlicet ecclesia videatur sperni, & ne injuria inferatur canonibus, aut ordo ecclesiasticus perturbetur.* Concilium Carthagin. III. can. IX. prohibet: *si quis derelicto ecclesiastico judicio publicis judiciis purgari voluerit, siquidem cui ad eligendos judices undique patet auctoritas, vile ecclesiæ consortium judicat, qui de universa ecclesia male sentiendo de judice seculari poscit auxilium.* Concil. Chalcedon. can. IX. statuitur non simpliciter, ne quis clericus adversus clericum habens actionem ad secularia provocet judicia, sed additur: *prius actio ventiletur apud episcopum proprium*, scilicet priusquam secularia adeat judicia. Concil. Antioch. can. XI. *Ne quis præter concilium vel literas eorum episcoporum, qui sunt intra provinciam, maxime metropolitani, ad imperatorem pergat.*

§. CCCCLIX. II.) Ex *imperatorum constitutionibus. Justinianus clericos & monachos a seculari judicio eximit* nov. 79. 83. & 123. *Resp.* 1.) Justinianus leges non paucas de rebus plane ecclesiasticis & spiritualibus in codice & novellis promulgavit, fatente ipsomet Bellarmino; quomodo igitur ex Justiniani constitutionibus omnimoda exemtio probari potest? 2.) Si ex concessione & privilegio principum immunitatem illam clerici sunt consecuti; utique non jure divino, sed humano eam obtinent. 3.) Si a principibus privilegia acceperunt episcopi; utique ad jurisdictionem principum pertinuerunt, quia privilegium ab alio accipiens eumdem superiorem recognoscit. 4.) Distinguendum inter *omnimodam exemtionem*, ac *certa quædam privilegia ecclesiasticis benignitate principum concessa.* Justiniani constitutio non loquitur de omnimoda & universali exemtione, sed in civilibus tantum causis ordinat, ut clerici primum conveniant episcopum, ne ab officiis suis abstrahantur, nec a suis ecclesiis ob actionem in foro abesse cogantur; in criminalibus autem publicis imperii judiciis eos subjicit, ut ex illis ipsis κεφαλαίοις constat. (*) Vidit hoc Bellarminus, ideo addidit, *quod lex canonica simpliciter exemerit clericos in omnibus causis tum civilibus tum criminalibus.* Sed in quæstione adhuc versatur, quo jure illud factum sit? Pontifices Christum & apostolos imitari, non autem a potestatis civilis ordinatione divinitus constituta sese subtrahere, ac in propria causa judicium ferre debuissent.

(*) In criminalibus causis subjecti sunt clerici magistratui politico, nec jurisdictioni ejus exemti l. 10. C. *de mandat. princip.* l. *Presbyteri* C. *de Episcop.* Nov. 83. præfat. Ipsi pontifices, quorum illa sunt decreta, subjecti fuerunt civili potestati, ideo alios ab ea eximere non potuerunt, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat. GERHARDVS.

buissent. 5.) Justinianus episcopis *audientiam* in causis ecclesiasticis concessit, supremum tamen jus & cognitionem sibi reservavit; ita enim episcoporum sententiam exsecutioni tradi jubet, si utraque pars iis, quæ judicata sunt, adquieverit. Nov. 123. c. 21. In omnibus enim privilegiis præsupponitur, quod princeps summum jus sibi conservarit, quippe quod in alium conferre non potest, unde jurisconsulti docent, *in generali locutione personam loquentis videri exceptam.* cap. *Quisquis de præbend. & sim.* ex quo fundamento Barclajus de potest. pap. c. 33. scribit, *nullibi reperiri clericos exemtos a potestate suprema principum, licet a judicum & magistratuum judiciis ex illorum indulgentia absoluti inveniantur.* 6.) Principes divina auctoritate *gladium portant* Rom. XIII. 2. 4. ac interest reipublicæ, crimina non manere impunita; cap. *Præterea &c.* 23. q. 8. ergo non debuerunt nec potuerunt totalem a seculari potestate exemtionem, etiam in criminalibus concedere clericis, sed jure divinitus sibi concesso quosvis cives ac quaslibet reipublicæ politicæ partes legibus & imperio inobedientes coërcere & possunt & debent, ut reipublicæ tranquillitas conservetur, & divinæ ordinationi satisfiat. Sicut pater non potest ab honore & obedientia absolvere filium, quia liberi jure divino ad honorem parentum obligantur: sic nec magistratus a subjectione totaliter & universaliter clericos eximere potuit, quippe ad quam Dei ordinatione sunt obstricti. 7.) Juri consentaneum est, *ut privilegium perdat, eo qui abutitur* cap. *Privilegium &c.* caus. 11. q. 3. D. Rauchb. lib. II. quæstion. juris civ. & Saxon. q. 11. num. 80. Jam vero publice constat, & in vulgus quoque notum est, clericos papales privilegiis illis ad varia flagitia fuisse abusos, ac potestatem pontifici in secularibus datam in antichristianam plane tyrannidem degenerasse. Ergo per abusum eisdem privari jamdudum sunt promeriti. Præter has Justiniani constitutiones urgent etiam authenticam Friderici II. l. *cassa* C. *de sacr. eccl. & auth.* Item nulla C. *de episc. & cler.* Sed ea 1.) post longas concertationes ab Honorio III. tandem vi expressa fuit. 2.) Explicationem ab aliis imperatoris sanctionibus, ad quas respicit, accipere potest. 3.) Non extenditur ultra Italiam. 4.) Recipit limitationem ex mente legislatoris, qui per privilegium non præsumitur se voluisse suo jure privare, nec unius ordinis plenaria exemtione reliquos deprimere. 5.) Novissimo jure per recessus imperii anno 1594. 1598. 1603. est antiquata. Arnisæus de exemt. cleric. cap. 4. num. 11.

§. CCCCLX. III.) Ex *ratione*: *Absurdum est, ut ovis pastorem suum judicare præsumat. Jam vero clerici sunt pastores, principes & magistratus sunt oves. Resp.* 1.) Distinguendum inter *oves brutas*, proprie sic dictas, & inter *oves rationales*, figurate sic adpellatas. Magistratus sunt oves, non autem brutæ, ac proprie sic dictæ, sed rationales, quibus cum Christus tribuat, quod *vocem pastoris sui audiant*, alienum *autem non sequantur*, Joh. X. 14. ergo absurdum non est, tales oves judicare suum pastorem. 2.) Diverso respectu magistratus est *ovis* & *pastor*, ut superius ostendimus. In spiritualibus magistratus est ovis, sed in politicis est pastor. Vt ergo in spiritualibus magistratus debet obedire pastoribus, quia in illis & illorum respectu est ovis: ita in politicis ministri ecclesiarum debent obedire magistratui, quia in illis & illorum respectu ipsi quoque sunt oves. Princeps, quatenus princeps, divina ordinatione est caput reipublicæ, qua christianus, est membrum ecclesiæ, ac societatis ecclesiasticæ vindex. (*) Hanc respectuum diversitatem ex ipso Bellarmino probamus. Cum enim Barclajus

(*) Superior debet præesse inferiori in iis, in quibus est superior, subesse autem in iis, in quibus est inferior. Jam vero regimen ecclesiasticum, etsi sublimius sit politico in iis, quæ ad proprium munus, hoc est, ad prædicationem verbi divini & administrationem sacramentorum spectant, est tamen inferius in iis, quæ ad jus civitatis & civilem subjectionem ac facultates spectant. Principes igitur debent subesse & parere ecclesiæ in fide & pietate communi, non vero in illis, quæ sunt civilis potestatis propria. GERHARDVS.

clajus lib. de pot. pap. c. 32. adduxisset auctoritatem Caroli V. qui teste Surio in comm. anno 1542. Hermannum Colonienſem archiepiſcopum ad tribunal ſuum advocaverat, Bellarminus c. 35. contra Barclajum reſpondet, *diſtinguendum eſſe principatum ab archiepiſcopatu, ac Hermannum in jus vocatum dicit, quatenus erat princeps imperii, manſiſſe autem ſub jurisdictione papæ, quatenus archiepiſcopus.* Si ergo propter diverſos reſpectus una & eadem perſona ad diverſa pertinet fora, & omnis principatus imperii ſubjacet legibus ac jurisdictione imperii; ergo ex eadem cauſa, quod ſeculare ac terrenum clerici obtinent, ejus ratione ſeculari ac terreno imperio ſunt & manent ſubjecti. 4.) Probamus eamdem ex ipſius pontificis reſcripto. Sic enim loquitur Nicolaus I. in epiſt. ad Michaëlem imperatorem: cap. *Quoniam* diſt. 10. & cap. *Cum ad verum* diſt. 96. *Quoniam Chriſtus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis utriusque* (ſacerdotalis & imperialis) *diſcrevit propria, volens medicinali humilitate hominum corda ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in inferna demergi, ut & chriſtiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur.* Si imperatores recte ſubjiciuntur pontificibus, quia pro æterna vita illis indigent, etiam pontifices ſubjecti ſunt imperatoribus, quia pro curſu rerum temporalium eorum legibus utuntur. Quo pertinet illud Auguſtini in explic. quarumd. propoſ. epiſt. Rom. *Cum anima conſtemus & corpore, quamdiu in hac vita temporali ſumus, & rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ hujus vitæ utimur, oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus, id eſt, hominibus res humanas cum aliquo ordine adminiſtrantibus.* 5.) Invertimus igitur Bellarmini argumentum: Quemadmodum rex non poteſt ſe ſubtrahere in ſpiritualibus ab obedientia erga paſtorem, ſub prætextu eo, quod ſit pater ac paſtor in republica; ſic clericus non poteſt ſe ſubtrahere in politicis ab obedientia erga regem, ſub eo prætextu, quod ſit pater ac paſtor in eccleſia, quod ipſum ſi rectum obſervaſſet Thomas, archiepiſcopus Cantuarienſis, non detrectaſſet obedire legibus regni. Juſſus enim a rege cauſam dicere, reſpondit: *quia ego ſum pater veſter ſpiritualis, & pater non debet reſpondere in judicio filii, ideo non teneor obedire.* Matth. Paris in Henr. II.

§. CCCCLXI. IV.) Ex *Conſtantini reſponſo. Ruffinus* lib. X. hiſt. c. 2. & poſt eum *Gregorius* lib. IV. epiſt. LXXV. *non ſine magna laude referunt votem illam Conſtantini ad epiſcopos: Vos dii eſtis a ſummo Deo conſtituti, æquum non eſt, ut homo judicet deos. Reſp.* 1.) Conſtantinus nequaquam ab omni plane jurisdictione ſecularis poteſtatis epiſcopos exemit, ſed in ipſis etiam epiſcoporum cauſis judicium exercuit, ac ſuæ in illos jurisdictionis ſatis evidens documentum dedit, quando ad Nicænam ſynodum publico edicto ipſos convocavit. In epiſt. ad Celſ. vicarium Africæ ſcribit: *Scias, quod tam ſuper plebe, quam ſuper clericis his, qui primi ſunt, ſum diligentiſſime quæſiturus, idque judicaturus, quod veriſſimum & religioſiſſimum eſſe manifeſtum eſt.* Ergo immunitas a Conſtantino clericis conceſſa non fuit omnimoda exemtio a ſeculari jurisdictione. Prohibet illos novis collationibus obligari, concedit liberos eſſe ab hoſtibus excipiendis, removet ab ipſis indebitæ conventionis injuriam, & iniquæ exactionis improbitatem, extraordinariorum munerum neceſſitatem, parangariarum præſtationem, niſi habeant poſſeſſiones l. *juxta.* l. *omnis.* l. *de his* C. *de epiſcop. & cler.* ſed de univerſali & omnimoda eorum exemtione nihil addit. 2.) Ruffinus ibidem addit, *epiſcopos in illo concilio ſua negotia ad imperatorem detuliſſe, ipſumque a ſingulis frequenter fuiſſe interpellatum.* Ergo controverſiarum ſuarum judicem ipſum agnoverunt. 3.) Conſtantinus ad epiſcopos dixit, quod *ſolius Dei debeant exſpectare judicium, & jurgia, quæcunque ſunt, ad divinum illud reſervare examen,* teſte Ruffino d. l. Ergo non remiſit epiſcopos ad tribunal aliorum

epiſco-

episcoporum, vel pontificis Romani, quod tamen ex Bellarmini hypothesi facere debuisset. Ac in genere dixit imperator: *Vos non potestis ab hominibus judicari*; quod si ergo litera urgeatur, consequens erit, episcopos non solum a foro politico, sed ab omni judicio humano, & sic etiam a Romani pontificis jurisdictione esse exemtos. 4.) In scripturis magistratus, non autem episcopi vocantur *dii*; ergo si alii debent esse diis subditi, episcopi etiam magistratibus debent esse subjecti. Psalm. LXXXII. 6. Joh. X. 34. &c. 5.) Socrates lib. I. hist. eccl. c. 5. eamdem describens historiam, nullam facit horum verborum a Constantino prolatorum mentionem, sed illam solum ab imperatore adjectam esse ait sententiam, *Christum præcepisse, ut qui veniam impetrare contendat, fratri ipse veniam concedat.* Ac Bellarminus ipse Ruffini auctoritatem repudiat lib. II. de pont. Rom. c. 13. 6.) Scopus imperatoris fuit non tradere quamdam legem, qua episcopi a civili jurisdictione penitus eximerentur, sed ad condonationem injuriarum, & pacem colendam episcopos in concilio præsentes hortari, ut conciliatis animis ad controversiam principalem, cujus causa synodus convocata erat, eo citius perveniret. Rejicit ergo a se judicium de illis injuriis, quas supplicibus libellis oblatis ipsi exposuerint, tum quod sint episcopi, qui aliis vitæ exemplo prælucere debebant, tum quod sint injuriæ privatæ oblivioni potius tradendæ, & magno judicii diei reservandæ, tum quod ipse homo sit, qui unus omnium illarum causarum cognitionem suscipere, & cordium arcana introspicere nequeat, tum quod conventus propter privatas illas injurias componendas non sit institutus. Sozomenus lib. I. hist. c. 16. 7.) Quidam ex ipsis pontificiis negant hæc Constantini verba in jus canonicum relata cap. *futuram* 12. q. 1. cap. *continuam* 11. q. 1. exemtionem illam clericorum, de qua quæritur, probare. Ludov. Molina interpretatur omnia *de rebus mere spiritualibus*, argumento ductus eo, quod imperator addat: *Petitis a me judicium, cum ipse ego Christum judicem exspectem.* Item: *ad Dei solius judicium reservamini.* Ventur. Vinc. in Cons. Venet. c. 8. existimat, *verba ea excidisse Constantino, ut majorem suam erga episcopos observantiam & humilitatem declararet, quod autem gratiose alicui conceditur, id non debere trahi in exemplum*, cap. *Quod alicui &c. de reg. jur. in 6.* 8.) Quidquid sit, unica Constantini vocula non potest haberi pro jure divino, nec universalem ac perpetuam in ecclesia legem constituere.

§. CCCCLXII. *Quarta* Bellarmini propositio talis est: *Bona clericorum tam ecclesiastica quam secularia libera sunt, ac merito esse debent, a tributis principum secularium.* Probat hoc de facto ex *jure canonico & civili.* *Resp.* 1.) Distinguendum inter *certa quædam privilegia* ac beneficia libertatis ex principum beneficio clericorum bonis collata, & inter *totalem clericorum exemtionem*, tam *personarum* quam *bonorum* ratione ex jure divino descendentem. Hanc distinctionem adprobat ipse Thomas de Aquin. in comm. c. XIII. Rom. Non de illis privilegiis ac beneficiis, sed de hac omnimoda exemtione clericis jure divino debita inter nos & Bellarminum quæritur. 2.) Bellarminus ipse fatetur, ante Justiniani tempora legibus priorum principum immunes fuisse clericos a tributis personalibus, non tamen fuisse liberos a tributis, quæ pendi solent ratione possessionum, quod recte colligit ex Ambrosio in orat. de tradendis Basilicis, ubi dicit: *Agri ecclesiæ solvunt tributum;* & ex Theodoreto lib. IV. hist. c. 7. ubi scribit, *Valentinianum seniorem in epist. ad episcopos Asiæ illa verba posuisse: Boni episcopi tributa pensitant regibus.* Ergo plenaria ac totalis illa immunitas non fuit perpetua ac necessaria ex jure quodam divino descendens.

Quarta propositio: Bona clericorum libera sunt a tributis principum secularium.

§. CCCCLXIII. *Quinta* denique propositio hæc est: *Exemtio clericorum in rebus politicis, tum quoad personas, tum quoad bona intro-*

Quinta propositio: Exemtio clericorum nititur

partim jure humano, partim divino.

introducta est jure humano *pariter* & divino. Antequam eam probet, observare jubet, per jus *divinum* hic non intelligi *præceptum Dei proprie sic dictum*, quod expresse in sacris literis exstet, sed *quod ab exemplis vel testimoniis test. veteris vel novi per quamdam similitudinem deduci possit;* qua distinctione existimat conciliari posse catholicos scriptores, quorum aliqui adfirmant, alii vero negant, exemtionem illam esse juris divini. Sed pervertit illorum sententiam, qui negant, eam niti jure divino; illi enim non in scripturis, sed in canonico & civili jure ejus originem quærunt: unde Salmeron ea potius conciliatione uti voluit, *quod qui adfirmant, hanc exemtionem esse juris divini & humani, per jus divinum intelligunt canonicum, per jus humanum civile.* Hanc conciliationem Bellarminus & Soarius ex professo refellunt, quod argumentum, est consensus catholici. Atqui debebat omnino ex scripturis adferri præceptum aliquod divinum proprie sic dictum, ad stabiliendam illam thesin, quod clericorum exemtio sit juris divini, quia *non congruam tantum, sed etiam necessariam & immutabilem illam exemtionem esse statuunt, adeo ut invitis etiam principibus immunitatem ac libertatem illam clerici sibi vindicare potuerint ac possint, etsi simul conjungantur, utque privilegium illud nec per revocationem, nec per renunciationem, nec per contrariam consuetudinem destrui possit.* Soarius lib. IV. apolog. contra Angl. c. 30. & seqq. Bellarminus de cler. c. 29. ad quam immunitatem & exemtionem præceptum aliquod divinum expressum & proprium requiri, cuivis est manifestum. Videamus tamen illa scripturæ dicta, ex quibus per similitudinem quamdam Bellarminus jus divinum probat. 1.) Adducit exemplum *Josephi patriarchæ*, qui exemit sacerdotes Ægyptiorum, Gen. XLVII. & *Artaxerxis, regis Persarum*, qui exemit sacerdotes Israëliticos; 1. Esdr. VII. *jam vero non decet ecclesiam Dei minus liberam esse tempore principum christianorum, quam fuerit tempore Pharaonis, ut inquit Alexander pontifex in concilio Lateranensi, & extat cap. Non minus de immunit. eccles. &c. Resp.* Exemplis quibusdam particularibus non probatur jus perpetuum, universale ac immutabile. Recognoscat Bellarminus sua verba lib. I. de clericis c. 7. resp. ad arg. 7. *Exempla scripturarum non faciunt rem esse de jure divino, sed præcepta Dei sunt, quæ hoc faciunt.* 2.) Ex certis & determinatis principum beneficiis non potest omnimoda clericorum in personalibus & realibus exemtio jure divino introducta probari. 3.) Immunitas illa non fuit ab ipsis sacerdotibus usurpata, sed principum beneficio illis concessa. In principum ergo arbitrio ac potestate situm, quosnam a tributo liberare velint; nequaquam vero in sacerdotum manu positum, quam immunitatem sibi arrogare velint. Sic in primitiva ecclesia non episcopi, sed imperatores de hac immunitate leges tulerunt, ut constat ex codice & novellis. 4.) Locus Gen. XLVII. diversimode exponitur. Quidam eum intelligunt de præfectis politicis & ministris aulicis. Sed chaldaicus interpres vocem כהנים, quæ generalis est, expositi per כמוריא, *hierophantas.* Alii statuunt de idololatricis sacerdotibus Ægypti eum accipiendum, atque auctorem illius privilegii non fuisse Josephum, qui idololatriam non tantopere voluerit promotam, sed Pharaonem; proindeque ex ethnicorum superstitione christianos non debere legem mutuari. Sed quia Psalm. CV. 22. de Josepho dicitur, *quod erudierit principes Ægypti in anima sua, & senes ejus sapientiam docuerit;* ideo cum Mercero statuimus, plerosque sacerdotes Ægyptios ad veri Dei cognitionem a Josepho fuisse perductos; ideo recte ex hoc exemplo colligitur, quod principes de necessaria & honesta sustentatione ecclesiæ ministris prospicere, ac a quibusdam oneribus eos immunes præstare debeant, sed ex eo nondum inferri potest omnimoda & universalis ab ipsa jurisdictione in rebus politicis exemtio. 5.) Demensum illud, quod Josephus pendebat sacerdotibus, non fuit perpetuum, quia agri

1.) *Ab exemplo Josephi & Artaxerxis.*

agri illis erant adsignati, unde vivere possent; sed cum tempore famis ex agris non possent ad vitam tuendam solitos fructus percipere, ideo regis auctoritate pensionem extra ordinem illis constituit, quamdiu scilicet fames vigeret, ut sic agros illos Pharaoni non cogerentur vendere. Sed nec potuit Pharao terras sacerdotum eodem onere gravare, quo reliquorum subditorum terras gravabat; eas enim Joseph regi emerat, & ex gratia illos reddebat reservata fisco quinta proventuum annuorum parte, sed sacerdotum terras, quæ erant publicæ, & ex liberalitate regis ipsis adsignatæ, cum non coëmisset, ideo nec onus illud quintationis eis imponere potuit. 6.) Immunitas a tributis & vectigalibus ab Artaxerxe ministris templi ad petitionem Esdræ concessa non potest probare universalem exemtionem; quod enim precario impetratum, non potest trahi ad necessariam consequentiam, nec ultra mentem concedentis extendi.

2.) *Num. III. Levitæ donati fuere Aaroni.*

§. CCCCLXIV. II.) Num. III. *Deus aliquoties repetit, Levitas proprie suos esse, atque eos sibi ex omni populo delegisse, & in eodem loco dono dari jubet omnes Levitas Aaroni & filiis ejus, hoc est, summo sacerdoti & successoribus ejus. Quos enim sibi ipse delegit ad ministerium templi rerumque sacrarum, soli pontifici, qui locum Dei in terris repræsentabat, subjectos esse voluit, ac per hoc a jurisdictione terrenorum principum liberavit. Constat autem id nunc esse in ecclesia clericos, quod erant Levitæ in vet. test. & pontificem christianorum non minoris esse auctoritatis, sed longe majoris, quam fuerit Aaron in synagoga Judæorum. Resp.* 1.) Ostendimus superius, Levitas a jurisdictione regum ac civilis magistratus non fuisse omnimode exemtos. 2.) Pontificem Romanum longe majoris auctoritatis esse, quam summum sacerdotem vet. test. gratis dicitur, hic enim divina ordinatione atque institutione gaudet, qua ille penitus destituitur. 3.) Levitæ in vet. test. *nec agros nec fundos possederunt*, sed ex oblationibus filiorum Israël sese sustentarunt, ideo a tributis & oneribus merito fuerunt liberi. Sed papales clerici tertiam fere partem bonorum hujus mundi ad se transtulerunt, ut Jacobus, rex Angliæ, ac senatus Venetus in suis apologiis testantur. Est ergo hic dispar ratio. 4.) Si a Levitis vet. test. ad sacerdotes nov. test. argumentari licet, poterimus contra Bellarminum sic inferre: Sacerdotibus vet. test. licuit in conjugio vivere. Ergo idem licet ministris ecclesiæ in novo. 5.) Ex eadem hypothesi sic poterimus concludere: Sacerdotibus non licebat possessionem habere, quia *Dominus ipsorum possessio.* Num. XVIII. 20. & 23. Ergo idem non licet sacerdotibus in nov. test. qua ratione pontifex & episcopi magnam terrarum ac provinciarum suarum facient jacturam. Sulpitius Severus lib. I. hist. sac. *Levitis in sacerdotium adsumtis nulla portio data, quo liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus prætermerim, legendumque ministris ecclesiæ libenter ingesserim. Etenim præcepti hujus non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur, tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit, inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student.* Sic longe aliter exemplum Levitarum a sacerdotibus papalibus considerari jubet Sulpitius.

§. CCCCLXV. III.) Matth. XVII. *Ergo liberi sunt filii. Cum enim filii regum a tributis eximuntur, non ipsorum personæ tantum, sed etiam servi & ministri, atque adeo ipsorum familiæ a tributis eximuntur. Certum autem est, clericos omnes proprie ad familiam Christi, qui est filius regis regum, pertinere. Atque id videtur Dominus significare voluisse, cum ait Petro, ut autem non scandalizemus eos, sumens statherem, da illis pro me & pro te, q. d. & se & familiam suam, cujus præfectus erat Petrus, liberos a tributis esse debere. Resp.* 1.) Invertimus argumentum: Quia Christus pro se & Petro didrachmum solvit, ideo

3.) *Matth. XVII. liberi sunt filii.*

exemplum ejus clerici imitentur. 2.) Non agitur ibi de totali exemtione ab omni jurisdictione, sed de didrachmi solutione. 3.) Bellarminus in verbis præcedentibus Hilarii expositionem amplectitur, qui docet, agi h. l. de tributo in usum templi collecto, qua ratione hic locus a quæstione est alienus. 4.) Christus a filiis regum terrenorum argumentatur ad se ipsum, seque a didrachmi solutione liberum esse evincit. Augustinus lib. I. q. evang. q. 23. *Quod dixit, liberi sunt filii, in omni regno intelligendum est, liberos esse regni filios, id est, non esse vectigales: multo ergo magis liberi esse debent in regno terreno filii illius regis, sub quo sunt omnia regna terræ.* Hieronymus in comm. *Dominus noster secundum carnem & secundum Spiritum filius regis erat, vel ex Davidis stirpe generatus, vel omnipotentis Patris verbum, ergo tributa quasi regum filius non debebat.* Bellarminus in verbis præced. hujus cap. *Christus non fuit ullius tributi debitor, quamvis enim non esset filius cæsaris, qui tributum exigebat, erat tamen filius Dei, cujus ministri sunt omnes reges & principes terræ, neque debent ministri regis a filio regis tributum petere. Præterea tributa solvuntur regibus ratione vitæ hujus corporalis timoribus & periculis obnoxiæ, at Christus non solum secundum animam, sed etiam secundum corpus liber erat, nec redemtionem, sed solam resurrectionem corporis exspectabat, neque periculis aut injuriis obnoxius erat, neque ullius regis defensione indigebat.* Sed immane quantum in his omnibus a Christo clerici papales distant? Num enim etiam ipsi regum, vel etiam Dei ipsius sunt filii naturales? num ipsorum vita corporalis non amplius timoribus ac periculis est obnoxia? num illi etiam non redemtionem, sed solam resurrectionem corporis exspectant? num nullius defensione indigent? 5.) Si ad spiritualem in Dei filios & Christi regnum adoptionem confugere velint; breviter respondemus, eam clericis cum omnibus vere piis esse communem, quod si ergo propter eam clerici a solvendis tributis sunt divino jure liberi, omnes vere pii libertatis illius participes erant faciendi, ut nihil dicam de eo, quod privilegium spiritualis libertatis in regno Christi non importat privilegium exemtionis ab obedientia in regnis hujus seculi. 6.) Cajetanus quidem in comm. per filios regis intelligendos esse dicit *episcopos, presbyteros & clericos*, eo quod tales præsint in regno Dei, tanquam filii regis constituti ab ipso ad regnum suum gubernandum, quod Bellarminus h. l. sequitur; sed a Cajetano discedunt Jansenius in c. 69. harm. evang. p. 522. & Salmeron tom. VI. tract. 37. p. 240. ac statuunt, verius ac solidius dici posse, *Christum, quando dicit, filios supremi regis liberos esse, loqui de filiis naturalibus*; addunt etiam rationem evidentem: *Si Christus loquitur de his, qui quovis modo sunt filii Dei, omnes homines adseruisset liberos, cum omnes aliquo modo saltem ratione creationis sint filii Dei.* 7.) Nec obstat, *quod Christus in plurali loquitur, ergo liberi sunt filii, ut autem non scandalizemus eos, vade, &c.* quali videatur Petrus, non nisi scandali vitandi causa, pro se censum persolvere debuisse, nec fuisse debitorem, nisi ratione scandali. Nam ut recte notant Jansenius & Salmeron d. l. *Christus de se solo in plurali numero loquitur, quod ergo de pluribus dicit, id tantum locum habet in Christo, habiturum etiam in pluribus, si plures essent filii naturales: adde, quod scandalum Christi non pendentis censum in Petrum recideret, ut qui ejus negotii administer fuisset.*

Aliorum argumenta pro clericorum exemtione.

§. CCCCLXVI. Quæ ex conciliis *Tridentino, Lateranensi & Colonienſi* proximo seculo habitis, & ex constitutione *Bonifacii VIII.* in cap. *Quanquam de censibus* in 6. Bellarminus producit, ea parum roboris apud nos obtinent, qui didicimus non spectandum, quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat. Videamus ergo, quæ a Bellarmino alibi vel ab aliis pontificiis adferantur scripturæ dicta pro exemtione illa clericorum stabilienda. 1.) Bellarminus contra Barclajum c. 3. adducit vaticinium

a.) *Ps. XLV. 17. Principes terrarum constitues eos.*

cinium Psalm. XLV. 17. *Principes terrarum constitues eos loco patrum super omnem terram. Resp.* Loquitur psaltes de spirituali principatu, per quem omnes vere credentes dominantur satanæ, mundo ac carni, quo respectu etiam dicuntur *reges*, Apoc. I. 6. 1. Petr. II. 9. quod tam certum est, ut Bellarminus ipse vi veritatis coactus subjungat: *Quamvis principatus ille spiritualis esset; tamen verus principatus erat temporali principatu longe nobilior.* At non est hoc loco quæstio de dignitate vel nobilitate ecclesiastici ministerii, sed de ejusdem potestate in politicis ac temporalibus. 2.) Baldus in cap. Clericus de pac. tenend. & alii adlegant illud Psalm. CV. 15. *Nolite tangere christos meos;* quod sic exponunt; *Vos potestates laicæ, nolite homines consecratos ullo modo vobis subjicere. Resp.* Loquitur psaltes non de clericis novi, sed de prophetis vet. test. non de legitima potestate, sed de injuriis illicitis, non ad magistratus christianos, sed ad reges ethnicos, qui Israëliticam ecclesiam persequebantur. 3.) Bonifacius VIII. in cap. *Vnam sanctam extra de major. & obed.* adfert locum apostolicum: 1. Cor. II. 15. *Spiritualis homo omnia judicat, ipse vero a nemine judicatur. Resp.* 1.) Clerici papales nihil minus sunt, quam spirituales, cum carnalibus concupiscentiis plurimi serviant. 2.) Omnes vere credentes sunt *spirituales*, Gal. VI. 1. *aguntur enim Dei spiritu*, Rom. VIII. 14. nec uspiam in nov. test. *spiritualium* nomen peculiariter & εἰδικῶς ecclesiæ ministris tribuitur. Quod si ergo absolute ac simpliciter accipiendum apostoli dictum, omnes vere credentes a judiciis secularium magistratuum erunt exemti. 3.) Si spirituales, id est, ecclesiastici a nemine judicantur, ergo nec a pontifice Romano. Sic ergo non solum a foro cæsaris, sed etiam pontificis clerici erunt exemti. 4.) Bonifacius ex dicto apostolico colligit, quod suprema potestas ecclesiastica in Romano pontifice residens sit exemta omni judicio humano. Atqui apostolus loquitur generaliter de omni homine spirituali, consequens igitur fuerit, non solum spiritualem summum, sed etiam spiritualem minorem a nemine debere judicari, cujus contrarium ibidem Bonifacius habet, *quod spiritualis minor judicetur a suo superiore.* 5.) Apostolus non agit de judicio forensi, sed ecclesiastico & discretivo, quo fidei dogmata in ecclesia probantur. Judicium illud tribuit homini spirituali, id est, qui per gratiam Spiritus sancti est renatus & illuminatus, reliquis vero animalibus, & Spiritus sancti luce destitutis illud derogat. 6.) Apostolus agit de rebus ad internum conscientiæ tribunal pertinentibus; Bonifacius id adcommodat ad res terrenas, quæ ad externum & civile magistratus judicium spectant.

b.) *Ps. CV. 15. Nolite tangere christos meos.*

c.) *1. Cor. II. 15. Spiritualis a nemine judicatur.*

An exemtio clericorum nitatur jure naturali?

§. CCCCLXVII. Neque vero divino tantum *jure positivo*, sed etiam *jure naturali* hanc omnimodam clericorum exemtionem niti, probare conatur Bellarminus c. 29. ubi primo distinguit *tres gradus* juris naturalis. *Primus præceptorum naturalium gradus est* (inquit) *eorum, quæ ita perspicue sunt impressa in cordibus hominum, ut solo lumine rationis sine ulla disciplina vel arte, imo sine novo discursu rationis judicentur ab omnibus justa; talia sunt prima quædam principia, ut bonum esse adpetendum, malum fugiendum, vitam cibo & potu conservandam. Secundus gradus est eorum, quæ deducuntur ex illis primis principiis, tanquam conclusiones proximæ, & quasi naturaliter fluentes per facilem, evidentem & necessariam consequentiam, ut non sit opus arte vel disciplina, sed simplici discursu, qualem omnes habere possunt; talia sunt omnia decalogi præcepta; nam ex illo principio in corde omnium impresso, Deum esse colendum, sequitur continuo, non esse colenda idola, neque esse pejerandum; ex illo altero principio: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, sequitur non esse occidendum,*

non mœchandum, &c. Tertius gradus præceptorum naturalium est eorum, quæ deducuntur quidem ex principiis juris naturæ, sed per consequentiam non absolute necessariam, nec omnino evidentem, & ideo egent humana constitutione, quæ theologi referunt ad jus gentium. His præmissis statuit *exemtionem ecclesiasticorum non ad primum nec secundum, sed ad tertium gradum præceptorum juris naturæ pertinere. Resp.* Aliquam ecclesiasticorum immunitatem ab oneribus & tributis ex lumine juris naturæ deduci concedimus; sed de omnimoda & universali ab omni jurisdictione civilis magistratus exemtione id negamus. Videamus ergo, quomodo illam plenam & omnimodam libertatem, vel potius licentiam juri naturali ac rationi conformem esse, Bellarminus probet: 1.) adducit *consuetudinem omnium gentium.* Exemti fuerunt *Levitæ* apud Hebræos; Exod. XXX. *sacerdotes apud Ægyptios*; Gen. XLVII. sacerdotes *gentiles* teste Aristotele lib. II. œcon. Cæsare lib. VI. de bell. Gall. Plutarcho in Camill. & *Constantinus, qui primus fuit imperator aperte christianus, continuo natura docente ecclesiasticos immunes a communibus reipublicæ oneribus declaravit, quod idem multi alii imperatores fecerunt. Resp.* 1.) Sacerdotes apud omnes fere gentes a quibusdam oneribus ac tributis immunes fuisse concedimus; sed ab omni jurisdictione magistratus exemtos fuisse διαφρήδην negamus, ac contrarium illis ipsis, quæ Bellarminus adducit, exemplis demonstrari potest. 2.) Distinguendum inter *dignitatem & potestatem*: communi omnium gentium opinione summam sacerdotibus deferri solitam fuisse dignitatem concedimus; sed quod summam in politicis ac temporalibus potestatem obtinuerint, negamus, unde etiam Gelasius c. *Duo sunt* dist. 96. *auctoritatem sacram pontificibus, regalem potestatem principibus* tribuit, quod Bonifacius VIII. postea plane invertit, *potestatem pontificum, auctoritatem regum* esse dicens. Atqui pontifices dignitate & potestate in spiritualibus oportebat esse contentos, nequaquam verò summam etiam in temporalibus potestatem sibi arrogare. 3.) Si exemtio illa totalis est rationi & juri naturali congrua, unde factum, ut principum constitutionibus primum fuerit introducenda? jus naturale apud omnes & omni tempore idem est, nec indiget novis constitutionibus. 4.) Concedit Bellarminus, *ante leges Constantini & aliorum principum*, ex quorum liberalitate & indulgentia sancita est clericis immunitas, *prædia ecclesiasticorum juris communis fuisse.* Hoc si contra jus divinum ac naturale fuisset, sine dubio ubi primum exstitit imperator christianus, statim in principio jus illud sublatum esset tanquam impium. Atqui non statim a Constantino, sed variis temporibus a variis imperatoribus jura immunitatis sunt concessa, & qui illa accipiebant, liberalitati principum semper tulerunt accepta, notante Casaubono exerc. XV. cont. Baronium sect. 19. unde cum Bonifacius VIII. in Galliam jus sibi quæreret, Philippus pulcer conventu indicto Parisiis episcopos rogavit, *a quo suarum ecclesiarum prædia ac proventus accepissent?* quibus respondentibus, *regio jure se isthæc tenere & tueri*, subjecit rex, *ergo Bonifacius injuria vos & omne regnum Francorum sibi subjicere laborat.*

Affirmativam Bellarminus probat α.) a consuetudine omnium gentium.

§. CCCCLXVIII. II.) Alterum argumentum ducitur *a similitudine*, quam potestas ecclesiastica & politica habent cum anima & corpore humano. *Potestas ecclesiastica ad secularem eo modo se habet, quo se habet in homine spiritus ad carnem. Spiritus autem ita se habet ad carnem, ut quamvis non impediat ejus actiones, cum bene se habent, eam tamen regat, & moderetur, & aliquando cohibeat, aliquando excitet, prout ad finem suum expedire judicat. Contra vero caro nullum habet imperium in spiritum, neque eum ulla in re dirigere vel judicare, vel coërcere potest. Sic ergo potestas ecclesiastica, quæ spiritualis est, ac per hoc naturaliter secluli superior, secularem potestatem, cum opus est, dirigere, judicare*

β.) A similitudine.

care & coërcere poteſt, ipſam vero a ſeculari dirigi vel judicari, vel coërceri nulla ratione permittitur. Reſp. De hac comparatione dictum fuit in proxime præcedente tractatu §. 306. h. l. addimus paucula: 1.) Ipſe Bellarminus lib. II. de conc. c. 19. reſp. ad arg. 2. argumentationem a corpore naturali ad myſticum rejicit: *aliud*, inquit, *eſt judicium de corpore eccleſiæ, quam de corporibus naturalibus.* 2.) Comparatio non eſt extendenda ultra tertium, in quo inſtituitur. Sicut ſpiritus dirigit corpus, ita in ſpiritualibus dirigi debet politica poteſtas ab eccleſiaſtica; ſed ex eo non poteſt inferri, quod in temporalibus etiam politica poteſtas eccleſiaſticæ ſit ſubjecta. Civilis poteſtas ſpirituali poteſtati, id eſt, verbo Dei, quod a miniſtris prædicatur, eſt ſubjecta; ſed ex eo nequit inferri, quod poteſtas ſpiritualis etiam in temporalibus ac civilibus ſummam poteſtatem & jurisdictionem ſibi arrogare debeat. 3.) Anima eſt *actus corporis* definiente Ariſtotele, ideo corpus humanum eſſentialem habet in agendo dependentiam ab anima: ſed civilis poteſtas non pendet ab eccleſiaſtica poteſtate in ſolidum & eſſentialiter, cum poſſit eſſe respublica absque eccleſiaſtica poteſtate. *Chriſtus actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia utriusque poteſtatis diſcrevit propria*; inquit Nicolaus I. cap. *Cum ad verum* diſt. 69. 4.) Invertimus Bellarmini ſimile: Vt anima non corrigit corpus alia ratione, quam ſpiritualiter, neque enim digitum vel brachium abſcindit, ſed modo ſpirituali corpus coërcet: ſic poteſtas ſpiritualis non niſi ſpiritualibus mediis ac remediis civilem poteſtatem debet coërcere, nequaquam vero armis corporalibus depoſitione e ſolio regali, abſolutione ſubditorum a juramento fidelitatis.

γ.) *A clericorum nomine.*

§. CCCCLXIX. III.) A *clericorum nomine.* Sacerdotes vocantur *patres & paſtores.* Jam vero *natura docet, ut filii parentibus obediant, atque ab iis ſe corrigi patiantur, non autem ipſi parentes corrigere vel judicare velint. Duce & magiſtra natura oves a paſtoribus gubernantur, non autem paſtores ab ovibus. Reſp.* Huic argumento ſatisfactum fuit ſuperius. IV.) A *clericorum ſtatu. Clerici ad obſequium ſolius Dei ſunt conſecrati; jam vero lumen rationis oſtendit, in ea, quæ ſunt Deo conſecrata, nullum jus habere poſſe ſeculi principes. Reſp.* Ratione officii clerici Deo ſunt conſecrati, interim manent perſonæ ratione partes reipublicæ, & poſſident terrena bona, quo reſpectu terrenis principibus ſubjecti manent. *Dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos dominis carnalibus ſubjacere*; inquit Thomas lect. I. c. XIII. Rom.

δ.) *A clericorum ſtatu.*

V.) A *judicio divino. Baſilius imperator Græcorum apud Balſamonem in nomocanone Photii cauſam omnium calamitatum ejus temporis refert in legem quamdam Nicephori Phocæ contra eccleſiæ libertatem latam. Reſp.* In nomocanone illo Photii habentur plurimæ leges Juſtiniani de perſonis & rebus eccleſiaſticis latæ, quod Bellarminus de facto, non de jure eſſe dicit. Nicephorus Phocas, ſi contra eccleſiaſticam libertatem verbo Dei & rectæ rationi conformem quidpiam ſancivit, ad nos minime pertinet, ex eventu autem actiones æſtimari debere negamus. Atque hæc dicta ſint de *clericorum exemtione*, de qua tractant Marſilius Patavinus in defenſ. pacis part. II. c. 3. Jacobus, Angliæ rex, & Veneti in ſcript. cont. Bellarm. & Baronium, Barclajus lib. de poteſt. pap. Arniſæus de exemt. cler. c. 2. & 3. Johannes epiſcopus Roſſenſis in lib. de poteſt. pap. c. 15. edit. Londin. Meiſnerus lib. IV. de legib. ſect. 2. q. 6. Eckardus de magiſtr. p. 3. p. 153. (*) Mich. Wendlandius in diſc. de pace & cura relig. quos adire poterit, cui hæc non ſufficiant.

ε.) *A judicio divino.*

§. CCCCLXX.

(*) Paræus in comm. c. XIII. Rom. Joachimus Stephani de jurisd. lib. IV. c. 2. Scipio Gentilis lib. II. c. 14. Hunnius JC. in reſol. Treutlerus vol. I. diſp. 12. lit. B. GERHARDVS.

An magistratus juramentum fidelitatis ab ecclesiæ ministris possit exigere?

§. CCCCLXX. Quæritur ulterius: *An, cum magistratui certa ratione subjecti sint ecclesiæ ministri, idem juramentum fidelitatis ab illis exigere possit?* Si jus suum magistratus stricte urgere voluerit, ecclesiæ minister juramentum fidelitatis a magistratu sibi impositum recusare minime potest, nisi quidpiam contineat, quod legibus officii in verbo Dei præscriptis sit contrarium. Etenim 1.) si ecclesiæ ministri in temporalibus jurisdictioni magistratus politici sunt subjecti, utique etiam *juramentum fidelitatis*, quod in signum subjectionis exigitur, subterfugere non poterunt. 2.) Si juramentum testimonii, purgationis, &c. magistratus in causis politicis imponere potest ecclesiæ ministro, quidni etiam juramentum fidelitatis? 3.) Si magistratus auctoritati ac dignitati ex eo nihil decedit, quod in leges regni fundamentales & capitulationem imperii jurat, utique nec ministro ecclesiæ quidquam auctoritatis vel dignitatis derogare censendum, si magistratui juramentum fidelitatis præstat. 4.) Jacobus patriarcha filium suum Josephum in regali dignitate constitutum juramento obstringit, ut in terra Canaan ipsius corpus sepeliat, Gen. XLVII. 31. neque Josephus exceptione dignitatis suæ usus legitur, quo minus patri juramentum illud præstaret. Jam vero magistratus est *pater patriæ*, quod si ergo legitimum a ministris ecclesiæ juramentum exigit, illi exceptione officii ac dignitatis in eo recusando uti nequeunt: quinimo juravit Deus Israëlitarum majoribus, quod terram Canaan ipsis dare velit, neque quidquam ex eo divinæ ejus majestati decessit. Gen. XXII. 16. L. 24. Exod. XIII. 5. &c. 5.) Regi Joas etiam Levitæ jurant 2. Paral. XXIII. 2. *Centuriones ex mandato Jojadæ congregant Levitas de cunctis urbibus Israël, & principes familiarum Israël, veneruntque in Jerusalem.* v. 3. *Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege.* Interim tamen rectius fecerit pius & christianus magistratus, si stricto jure non utatur, sed ecclesiæ ministris juramentum non imponat, sed simplici obedientiæ promisso sit contentus. 1.) Etenim si suam ac subditorum animas ipsorum curæ & fidei committit, eccur de fidelitate ipsorum in politicis & temporalibus dubitare velit? Bonorum verba singula sunt juramenta. 2.) Magistratus illi, qui absolutam & αὐτοκρατορικὴν potestatem in ministerium ecclesiasticum sibi vindicant, hoc juramento fidelitatis facile abuti poterunt, & in ecclesiasticis simplicem & absolutam subjectionem ab ecclesiæ ministris exigere. 3.) Apud auditores ministerii ecclesiastici dignitati atque auctoritati id fraudi esse facile potest, cum ipsis certi illius juramenti limites sint ignoti. 4.) In ecclesiis & rebuspublicis bene constitutis ille mos exigendi juramentum ab ecclesiæ ministris nondum obtinuit, ideoque in eas minime introducendus. Argentinæ quid fiat, notum est, id vero cum diuturna consuetudine usurpatum sit, non potest nec debet aliis rebuspublicis & ecclesiis, in quibus mos ille nondum inolevit, nihil quidquam præjudicare.

An eædem virtutes magistratus & subditorum?

§. CCCCLXXI. His ita præmissis descendimus *ad virtutes & officia subditorum.* Quærit philosophus lib. III. polit. cap. 3. & lib. V. ethic. cap. 2. *an eædem sint virtutes magistratuum ac subditorum?* Itemque *an eædem virtutes sint boni viri ac boni civis?* Ad utramque respondet negative, ac ratione prioris quæstionis distinguit inter virtutes ἀρχοντος καὶ ἀρχομένε, illas vocat ἀρχικὰς, has vero πειθαρχικάς. Alia principis, alia privati est institutio, ergo etiam diversa utriusque virtus. Alia requiruntur a magistratu, alia a subditis. Illius est bene imperare, horum vero obedienter parere. Notandum tamen, quod non tam specie, quam gradibus, non tam habitu, quam actibus, non tam interna forma, quam externis objectis & circumstantiis virtutes magistratus ac subditorum distinguantur, cum eandem habeant normam ac formam, licet objectis actionibus distinguantur. Sic eadem justitia est principis ac civis; interim

interim illa in publicis occupatur, hæc in privatis, illa majori præfulget lumine, hæc vero est obscurior. Circa posteriorem quæstionem distinguendum inter rempublicam christianam optimis legibus constantem, & eam, quæ ab hoc statu deflectit. In christiana & optima republica non multum a se invicem absunt civis bonus ac vir bonus, sed in aberrantibus rebuspublicis plurimum differunt. Deinde in optima etiam republica hæc manet inter bonum civem ac bonum virum differentia, quod ille actiones duntaxat exteriores moderetur, & legibus reipublicæ externam obedientiam præstet; hic vero etiam interiores animi motus rectæ rationis freno coërceat. Ad civem bonum sufficit obedientia erga leges patrias, sed ad virum bonum requiritur καλοκαγαθία & omnium virtutum complexus.

Officia subditorum. §. CCCCLXXII. Officia subditorum distingui possunt ratione *objectorum*, quod alia respiciant *magistratum*, alia *rempublicam*, alia *concives*. Magistratui quid debeant, postea explicabitur. Reipublicæ debent *amorem*, concivibus φιλησυγίαν & *concordiam*. Plato dicebat, *nos esse natos, ut patriæ prosimus*. Prodesse autem illi possumus quinque modis. 1.) *Laborando pro ipsius honore ac laude*; si tales esse ac permanere studeamus, qui patriæ olim honori simus, ut ipsa a nobis laudem & honorem adipiscatur. 2.) *Instruendo eam consilio* & prudentia, si opus fuerit. 2. Sam. XX. 16. 3.) *Commodis ipsius inserviendo*, ut illi tanquam matri, quæ nos genuit, aluit, ac sinu suo complexa est, gratos nos exhibeamus. 4.) *Defendendo eam* vel viribus corporis vel animi prudentia, prout res postulat. Hebr. XI. 34. 5.) *Pro ea mortem obeundo*, si aliter fieri nequeat, de qua morte Horatius canit: *Dulce & decorum est pro patria mori. Cari sunt parentes*, ait Tullius lib. I. off. *cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitat mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Si tranquillitas ac felicitas reipublicæ debet esse diuturna; necesse est, ut non solum magistratus, sed etiam subditi ament præsentem ejus statum, quia κόρος, *satietas prima solet esse mutationis & interitus causa*, teste Pythagora apud Stobæum serm. 42. Vt autem boni cives est patriam amare, ita quoque ipsi convenit cum concivibus concordiam alere. Vt in corpore humano membra invicem amice consentiunt, & commodis suis omni ex parte serviunt: sic in republica inter cives oportet esse communicationem officiorum & mutuæ concordiæ studium. *Civem oportet æquo & pari jure cum cæteris vivere, neque submissum & abjectum, neque se efferentem, tum in republica ea velle, quæ tranquilla & honesta sunt.* Cicero lib. I. offic.

Erga concives.

§. CCCCLXXIII. Officia subditorum erga magistratum variis modis enumerantur; decalogus una voce *honoris*: Augustiana confessio art. XVI. uno nomine *obedientiæ* officium subditorum erga magistratum complectitur. Nos secuti ductum apostoli Rom. XIII. 1. & seqq. ac 1. Tim. II. 2. ad quatuor capita ea omnia reducimus. Subditi enim debent magistratui suo 1.) *honorem & reverentiam*, 2.) *subjectionem & obedientiam*, 3.) *census & tributa*, 4.) *preces & vota*; in hisce omnibus magistratui præstandis si subditi recte sese gesserint, suo perfuncti satis sunt officio.

Erga magistratum.

I.) Primo diximus magistratui a subditis deberi *honorem ac reverentiam*. Docet hoc apostolus in in propria hujus articuli sede Rom. XIII. ubi postquam de statu & officio magistratus dixisset, subjungit v. 7. *vos subditi reddite honorem, cui honorem scilicet debetis.* Sic & Petrus 1. Epist. II. 17. *Deum timete, regem honorificate*, τὸν βασιλέα τιμᾶτε. *Deo* honorem debemus; Malach. I. 6. Act. XII. 23. jam vero magistratus est Dei in terris vicarius. Ergo etiam honorem magistratui debemus. *Parentibus* debetur honor a liberis; Exod. XX. 12. Deut.

a.) *Honor & reverentia.*

Deut. V. 16. jam vero principes sunt patriæ patres. Ergo illis debetur honor a subditis. Qui in sublimitate & fastigio dignitatis constituti sunt, illis honor exhibendus. Jam vero magistratus in sublimitate divinitus sunt constituti; 1. Tim. II. 2. Ergo &c. Servi *dominos* suos omni honore dignos arbitrentur. 1. Tim. VI. 1. Jam vero magistratus sunt domini. Ergo omni honore digni judicentur. Ad hunc honorem magistratui debitum pertinet: 1.) *divinæ ordinationis agnitio*, ut ex verbo Dei agnoscamus, & firmiter statuamus, ordinem politicum divinitus a Deo institutum esse, & adhuc conservari, nec casu aut fortuito, sed Dei voluntate in thronum majestatis quosdam evehi, quibus reverentiam & obedientiam exhiberi velit. Rom. XIII. 1. *Non est potestas nisi a Deo.* v. 4. *Dei minister est tibi in bonum.* 1. Pet II. 13. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* 2.) *Honesta de magistratu existimatio*, ut intueamur eos tanquam *Deos terrenos*, Psalm. LXXXII. 6. tanquam Dei vicarios & ministros, nec tam personas, quam divinum, quod gerunt officium, considerandum nobis proponamus, ac honorifice de illis in corde sentiamus. Augustinus in libr. qq. vet. ac nov. test. quæst. 35. *Imaginem Dei rex gestat, idcirco colendus & amandus est, si non propter se, saltem vocationis & functionis suæ causa.* 3.) *Honorifica magistratus compellatio*, ut honorem, quem interius in corde magistratui exhibemus, etiam verbis manifestum faciamus, *quia ex abundantia cordis os loquitur*: Matth. XII. 34. Sic mulier Thecuitis ad Davidem inquit 2. Sam. XIV. 17. *Sicut angelus Domini, sic est dominus meus rex, ut audiat bonum ac malum.* Eodem modo regem compellat Mephiboseth 2. Sam. XIX. 27. *Tu Domine, mi rex, sicut angelus Dei es.* Cavendæ tamen voces adulatoriæ & immodica præconia. Act. XII. 21. seqq. cum Herodes admitteret adulantium voces, quibus ipsi adclamabant: *Vox Dei & non hominis*, nec daret gloriam Deo, percussus ab angelo ob illum fastum factus est σκωληκόβρωτος. 4.) *Honorifica coram magistratu inclinatio*, ut exterioribus etiam gestibus testemur, nos de magistratu honorifice in corde sentire. Gen. XLII. 6. Josephum *adorant* fratres *faciebus suis ad terram.* 1. Reg. I. 23. cum propheta Nathan introisset in conspectum regis Salomonis, *adoravit eum pronus in terram*; quod facit etiam mater regis Bathsabea, v. 31. ubi adorationis nomine genuflexio & corporis inclinatio intelligitur. Conjunge 2. Sam. XIV. 4. 5.) *Infirmitatum condonatio*, ut candore & ἐπιεικείᾳ nævos magistratus toleremus, in partem meliorem eos interpretemur, ac prudenti dissimulatione tegamus, ac si ratione officii illorum emendatio nobis incumbat, moderatis consiliis & admonitionibus illud tentemus. Quod enim filiis dictum Sirac. III. 9. *In opere, sermone & omni patientia honora patrem tuum*; idem etiam subditi sibi dictum esse existiment. Quod servis dictum 1. Pet. II. 18. *ut ferant in omni timore dominos, non tantum bonos & modestos*, sive lenes, sed etiam σκολιὰς ac δυσκόλους, idem sibi quoque dictum esse subditi statuant. 6.) *Detractionum vitatio*: caveant subditi, ne magistratui suo in corde maledicant, nec ore ei detrahant, sed honorifice de eo & sentiant & loquantur. Exod. XXII. 28. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices*; quod repetit apostolus Act. XXIII. 5. Eccles. X. 20. *Etiam in cogitatione regi ne maledicas, & in secreto cubiculi tui ne vilipendas divitem, quia avis cœlorum ire faciet vocem & habens alas adnunciabit verbum.*

§. CCCCLXXIV. II.) *Subjectionem & obedientiam* magistratui a subditis deberi diversis testatur apostolus Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi a Deo.* v. 2. *Itaque qui resistit, Dei ordinationi resistit.* v. 5. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Huic conjungenda sunt similia dicta: Genes. XLI. 40. cum Josephus Ægypti prorex constitueretur, Pharao ad eum dicit: *Cunctus populus obediet tibi.* b.) *Subjectio & obedientia.*

Deut.

Deut. XVII. 12. *Qui noluerit obedire sacerdoti aut judici, moriatur vir ille.* Jos. I. 17. dicunt Israëlitæ ad Josuam ducem: *Sicut obedivimus in cunctis Mosi, ita obediemus & tibi.* v. 18. *Qui rebellarit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, morte moriatur.* Tit. III. 1. *Admone illos,* (ὑπομίμνησκε, suggere illis, quod jam ante a me audiverunt) *principatibus ac potestatibus subditos esse, dicto obedire,* πειθαρχεῖν. Cumprimis vero dictum apostolicum 1. Pet. II. 13. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, tanquam præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis.* Ad hanc obedientiam magistratui præstandam subditos invitare debet 1.) *mandatum divinum sive Dei voluntas.* 2.) *Magistratus dignitas*: Quia enim in sublimitatem & potestatem divinitus sunt evecti, ideo debetur eis subjectio. 3.) *Magistratus utilitas*: Si quis enim beneficia illa, quæ a magistratu in subditos descendunt, recte æstimare didicerit, is debitam subjectionem magistratui non denegabit. 4.) *Obedientiæ necessitas*: *Necessitate subditi estote*, inquit apostolus, *propter conscientiam. Qui enim resistit, Dei ordinationi resistit*, proinde gravat conscientiam, & magno se involvit delicto. 5.) *Pœnarum*, quæ seditiosos & inobedientes comitari solent, *gravitas*: *Subditi estote propter iram*, inquit apostolus. Prov. XXIV. 21. *Time Dominum, fili mi, & regem, & cum irrequietis ne commiscearis.* v. 22. *Quoniam repente consurget perditio eorum, & ruinam utriusque quis novit?* Exempla punitæ rebellionis proponuntur *in Core, Dathan & Abiram*, Num. XVI. *in Sichemitis*, Jud. IX. *in Theuda & Juda Galilæo.* Act. V. 36. & 37.

Obedientiæ hujus partes.

§. CCCCLXXV. Pertinent vero ad hanc obedientiam magistratui debitam: 1.) *Promtitudo voluntatis interior*, qua nos ultro ac sponte sincero studio magistratui tanquam divinæ ordinationi subjicimus, non tantum *propter iram*, hoc est, ut caveamus pœnas, sed etiam *propter conscientiam*, ut Dei mandato pareamus. 2.) *Sincerus amor*, quo paternam magistratus curam & affectum grato animo agnoscimus, filiali reverentia & amore reciproco eum complectimur, & omni officiorum genere animum nostrum declaramus. Sic *Esaias* pestilentiali ulceri regis Ezechiæ imponit emplastrum: 2. Reg. XX. 7. *David* erat acceptus in oculis universi populi. 1. Sam. XVIII. 9. *Patres patriæ* sunt pii principes, ergo subditi filialem amorem ipsis debent, ac subjectio & obedientia ipsorum ex filiali amore, non servili timore, proficisci debet. 3.) *Filialis timor*, ut potestatem magistratui divinitus datam reveriti humiliter eidem nos subjiciamus, ac sedulo caveamus, ne justam magistratus iram ac pœnas nobis inobedientia adtrahamus, quemadmodum Cœcias ad se trahit nubes. 1. Reg. III. 28. *Omnis Israël timuit Salomonem.* Prov. XXIV. 21. *Time Deum & regem.* Rom. XIII. 7. *Reddite timorem, cui timorem debetis.* v. 3. *Principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem, bonum fac.* v. 4. *Si autem malum feceris, time.* 4.) *Fidelitas*, ut in timore & obedientia magistratui præstanda simus constantes, atque omni, quo possumus, studio, personam, famam, dignitatem, vitam & salutem magistratus tueamur. 1. Sam. XXII. 14. dicit Achimelech ad Saulem regem: *Quis in omnibus servis tuis sicut David fidelis, pergens ad imperium tuum?* 5.) *Omnia officia externa* honestis legibus conformia tam pacis quam belli tempore præstanda: Gen. XLI. 44. *Ad oris tui imperium cunctus populus obediet*, in Hebræo est יִשַּׁק, Chaldæus vertit יִתְּנֵן, *ad verbum tuum armabitur omnis populus.* Radix נשק significat osculari, obedire, arma sumere, quæ significationes omnes huic loco congruunt; subditi enim debent reipublicæ defensionem, magistratui amorem & reverentiam, subjectionem & obedientiam, quæ armorum usurpatione declaratur, jam vero tam amoris quam subjectionis signum est osculum: Psalm. II. 12. 1. Sam. X. 1. &c. 6.) Ἀπολυπραγμοσύνη, ne subditi in partes magistratus irrumpant; sed ad cognitionem ejus deferant, in

quo injuria adfecti videntur, nec privata vindicta utantur, sed magistratus defensionem & auxilium implorent.

Obedientiæ limites. §. CCCCLXXVI. Cæterum hæc obedientia magistratui a subditis debita certos ac determinatos habet limites. Quamvis enim in omnibus, etiam durioribus edictis magistratui parendum sit; tamen in illis, quæ sunt contra pietatem, veræ religionis confessionem & conscientiæ libertatem, adeoque contra divinam legem, non tenentur subditi magistratui obedire. 1.) Propter *expressa Scripturæ interdicta*: Matth. XXII, 21. *Date, quæ sunt cæsaris, cæsari, & quæ sunt Dei, Deo;* ubi in priore membro diserte exprimitur, quid cæsari dandum sit, videlicet quod est cæsaris, ac posterius membrum limitat prius, ita dandum est cæsari, quod est cæsaris, ut tamen, quod Dei est, Deo relinquatur. Quod si ergo cæsar ea, quæ Dei sunt, sibi arrogat, hoc est, quando contra Deum vel pietatem vel honestatem aliquid præcipit, non est ei parendum. *Extra territorium jus dicenti impune non paretur*, dicunt jurisconsulti. Act. V. 29. *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Huc pertinet mandatum Dei Bileamo datum: Num. XXII. 12. *Noli ire cum eis, neque maledicas populo.* 2.) Propter *probata piorum exempla* ad imitandum nobis in hoc casu proposita. Exod. I. 17. obstetrices Ægyptiacæ *timuerunt Deum, & non fecerunt juxta præceptum regis*, ut projicerent Israëlitarum infantes in profluentem. Exod. II. 2. parentes Mosis *infantulum absconduntribus mensibus*, id quod fidei tribuit epist. ad Hebr. XI. 23. *Fide Moses natus occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem & non timuerunt edictum regis*; hoc est, credebant Deum & ipsos & infantulum conservaturum, ideoque una cum puero periclitari, quam in Deum & puerum peccare maluerunt. 1. Sam. XXII. 17. *Servi Saulis noluerunt extendere manus in sacerdotes Domini.* Dan. III. 18. Sadrach, Mesach & Abednego Nabuchodonosori dicunt: *Notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus & statuam tuam auream, quam erexisti, non adoramus.* VI. 10. *Daniel* contra edictum regis Darii apertis fenestris orat. Act. IV. 18. *apostoli* in Christi nomine loqui ac docere a synedrio Hierosolymitano prohibiti, respondent: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audiri quam Deum, judicate.* Mulier Hebræa una cum septem liberis mori maluit, quam jussu Antiochi contra legem divinam carne suilla vesci 2. Macc. VII. Referenda huc exempla omnium martyrum, qui exquisitissima supplicia maluerunt subire, quam a veritatis confessione discedere. 3.) Propter *divina præmia*, quibus adfecti sunt, qui in talibus magistratuum edictis Deo magis obedire voluerunt, quam hominibus. Exod. I. 21. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos*, hoc est, benedixit familiæ & œconomiæ ipsorum. Dan. III. 19. *socii Danielis in fornace ignea vivi conservantur.* Tob. II. 9. *Tobias plus timebat Dominum, quam regem, ac sepeliebat corpora mortuorum*, quod officium caritatis *etiam in hac vita* ipsi divinitus remuneratum. 4.) Propter *obedientiæ illius reprehensionem.* Num. XXII. 32. dicit angelus ad Balaamum regis Balac mandato contra Dei interdictum parentem: *Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria.* 2. Pet. II. 16. *Balaam correptionem habuit suæ iniquitatis, quod subjugale mutum in hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam.* 1. Reg. XII. 30. damnantur *Israëlitæ*, quod edicto Jeroboami *in colendis vitulis aureis* obsecuti fuerint. Huc pertinent pœnæ, quibus Deus præpositeram illam inobedientiam adfecit. Num. XXXI. 8. *Balaam gladio interficitur*, quod ad maledicendum Israëlitis se conduci passus fuerat. Dan. III, 22. viros illos, qui miserant Sadrach, Mesach & Abednego in fornacem, jussionem regis secuti, interfecit flamma ignis. 5.) Propter *alieni muneris usurpationem*, quam in talibus mandatis magistratus sibi arrogat. *Magistratus est sub Deo*, Gen. L. 19. ergo non debet se efferre supra Deum; re ipsa autem sese supra Deum effert, quando

quando mandata sua divinis præceptis contraria servari jubet, quod injustum esse apostoli pronunciant Act. V. 28. Magistratus non est dominus divinæ legis constitutus, sed ejus minister ac custos. Ergo non debet aliquid præcipere, quod divinæ legi adversetur, vel si tale quid præcipiat, subditi non tenentur obedire. Magistratui non competit imperium in hominum animas ac conscientias, sed mentium rex Deus est. Ergo non debet talia decreta promulgare, quibus conscientiæ subditorum graventur. Magistratus est *minister Dei in bonum.* Rom. XIII. 4. At si contraria verbo Dei præcipiat, tum non est Dei minister in bonum. Magistratui obtemperamus propter Deum, 1. Pet. II. 13. ergo Deo magis obediendum, quam magistratui, quia propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale. Prov. XXIV. 21. *Time Dominum & regem.* Ergo timor Dei præluceat obedientiæ magistratus. 6.) Propter *paritatis rationem.* Præcepit Deus honorare parentes, Exod. XX. 12. sed si contra Patris cœlestis voluntatem quidpiam præcipiant, audiendi non sunt, sed audiendus Christus, qui Matth. X. 37. inquit: *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Luc. XIV. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum aut matrem suam, non potest esse meus discipulus. Amandus est generator, sed præponendus creator;* Tertullianus de idololat. cap. 12. nec *debet plus amari beneficium, quam benefactor.* Ambrosius in cap. XII. Luc. pag. 111. Idem de magistratibus, *qui sunt patres patriæ*, dicendum. Obedire illis oportet, *sed in Domino*, non contra Dominum Eph. VI. 1. 7.) Huc pertinent *dicta piorum veterum*: Polycarpus in epist. ad Smyrnens. *Omnis honor magistratui est præstandus, quatenus salva conscientia fieri potest.* Ignatius in epist. ad Antioch. *Cæsari subjecti estote in iis, in quibus subdi nullum animæ periculum est.* Justinus in orat. ad Antonin. *Nos solum Deum adoramus, & vobis in rebus aliis læti inservimus, imperatores ac principes hominum esse profitentes & simul precantes, ut tum imperiali potestate sanam quoque mentem obtinere comperiamini.* Tertullianus de idololatr. cap. 15. circa medium: *Reddenda sunt cæsari, quæ sunt cæsaris: bene quod adposuit, & quæ sunt Dei, Deo. Quæ ergo sunt cæsaris? scilicet de quibus tunc consultatio movebatur, præstandumne esset cæsari census, an non? ideo & monetam ostendi sibi Dominus postulavit, & de imagine, cujus esset, requisivit. Et cum audisset cæsaris, reddite, ait, quæ sunt cæsaris, cæsari, & quæ sunt Dei, Deo, id est, imaginem cæsaris cæsari, quæ in nummo est, & imaginem Dei Deo, quæ in homine est, ut cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temet ipsum, alioquin quid erit Dei, si omnia cæsaris?* Idem de coron. milit. cap. 12. sub finem: *Tu miles ac servus alterius es, & si duorum cæsaris ac Dei, certe tunc non cæsaris, cum te Deo debes, etiam in communibus credo potiori.* Cyprianus libr. IV. epist. VI. *Ille metuendus est, cujus iram nemo poterit evadere.* Hieronymus in Rom. XIII. tom. VIII. pag. 186. *Dicendo, minister est tibi* (magistratus) *boni causa, ostendit, in his, quæ recta sunt, judicibus obediendum, non in illis, quæ religioni contraria sunt.* Ambrosius epist. XXXIII. ad Marcellinam sororem & habetur cap. *Convenior &c.* 23. q. 8. *ea, quæ divina sunt, imperatoriæ potestati non sunt subjecta.* Idem cont. Auxent. *Prius est, ut animam mihi quam fidem auferat imperator. Tributum cæsaris est, non negatur, ecclesia Dei est, cæsari utique non debet adjici, quia jus cæsaris esse non potest templum Dei.* Ruffinus lib. II. hist. eccles. cap. 16. *Imperialia decreta mandantur dictanda Benevolo tunc memoriæ scriniis præsidenti. Sed ille, cui ab incunabulis sacra fides & venerabilis fuit, abnegat se impia verba posse proferre, & contra Deum loqui. Cumque celsior ei honor promitteretur, si impleret injuncta, ille, qui nobilior in fide esse, quam in honoribus cuperet, respondit: Quid mihi pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? Hunc ipsum, quem habeo, tollite, tantum mihi conscientia fidei duret illæsa, hæc dicens ante pedes impia præcipientium cingulum abjecit.* Augustinus in

enarr. Pſalm. CXXIV. ſuper verba: Non derelinquet virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum: *Julianus exſtitit infidelis imperator. Nonne exſtitit apoſtata, iniquus idololatra? milites chriſtiani ſervierunt imperatori infideli. Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in cælo erat, quando volebat, ut idola colerent, ut thuríficarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperarunt. Diſtinguebant Dominum æternum a domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.* Chryſoſtomus homil. LXXI. in Matth. *Cum audis reddenda eſſe cæſari, quæ ipſius ſunt, illa ſolum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac virtuti obeſt, non cæſaris, ſed diaboli tributum ac vectigal eſt.* Apud Joſephum lib. VIII. antiq. cap. 11. Petronio præſidi dicunt Judæi: *Feremus fortunam quamlibet, dummodo patriæ legis religio maneat incolumis.* Vide etiam Lombardum lib. II. ſent. diſt. 44. lit. C. 7. gentiles *ex lumine naturæ* idem cognoverunt. Socrates apud Platonem dicit: *πείσομαι τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν, obediam Deo magis quam vobis.* Achilles apud Homerum dicit: *Ego Atridis obtemperabo, ſed honeſta & juſta imperantibus.* Apud Euripidem in Phœniſſis Creontis verba ſunt: *An juſſa non eſt principum fas exſequi?* cui reſpondet Antigone: *Non, ſi impia, injuſta & male imperata ſunt.* (*)

Poriſma. §. CCCCLXXVII. Poriſma hujus aſſertionis eſt, *quod illis ſubditis, qui mandatis ſui magiſtratus de capeſſenda religione falſa non obtemperant, crimen læſæ majeſtatis jure objici nequeat.* 1.) Quia contra inferiorem magiſtratum non committitur læſæ majeſtatis crimen, ſi diverſum præcipiat magiſtratus ſuperior, in mandatis inferioris ſemper intelligitur exceptum jus ſuperioris. Jam vero Deus eſt *Rex regum & Dominus dominantium.* 1. Tim. VI. 15. Ergo ſi illius mandata inferiorum magiſtratuum mandatis præferantur, crimen læſæ majeſtatis neutiquam committitur. Auguſtinus de verb. Domini ſerm. VI. circa medium: "Si poteſtas illud jubeat, „quod non debeas facere, hic ſane contemne „poteſtatem timendo poteſtatem. Ipſos hu„manarum rerum gradus advertite, ſi aliquid „jufſerit procurator, nonne faciendum eſt? „tamen ſi contra proconſul jubeat, non uti„que contemnis poteſtatem, ſed eligis majori „ſervire. Nec hinc debet minor iraſci, ſi „major prælata eſt. Rurſum ſi aliquid pro„conſul jubeat, & aliud jubeat imperator, „numquid dubitatur illo contemto illi eſſe „ſerviendum? ergo ſi aliud imperator & aliud „Deus, quid judicatis? Da veniam, tu car„cerem, ille gehennam minaris.„ 2.) Quia non eſt in poteſtate magiſtratus religionem falſam imperare, vel ad eam cogere, ut ſuperius fuit demonſtratum. Ergo ſi magiſtratus talem poteſtatem ſibi arrogat, alienos invadit fines, nec ad obedientiam quempiam conſtringit. 3.) Quia idem Danieli & ipſius ſociis, apoſtolis & aliis piis in primitiva eccleſia objici potuiſſet.

Juſſum eſt principis ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes;
Æternum colo principem dierum,
Factorem dominumque Gallieni;

canit Prudentius hymn. VI. de martyrio Fructuoſi epiſcopi. 4.) Quia crimen læſæ majeſtatis divinæ committeretur, ſi magiſtratui ad falſam religionem cogenti ſubditi obtemperarent. "Etſi in præſenti tempore ſuppliciis „hominum eripiar, tamen manum omnipo„tentis nec vivus nec defunctus effugiam;„ inquit Eleazarus ad apoſtaſiam ſolicitatus 2. Macc. VI. 26.

§. CCCCLXXVIII.

(*) De obedientia in cauſa religionis magiſtratui deneganda multa exſtant in jure canonico diſt. 9, 10. 11. GERHARDVS.

c.) *Census ac tributa.*

§. CCCCLXXVIII. III.) *Census ac tributa* magistratui a subditis deberi, disertis verbis docet apostolus Rom. XIII. 6. *Ideo etiam tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes.* v. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum*, φόρον, *tributum*; cui *vectigal*, τέλος, *vectigal.* Φόρος proprie est *tributum*, quod penditur de rebus terra nascentibus ἀπὸ τοῦ φέρειν. Τέλος est *vectigal*, quod solvitur pro rebus, quæ transvehuntur & permutantur in contractibus, ἀπὸ τοῦ τελεῖν. Strabo libr. XVII. εἰσαγωγικὰ καὶ ἐξαγωγικὰ τέλη vocat, quæ pro importatis & exportatis penduntur, sive τελοῦνται. Tributum veteribus dicebatur etiam tributus teste Gellio lib. XIII. noct. Attic. c. 19. Quidam deducunt *a tribu*, quod pecunia per singulas tribus pro ratione census exigeretur. Valla lib. IV. de ling. Lat. Rectius *a tribuendo*, quod ex privato in publicum tribuatur; olim imponebatur personis, sicut vectigal *prædiis*, l. 2. §. *si quid de hæred. vel act. vend.* Alii vectigal dictum existimant, quod ex vectura, hoc est, pro importatis vel exportatis mercibus pendatur; sed ipsum nomen latius patet, pro omnis generis reditibus in fiscum collatis. Estque *urbanum* vel *rusticum*, *privatum* vel *publicum*, Cicero lib. III. offic. & act. V. in Verr. jurisconsulti dicunt, tributum principi vel fisco solvi pro *bonis immobilibus* l. 2. C. *de annon. & tribut.* vectigal pro *bonis mobilibus* l. *universi* C. *de vectigal.* Distinguunt etiam tributum a collecta. *Tributum* habet certam formam, & est ordinarium, *collecta* non habet certam formam, & est extraordinaria. Species tributi est *capitatio*, qua pro capite cujusque civis aliquid exigitur, quæ sublata est in imperio Romano a Constantino. l. *un.* C. *de cap. civ. cens. exim.* *Redituum* nomen generalius est, ut & vectigalia & tributa comprehendat. Varia tributorum & vectigalium genera enumerat Bodinus lib. VI. de republ. cap. 2. plura recenset Warem. ab Ehrenberg. (Eberhardus a Weihe) in tract. de reg. subsid. & oneribus subdit. cap. 4. & seqq. sed necdum species omnes certum habent nomen, cum quotidie plures excogitentur; omnes tamen revocari possunt ad generalem illam divisionem, quod quædam exigantur de *personis*, quædam de *rebus*, quædam de *actionibus.* Item quod quædam sunt *ordinaria*, quædam *extraordinaria.*

§. CCCCLXXIX. Tenentur autem subditi magistratui tributa solvere. 1.) Propter *mandatum divinum* Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 7. 2.) Propter *reipublicae necessitatem.* In tributis illis *nervos reipublicae* consistere nemini dubium esse potest. Vlpianus in l. 1. in criminibus. §. 20. ff. de quæstionib. tributa illa sunt *ornamenta pacis*, *subsidia belli*, & *nervi reipublicae*; inquit Cicero orat. pro lege Manil. *Impossibile est, ut sacris tributis non illatis alioquin respublica conservetur*, ait imperator nov. 149. c. *Ac sane.* Vnde enim persolventur a magistratu ecclesiarum & scholarum ministris, consiliariis & ministris aulicis salaria, militibus pro patriæ salute pugnantibus stipendia, bene meritis honoraria, pauperculis subsidia, quo modo ædificia nova poterunt excitari ac vetera reparari, viæ publicæ sterni, pontibus ripæ fluminum conjungi, xenodochia, ptochotrophia excitari, quomodo in futuram reipublicæ necessitatem thesauri colligi ac recondi, nisi tributa fisco magistratus inferantur. Menenius Agrippa apud Livium lib. II. pag. 78. pulcerrimo apologo Romanos docuit, *quemadmodum totum corpus alimentis ventriculo denegatis ad tabem redigi necesse est: ita tributis magistratui denegatis extremam reipublicae perniciem impendere. Nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possunt*, inquit Tacitus lib. IV. histor. 3.) Propter *aequitatem. Dignus est operarius mercede sua;* Luc. X. 7. jam vero magistratus gravissimas curas & labores pro subditorum incolumitate sustinet, æquum igitur est, ut qualiscunque mercedis loco talia tributa persolvantur. 1. Cor. IX. 7. *Qui suis consiliis suisque laboribus pro toto orbe terrarum diu noctuque*

Eaque laborant, quare non habeant dignam ſua praerogativa fortunam? inquit Juſtinus l. *bene a Zenone* C. *de quadr. praſcript.* (*) Debentur magiſtratui tributa ratione *laboris*, ratione *gubernationis* & ratione *defenſionis*. 4.) Inde *omni tempore* a primis imperiorum incunabulis & apud omnes gentes ſubditi magiſtratibus aliquid pendere conſueverunt. Matth. XVII. 25. *Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel cenſum, a filiis ſuis, an ab alienis?* 1. Sam. VIII. 9. *Hoc eſt jus regis.* v. 15. *Segetes veſtras & vinearum reditus addecimabit.* 2. Sam. VIII. 2. *Factus eſt Moab David ſerviens adferendo ei munera.* 1. Reg. IV. 6. *Salomon conſtituerat Adoniram filium Abda ſuper tributa.* (**)

§. CCCCLXXX. Caveant autem pii principes, ne exactiones pro libitu augeant ſine ulla reipublicæ neceſſitate, tantum ut ſuppetat profuſionibus, luxui & voluptatibus; ſed cogitent, gravem ſibi aliquando reddendam rationem, tum qualia a ſubditis exegerint tributa, tum in quem uſum eadem collocarint. Ezech. XLV. 9. *Haec dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis principes Iſraël, iniquitatem & rapinas intermittite, definite exturbare populum meum.* Ejusmodi ſanguiſugarum ſubditos expilantium elegans hypotypoſis proponitur Mich. III. 2. *Audite principes Jacob & duces domus Iſraël, qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis & carnem eorum deſuper oſſibus eorum.* v. 3. *Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete & quaſi carnem in medio ollæ.* Theodoricus rex admonuit Marcellum, *ne plus tribueret fiſco, quam juſtitiæ.* Caſſiodorus lib. I. epiſt. XXII. Tiberius imperator dicebat: *Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.* (***) Suetonius in Tib. Modus tributorum certus & determinatus præſcribi nequit, ſed pietati ac prudentiæ magiſtratus relinquitur æſtimandus, reſpectu habito tum ad *reipublicae neceſſitatem*, tum ad *ſubditorum facultatem.* Hybreas Antonio tributum in uno anno bis exigenti dicebat: *Si potes uno anno bis tributum exigere, duas etiam aeſtates ac duos autumnos nobis eſſice.* Plutarchus in Anton. pag. 128. Sane respublica tam non poteſt ſervari incolumis ſine tributis, quam corpus humanum ſine cibis; ſed quemadmodum ex cibi potusve abundantia infinita morborum genera oriuntur: ſic ex multiplicatis tributorum oneribus & converſiones & everſiones rerumpublicarum oriri conſueverunt. *Tributum acerbum movet ſubditos ad rebellionem & ſeditionem;* Tacitus lib. III. annal. imo vix ex ulla cauſa alia frequentius oriuntur ſeditiones, quam ex nimia tributorum exactione. Oſtendit id exemplum Roboami, qui cum ſubditis denunciari curaret: *Pater meus adgravavit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro,* 1. Reg. XII. 14. decem tribuum defectionem intueri eſt coactus. Ac ſi vel maxime ſubditi absque ulla rebellione, quæ omnino prohibita, expilationes perferre cogantur; ipſi tamen principes conſcientiam ſuam graviter vulnerant.

(*) Chryſoſtomus ſerm. XXIII. in epiſt. Rom. *Cur vectigalia regi damus, an non tanquam proſpicienti? an non tanquam præſidenti, curæ tuitionisque mercedem ſolventes? atqui nihil illi ſolviſſemus, niſi ab initio utilem nobis talem fuiſſe præfecturam cognoviſſemus. Verum propterea ab antiquis temporibus communi omnium ſententiæ principes debere a nobis ſuſtentari viſum eſt, ob id, quod ſua ipſorum negligentes communes res curant, univerſumque ſuum otium ad ea impendunt, quibus non ſolum ipſi, ſed & quæ noſtra ſunt, ſalva ſiunt.* Auguſtinus ſerm. XIX. de verb. Domin. ſecundum Matth. *Intelligimus, quod apud Deum non tam exactio, quam iniqua exactio damnatur; dicit enim Dominus: Reddite, quæ Dei ſunt, Deo, & cæſari, quæ cæſaris.* GERHARDVS.

(**) Chriſtophorus Schaplerus docuit, *magiſtratui non eſſe tributa pendenda*, quia anno 1525. inter duodecim articulos de libertate chriſtiana ſcriptos iſtum velut præcipuum tradidit recitante Carione in chron. lib. IV. Clerici in papatu ab omni tributo immunes eſſe volunt. Conc. Trid. ſeſſ. XXV. c. 20. GERHARDVS.

(***) Hebræis *tributum* dicitur מַס a radice מָסַס, *liquefacere, diſſolvere*, quia tributis nimium auctis bona ſubditorum liquefiunt ac diſſolvuntur. Wolffius cent. XVI. p. 144. GERHARDVS.

vulnerant, & propter pauperum fudores ac lachrymas violenter expreſſas Dei iram & ſubditorum odia incurrunt. Mahomet, Turcicus imperator, in extremis conſtitutus, teſte Cominæo, nihil magis deploravit, *quam quod ſupra debitum ac legitimum modum tributa auxiſſet.* Darius cum provinciarum penſiones auctiores reddidiſſet a Perſis iniquo animo id ferentibus audire coactus eſt, *Cyrum fuiſſe regni patrem, Cambyſem dominum, Darium vero inſtitorem.* Hanc igitur pietatem, prudentiam, animique moderationem circa exigenda tributa princeps adhibeat, 1.) ut prodigalitatem, luxuriam & erogationem ſumtuum in res voluptuoſas, inutiles, non neceſſarias &c. fugiat, ne ad tributa extraordinaria ſubditis imponenda deſcendere cogatur. Qui multum profundit, ſanguinem populi poſtmodum plerumque exſugit. 2.) Ne aures aperiat adulatoribus, qui novas tributi exigendi vias monſtrant, & ſuæ potius cupiditati, quam reipublicæ utilitati ſerviunt. Rebuffus in comment. ad l. *Eum de V. S.* ſcribit, *eos, qui principibus conſulunt, ut nova tributa & vectigalia ſine evidenti neceſſitate imponant, tartareis pœnis in inferno cruciandos eſſe.* 3.) Vt illis rebus potiſſimum tributa imponat, quæ ad corrumpendos civium mores, ad luxum, ad delicias, ad libidines ſpectant, quod eſt conſilium Bodini lib. VI. de republ. cap. 2. atque earum rerum vectigalia potius augeat, quibus carere ſine magno incommodo poſſunt ſubditi, quam illarum, quibus nullus ac ne pauperculus quidem carere poteſt. 4.) Vt perſonarum & circumſtantiarum ratione habita tributa quibusdam ſubditis, cumprimis eccleſiarum & ſcholarum miniſtris remittat, vel certe minuat.

d.) *Preces & vota.* §. CCCCLXXXI. IV.) Quartum, quod magiſtratui debetur a ſubditis, ſunt *preces & vota:* 1. Tim. II. 1. *Hortor igitur fieri obſecrationes, orationes &c.* v. 2. *pro regibus & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.* Huc referenda ſunt ſimilia ſcripturæ dicta & exempla: Gen. XLVII. 7. Jacobus patriarcha *benedicit Pharaoni* regi, hoc eſt, fauſta illi precatus eſt, & ſeriis precibus ipſius ac regni incolumitatem Deo commendavit. Jer. XXIX. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis.* Baruch. I. 11. *Orate pro vita Nabuchodonoſoris, regis Babylonis, & pro vita Balthaſar, filii ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cæli ſuper terram.* Dan. VI. 21. *Rex in æternum vive*; quo pertinent votivæ illæ adclamationes, quibus reges noviter electos Iſraëlitæ accipere conſueverunt: *Vivat rex!* eæ enim nihil aliud ſunt, quam vota & preces pro ſalute regis facta. Tertullianus in apolog. cap. 30. in princ. de chriſtianis in primitiva eccleſia ſic ſcribit: *Nos pro ſalute imperatorum Deum invocamus æternum, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi imperatores propitium ſibi præter cæteros malunt &c. Precantes ſumus ſemper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcunque hominis & cæſaris vota ſunt.* Intereſt enim reipublicæ ac ſubditorum, principes eſſe pios & Deum timentes, ſiquidem delicta principum quandoque Deus in ſubditis punit. Juſtinus in qq. & reſp. ad orth. q. 138. p. 376. *Sicut homo conſtat ex anima & corpore, ita regnum ex rege & illis, qui reguntur, coagmentatur. Quemadmodum igitur ſi homo manibus peccatum committens tergo pœnas pendat, non inique, qui in eum animadvertit, agit: ita non injuſte Deus facit, principum delicta populi pœna coërcens &c.* eſſe eosdem felices, tranquillos & pacificos, denique eosdem eſſe μακροβίους & longævos. *Væ principatui ſepelienti dominos ſuos,* dicunt magiſtri Hebræorum, referente Salomone Jarchio in comm. Hoſ. I. 1. & Druſio lib. IX. obſerv. cap. 6. quia crebræ mutationes principum regnis ac civitatibus ſolent eſſe exitioſæ. *Propter peccata terræ multi principes* ejus, ait rex ſapiens Prov. XXVIII. 2. Valerius libr. VI. memorab. cap. 2. refert, anum quamdam in Si-

cilia pro Dionysii, cujus interitum omnes alii avidis votis expetebant, salute quotidie vota feciſſe, ac rogatam, cur id contra totius civitatis vota faceret? reſpondiſſe, ne *ſi hic abſumtus fuerit, deterior in ejus locum ſuccedat. Bonis enim ſæpe mali, raro meliores ſuccedunt.* Merito igitur celebratur & ſubditis inculcatur dictum Bugenhagii Pomerani: *Si tam promti eſſemus ad preces pro magiſtratibus fundendas, quam parati ſumus ad detrahendum ac maledicendum ipſis, næ res noſtræ melius haberent.*

1.) *An etiam infideli & hæretico magiſtratui debeatur obedientia.*

§. CCCCLXXXII. Quæritur hoc loco: I.) *An etiam infideli & hæretico magiſtratui officiis illis ſubditi chriſtiani & orthodoxi teneantur obſtricti?* Pontificii negant; ſic enim differit Bellarminus lib. V. de pontifice cap. 7. rat. 3. "Non licet chriſtianis tolerare regem „infidelem aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hæreſin vel infidelitatem.„ Et poſtea: "Ejusdem periculi & „damni eſt, eligere non chriſtianum, & non „deponere non chriſtianum. At prohibentur „chriſtiani eligere regem non chriſtianum. Ergo tenentur chriſtiani non pati ſuper ſe regem „non chriſtianum, ſi ille conetur populum „avertere a fide. Addo autem iſtam conditionalem (inquit) propter eos principes infideles, qui habuerunt dominium ſuper populum „ſuum, antequam populus converteretur ad „fidem. Si enim tales principes non conentur fideles a fide avertere, non exiſtimo poſſe „eos privari ſuo dominio, quamquam contrarium ſentit Thomas II. 2. q. 10. art. 10. At „ſi iſti iidem principes conentur avertere populum a fide, omnium conſenſu poſſent & „debent privari ſuo dominio.„ Poſtea addit conditionem, *ſi ſcilicet ſubditi ſufficientibus viribus ad deponendum magiſtratum ſint inſtructi.* Quod chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem & Diocletianum & Julianum apoſtatam ac Valentem Arianum & ſimiles, id (inquit) fuit, quia *deerant vires temporales chriſtianis.* (*) Ex conditione a Bellarmino paullo ante adjecta notabilem concluſionem deducit Dominicus Bannes, Salmanticenſis acad. Prof. in commentariis ad Thomam II. 2. q. 12. art. 2. "Poſt latam ſententiam declara„tivam de crimine hæreſeos injuſte princeps „poſſidet regnum & principatum, & exercet „jurisdictionem in ſubditos, tenenturque ſub„diti eximere ſe ab ejus obedientia, & bellum „gerere contra illum, ſi vires ſuppetant. Ex „hac concluſione (inqnit) ſequitur, primo ex„cuſandos eſſe Anglicanos & Saxonicos fideles, „qui non ſe eximunt a poteſtate ſuperiorum, „nec bellum contra illos gerunt, quoniam „communiter non habent facultatem ad hæc „bella gerenda contra principes, & imminent „illis gravia pericula.„ Hinc Romanus pontifex, quando imperatores, reges & principes propter hæreſin excommunicat, ſubditos a juramento fidelitatis abſolvit. Gregorius VII. in ſynodo Romana, & habetur cap. *Nos ſanctorum &c.* c. 15. q. 6. "Nos ſanctorum præ„deceſſorum noſtrorum ſtatuta tenentes eos, „qui excommunicatis fidelitatis juramento con„ſtricti ſunt, apoſtolica auctoritate juramento „abſolvimus, & ne eis fidelitatem obſervent, „omnibus modis prohibemus, quousque ipſi „ad ſatisfactionem veniant;„ quæ verba poſteriora in manuſcripto Vaticano non fuiſſe, in edit. Gregoriana notatur. Honorius III. ad archidiac. Sueſſion. in cap. *Gravem &c.* x. *de pœnis.* "Si comes poſt commonitionem non „paruerit, fideles ipſius, quamdiu in excom„municatione perſiterit, ab ejus fidelitatis ju„ramento denuncietis penitus abſolutos.„ Innocen-

(*) Becanus in reſp. ad aphoriſmos Jeſuitarum aph. X. p. 105. *Quæ Bellarminus lib. V. de Rom. pont. c. 7. docet, veriſſima ſunt p. 107. Quæro ex Calviniſtis. Si rex Angliæ catholicam & Romanam fidem ampleƈteretur, & vellet omnes Calviniſtas, quotquot in Anglia ſunt, eamdem fidem palam profiteri, & pontifici Romano fidelitatem præſtare, quid conſilii caperent? an ſequerentur ſuum regem? non eſſent hoc facturi, ſat ſcio. Quid ergo? regem potius abdicarent, & ſuum Calvinianum ſartum tectum conſervarent. Quare? quia præſtat regem quam reformatam fidem amittere. Simili modo argumentatur Bellarminus.* Gerhardus.

necentius IV. in concilio Lugdunensi, & habetur cap. *pro humani. de homicidio* in 6. „Sacri adprobatione concilii statuimus, ut, „quicunque princeps quempiam christianorum „per assassinos interfici fecerit, aut eos rece„ptaverit, vel defenderit seu oscultarit, ex„communicationis & depositionis a dignitate, „honore, ordine, officio & beneficio incur„rat sententias, & illa libere aliis conferantur.„ Vide bullam Pauli III. contra Henricum VIII. Angliæ regem, & Sixti V. contra regem Navarræ & principem Condæum, ex quibus constat, quod pontifex subditos bullis suis excommunicatoriis a sacramento fidelitatis magistratui hæretico præstito & quocunque alio debito soleat absolvere, regum liberos jure successionis privare ac infames pronunciare, subditos ad arma capessenda contra principes concitare, ac cuivis potestatem dare absque ulla alia belli denunciatione aut insidiis aut aperto Marte illos persequendi, capiendi, vel etiam jure trucidandi. Quod thema latius explicant Thom. Bozius lib. de ruinis gentium adv. impios politicos, Rossæus de vind. reipubl. christ. adv. reges impios & hæreticos &c.

§. CCCCLXXXIII. Nos in illis, quæ religionem & conscientiam concernunt, subditos ab obedientia in edictis magistratus infidelis vel hæretici liberos esse concedimus; interim in reliquis, quæ temporalia & externa concernunt, ad obedientiam & reliqua officia superius exposita eidem obstrictos esse profitemur, id quod demonstramus 1.) ex *illis fundamentis*, quæ ostendunt, etiam ethnicum magistratum esse a Deo, quæ enumeravimus superius cap. 3. sect. 1. q. 1. Quod si enim magistratus etiam ethnicus est a Deo, & divinitus ad imperium evectus; utique etiam ipsi obedientia a subditis debetur, quando scilicet nihil contra Deum ac Dei verbum præcipiunt. 2.) Ex *generalibus illis Scripturæ dictis*, quæ obedientiam magistratui præstandam a subditis exigunt, citra ullam exceptionem vel limitationem, an magistratus sit ethnicus vel christianus, hæreticus vel orthodoxus. Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subjecta, non enim est potestas, nisi a Deo.* 1. Pet. II. 13. *Subjecti estote omni humanæ ordinationi propter Dominum.* 3.) Ex *dictis specialibus*, quæ ethnico & hæretico etiam magistratui subditos debere esse subjectos testantur: Jer. XXIX. 7. Baruch I. 11. jubentur Israëlitæ *pro vita & salute Nabuchodonosoris orare;* jam vero Nabuchodonosor erat idololatra. Matth. XXII. 21. *Date cæsari, quæ sunt cæsaris;* jam vero eo tempore cæsarem agebat Tiberius ethnicus. Quando apostoli Rom. XIII. 1. 1 Pet. II. 13. subditos ad obedientiam hortantur, nulli alii erant nisi ethnici magistratus. 4.) Ex *probatis piorum exemplis*: *Pharao* rex Ægypti erat gentilium superstitioni immersus, nihilo tamen minus Jacobus cum suis filiis & nepotibus reverenter se illi subjicit. *Salomon* ad idololatriam deficiebat, 1. Reg. XI. 5. nec tamen subditi contra ipsum rebellabant. *Amasias*, 2. Paral. XXV. 14. *Manasses*, 2. Paral. XXXIII. 2. *Ammon*, v. 22. & alii reges Israëlitici in idololatriam fuere prolapsi; neque tamen quisquam prophetarum auctor populo exstitit, ut propterea ab ipsis deficerent. Christus Matth. XVII. 27. etiam ethnico magistratui tributum persolvit. Paulus Act. XXV. 11. ad cæsarem ethnicum provocat. 5.) Ex *primitivæ ecclesiæ praxi*: Christiani in primitiva ecclesia non gladium, sed patientiæ scutum & arma precum spiritualia contra ethnicos imperatores adsumserunt. Nullus apostolorum, nullus orthodoxorum patrum imperatores aut alios inferiores magistratus a dignitatis solio removit, vel christianis subditis, ut tale quid tentarent, auctor exstitit, quin potius cum Andreas apostolus ab Ægea, Achaiæ prætore, ad mortem raperetur, & populus ea de causa tumultum excitare pararet, manu & verbis glisscentem seditionem repressit. Polycarpus in epist. ad Philipp. referente Eusebio lib. III. hist. cap. 33. & Nicephoro lib. III. cap. 19. scribit: *Obsecro vos cunctos, ut magistratui obedientes sitis*, (ad martyrium pro fide christiana subeundum vos deposcenti) *omnemque patientiam exerceatis.* Idem cum

paulo ante martyrium coram proconsule ethnico staret apud Eusebium lib. IV. hist. cap. 15. inter cætera sic dixit: *Nos* (christiani) *sic instituti sumus, ut principatibus ac potestatibus a Deo ordinatis honorem, qui eis competat, nobis obsit, exhibeamus.* Tertullianus laudi christianorum accenset, quod *nunquam inter seditiosos inventi* fuerint, licet ethnico magistratui subjecti; libr. ad Scapul. *Circa majestatem imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, nec Negriani vel Cassiani* (qui seditionem contra Severum imperatorem excitarant) *inveniri potuerunt.* In apol. c. 33. *Sed quid ego amplius de religione atque pietate christiana in imperatorem, quem necesse est, suspiciamus, ut eum, quem Dominus noster elegit, ut merito dixerim, noster est magis cæsar, ut a nostro Deo constitutus, itaque ut meo plus ego illi operor in salutem.* Fulgentius lib. I. de myst. med. Chr. ad Thrasim. *etiam Arianos reges* ab orthodoxorum rebellione tutos esse docet ex loco apostolico 1. Pet. II. 18. Frivolum est, quod Bellarminus regerit, *ideo non fuisse Neronem, Julianum, Valentem &c. a christianis depositos, quod viribus temporalibus ad id peragendum fuerint destituti.* Si enim ab imperiali solio ob gentilissimum fuissent dejiciendi, Christus tales ac tantos vires suo vicario pontifici Romano concessisset, quin & parva christianorum manu divina virtute accedente ethnici illi imperatores debellari potuissent. Falsum etiam est, christianis vires temporales defuisse. Tertullianus in apol. cap. 1. *obsessam vociferantur civitatem, in agris, in castellis, in insulis christianos, omnem sexum, ætatem, conditionem & dignitatem transgredi ad hoc nomen quasi detrimento mærent.* Cap. 37. *Externi sumus & viam omnia implevimus urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatia, senatum, forum &c.* Maximinus apud Eusebium lib. IX. hist. cap. 9. *Etiam ante Constantini imperium omnes fere mortales deorum cultu relicto christianorum genti se commiscuisse* testatur. Plenæ erant omnes imperii terræ christianis tempore Juliani apostatæ, nihilo tamen minus Nazianzenus orat. I. in Julian. inquit, *christianos nullum aliud contra persecutorem habuisse remedium, quam lachrymas.* Nec solum de inermibus christianis hoc accipiendum, ut Bellarminus contra Parelajum excipit, sed etiam ipsa castra christianis erant plena. Cum enim Jovianus Juliani apostatæ successor adprehensus ad suscipienda imperii traheretur insignia, ad exercitum Juliani sacrilegiis profanatum dicitur proclamasse, *non se posse iis imperare, quia esset christianus;* tum omnes pari eademque voce respondisse perhibentur: *Et nos christiani sumus.* Ruffinus libr. II. hist. eccl. c. 1. Theodoretus lib. IV. hist. cap. 1. Præterea si christiani in primitiva ecclesia judicassent, non licere ethnicos magistratus tolerare, ac proinde vigore mandati divini ad illos deponendos esse obstrictos; utique totis viribus illis restitissent, & quævis extrema potius subiissent, quam ut contra conscientiam eos tolerando egissent. Denique quid opus fuisset ad ethnicos imperatores debellandos viribus & violentia, cum ex hypothesi Jesuitarum, Hildebrandinæ sectæ addictorum, insidiis etiam adversus reges hæreticos uti liceat, ac veneno vel per sicarios e medio eos tollere? Sed hæc doctrina ignota fuit piis ecclesiæ primitivæ doctoribus, qui tantum abfuit, ut seditionis concitandæ vel insidiarum magistratui ethnico struendarum subditis auctores fuerint, ut solicite potius caverint, ne tale quidpiam ab illis tentaretur. Ambrosius epist. XXXIII. ad Marcell. *Non ego me* (contra tribunos imperatoris) *vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad basilicam ecclesiæ occupandam missos cognoscerem, ne dum basilicam vindicant, aliqua strages fieret, quæ in perniciem totius vergeret civitatis. Orabam, ne tantæ urbis, vel potius totius Italiæ busto superviverem.* Theodoretus lib. IV. hist. eccles. c. 14. Valens imperator Arianus, Eusebio, episcopo Samosatensi per legatum indixerat exsilium; Eusebius legatum, qui sub crepusculum vespertinum

num advenerat, silere & dissimulare causam adventus sui jubet; *nam si cognoverit multitudo a prima institutione divino fervore prædita, in flumen te* (inquit) *demerget, & a me postea exigetur pœna mortis tuæ.* Hæc locutus & de more vespertino munere suo functus, incipientis somni tempore, fide habita uni servorum solus egreditur senex pedes, sequebatur & servus cum cervicali & libro, cumque veniset ad ripas fluvii Euphratis conscendit navigium & remiges Zeugma versus cursum tenere jubet. Cum fugientem confertim populus secutus lamentis ac gemitibus adeoque fontibus lachrymarum profusis conaretur illi persuadere, ut maneret, neque pecudes lupis proderet, non est illis obsecutus, sed apostolicam legem illis proposuit, quæ plane juberet magistratibus & potentibus subjici. 6.) Ex *suffragio sanctorum ex ipsis adversariis.* In concilio Constant. sess. XV. adsertio illa, *quod reges & principes in hæresin & apostasiam lapsi vel in hæresi nati, sint regno depellendi*, tanquam erronea in fide & in moribus scandalosa, ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones atque perjuria viam dans, fuit omnino reprobata. Stapletonus domin. XXII. post pentec. in promt. mor. *Cum jure gentium & naturæ dubium hoc nemini esset, docent apostoli Rom. XIII. 1. Pet. II. etiam hanc Dei voluntatem esse, ut regibus etiam ethnicis atque infidelibus, neque enim alii tunc erant, ipsi pii & fideles obtemperarent. Sic Christus cæsari, Petrus Neroni obediendum docent.* Bodinus lib. I. de republ. cap. 9. *Nullus Propheta unquam docuit, propter solam idololatriam aut hæresin contra magistratus arma capere debere.*

§. CCCCLXXXIV. Quæ in contrarium Bellarminus adfert, facilem habent explicationem 1.) Deut. XVII. *prohibetur populus eligere eum, qui non sit de fratribus suis, hoc est, non Judæum, ne videlicet pertrahat Judæos ad idololatriam. Ergo etiam christiani prohibentur eligere regem non christianum. Rursum ejusdem periculi est & damni eligere non christianum, & non deponere non christianum. Resp.* Distinguendum est inter non eligere, & electum deponere. Concedimus eum, qui non est christianus & orthodoxus, in regem a christianis non esse facile eligendum; nisi scilicet jure quodam speciali ad certam familiam electio sit restricta, tunc enim propter religionis diversitatem talis non est privandus suo jure, ut ostendimus superius cap. 4. q. 1. Sed alia ratio est illius, qui imperium legitimis modis ac mediis jamtum obtinuit; is enim, si vel maxime postmodum a vera religione deficiat, tamen a subditis propterea non est deponendus, quia *quæ ab initio fuerunt liberæ voluntatis, ea postmodum fiunt strictæ necessitatis*, ac quod *semel placuit, postea displicere non potest.* Impius princeps eligi non debet; interim electus postea est tolerandus. Cum a Valentiniano imperatore milites postularent, ut socium imperii constitueret, hoc responsi ab eo tulerunt: *Ut me ad imperium vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate. At postquam me jam elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit, parere, mihi vero, quae facienda sunt, cogitare.* Sozomenus lib. VI. hist. eccles. cap. 6. Nicephorus lib. XI. c. 1. Sic non est facile contrahendum matrimonium cum conjuge diversæ religioni addicta; interim si jam contractum sit & consummatum, propter religionis diversitatem non est dissolvendum. Multa impediunt matrimonium contrahendum, quæ non dirimunt contractum. Declarabimus id exemplis ab ipso Bellarmino concessis. Cardinales eligunt pontificem, neque tamen permittet ipsis Bellarminus, ut pontificem propter hæresin iterum deponant. Liberi non debent citra consensum parentum matrimonium contrahere, neque tamen illud irritum pronunciat Bellarminus, si fuerit contractum. Et quid multis? ostendunt exempla Salomonis, Manassis, Ammonis & aliorum regum idololatricorum a subditis toleratorum, hanc ratiocinationem Bellarminianam ex lege Mosaica deductam nunquam ipsis in mentem venisse,

ac si quid roboris huic argutiæ ineſſet, Chriſtus & apoſtoli minus recte feciſſent tolerando imperatores ethnicos. 2.) *Paulus* 1. Cor. VI. *jubet conſtitui novos judices a chriſtianis temporalium cauſarum, ne cogerentur chriſtiani, cauſam dicere coram judice Chriſti perſecutore. Sicut ergo novi judices conſtitui potuerunt, ita & novi reges & principes propter eamdem cauſam, ſi vires adfuiſſent. Reſp.* Non ſimpliciter & abſolute improbat apoſtolus præſidio & defenſione magiſtratus ethnici uti, cum ipſe ad cæſarem provocaverit; ſed comparate loquitur, quod ſatius ſit privatas injurias tolerare, quam coram ethnicis judicibus maximo cum ſcandalo propter eas adcuſationem contra fratrem inſtituere; nec de publicis judicibus loco movendis, ſed privatis arbitris eligendis loquitur. Quæ vero a libera arbitrorum electione ad violentam ordinarii magiſtratus depoſitionem eſt conſequentia? 3.) *Tolerare regem infidelem vel hæreticum, eſt exponere religionem præſentiſſimo periculo, quia qualis eſt rector civitatis, tales ſunt habitantes in ea.* Eccleſ. X. *quia Jeroboam rex idololatra fuit, maxima etiam regni pars continuo idola colere cæpit* 1. Reg. XII. *Reſp.* Quidam reges infideles ac hæretici veram religionem ejusque confeſſores in ſuis provinciis tolerant, quidam vero hoſtiliter eamdem perſequuntur. Prioribus obedientiam in aliis eſſe præſtandam, conſtat ex iis, quæ jam dicta ſunt. Poſteriori-bus an & quomodo reſiſtendum ſit, inferius diſpiciemus. Res eo redit: reſpiciat quilibet ſuam vocationem; mere privati ac ſubditi non habent poteſtatem deponendi regem abſoluta poteſtate & integra majeſtate inſtructum, fruſtra igitur ſeditionibus ſuis religionis curam prætexunt. Non eſt, quod Bellarminus regerat, *eccleſiam manere ſine efficaci remedio humano, ſi magiſtratui ſuperiori ab illis, qui mere ſunt ſubditi, non liceat armis reſiſtere, atque ab eo deficere*; opponimus enim ipſi, quod ſcribit lib. II. de conc. cap. 19. §. *at inquiunt &c.* ubi ad argumentum: *Si pontifici malo nemo poteſt reſiſtere: ergo eccleſia manet ſine remedio, ſi habet malum pontificem;* reſpondet hoc modo: *Non eſt mirum, ſi manet eccleſia ſine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ſalus ejus præcipue humana induſtria, ſed divina protectione, cum ejus rex ſit Deus. Itaque etiam ſi eccleſia non poſſit deponere pontificem, tamen poteſt ac debet Domino ſupplicare, ut ipſe remedium adhibeat; & certum eſt, Deo fore curæ ejus ſalutem, qui talem pontificem vel convertet, vel de medio tollet, antequam eccleſiam deſtruat.* Nimirum eccleſia non regitur humanis conſiliis, nec defenditur humanis viribus, vel inſtar ſylvæ cæduæ amputata altior exit, & ſub ipſis perſecutionibus creſcit, adeoque, ut Vigilius loquitur lib. I. contra Eutych. in principio: *triumphum de contrariis & immobilitatem fortitur de adverſis.* 4.) *Cur non poteſt liberari populus fidelis a jugo regis infidelis & pertrahentis ad infidelitatem, ſi conjunx fidelis liber eſt ab obligatione manendi cum conjuge infideli, quando ille non vult manere cum conjuge chriſtiana, ſine injuria fidei?* 1 Cor. VII. *Reſp.* Apoſtolus nequaquam infidelem conjugem ſtatim repudiandam, ſed potius retinendam docet, v. 12. & 13. quod ſi vero pars infidelis ſe ipſam ſeparet, & divortii initium faciat, malitioſe fidelem partem deſerendo, tum demum fidelem liberam eſſe pronunciat; verba enim illa, *ſi infidelis diſcedit, diſcedat*, v. 15. non ſunt *præcepti*, quod conjugem infidelem fidelis neceſſario teneatur repudiare, ſed *conſilii* in deſertione malitioſa innocenti parti præſcripti, hoc ipſum ſi adplicetur ad magiſtratum ethnicum & ſubditos chriſtianos, ſcopo Bellarmini adverſatur, quia tum demum locum haberet apoſtoli conſilium, quando princeps hæreticus vel infidelis ſponte ſe officio abdicaret.

§. CCCCLXXXV. II.) *Quid faciendum ſubditis, ſi magiſtratus infidelis vel hæreticus ad impia ſacra & falſam religionem eos cogere velit? Reſp.* 1.) Ex ſuperioribus conſtat, impiis illis edictis *non eſſe obediendum*, quia *Deo magis obe-*

2.) *Quid faciendum ſubditis, ſi cogantur ad falſam religionem.*

obedire oportet, quam hominibus, Act. V. 29. atque ita dandum est *cæsari, quod cæsaris est*, ut, quod Dei est, relinquatur Deo Matth. XXII. 21. 2.) Nec tamen vi armata magistratui superiori, qui absolutam & nullis pactis limitatam potestatem obtinet, ab illis, qui sunt mere subditi, resistendum. a.) Quia bellum nisi geratur auctoritate superioris, non est legitimum, ut ostendimus superius; jam vero subditi in magistratum nullam habent auctoritatem vel potestatem. b.) Gladium accipientibus minatur Deus, quod gladio sint perituri; Matth. XXVI. 52. jam vero subditis non est datus gladius contra magistratum, ergo gladium accipiunt, & per consequens metuendum ipsis, ne gladio pereant. c.) *Qui resistit potestati, ordinationi divinæ resistit, qui autem resistunt, sibi ipsis judicium adquirunt.* Rom. XIII. 2. d.) *Exempla sanctorum* in vet. ac nov. test. contrarium, *nec prophetæ nec apostoli* gladium tradiderunt subditis, quo sese in persecutionibus contra magistratum proprium tuerentur, sed scutum patientiæ & arma precum; quinimo *civem illum Nicomodiensem*, qui Diocletiani & Maximini edictum contra christianos promulgatum concerpserat, capitis supplicio jure adfectum primitiva ecclesia censuit. Eusebius lib. VII. histor. eccles. cap. 5. e.) Si in persecutionibus privata auctoritate liceret gladium arripere, obstrueretur aditus ad coronam martyrii adquirendam. f.) Testes sunt historiæ, subditis male cessisse, si quando contra proprium magistratum insurgere, & carnalibus armis religionem defendere voluerunt. Matthesius *im Vnterricht* anno 1567. edit. *wie sich Vnterthanen zur Zeit der Verfolgung verhalten sollen*: *Wer über sich hauet, dem fallen die Splitter in die Augen*, cum quo congruit illud Scaligeri: *Reverenter habe, quos superiori dant superiores. In se spuit is, qui adversus olympum.* Ergo 3.) *supplicandum* Deo piis precibus, ut saniorem mentem magistratui concedat, & salutaria consilia ipsorum cordibus suggerat. Esth. IV. 16. cum Ahasverus edictum de Judæorum internecione proposuisset, ipsi *ad preces & jejunia* mandante & præeunte Esthera sese convertunt. Dan. III. 24. Sadrach, Mesach & Abednego in fornacem igneam propter denegatum statuæ idololatricum cultum conjecti *ad preces* convertuntur. Act. IV. 24. apostoli de Christo silere jussi ad Deum *per preces* levant vocem. (*) Cyprianus epist. LVI. *Incumbamus gemitibus adsiduis & deprecationibus crebris. Hæc enim sunt munimenta spiritualia & tela divina, quæ protegunt.* Nec carebunt tales preces, si ex pœnitente & fideli corde proficiscantur, suo fructu; Deus enim ut omnium hominum, ita quoque *regum corda in manu sua habet;* Psalm. XXXIII. 15. Prov. 21, 1. *Sicut rivi aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Ruffinus lib. II. cap. 16. „Ambrosius adversum reginæ (Arianæ Justinæ) „furorem non se manu defensabat aut telo, „sed jejuniis, continuatisque vigiliis sub altari „positus per obsecrationes defensorem sibi at„que ecclesiæ parabat Deum. Dumque hæc in „longum diversis machinis & oppugnationibus „Justina moliretur, Maximus datis literis im„pium protestatur inceptum fidem Dei impu„gnari, & statuta catholicæ ecclesiæ subrui, „& inter hæc adpropinquare Italiæ cœpit. Quo „Justina comperto, hoste simul atque impie„tatis conscientia perurgente, in fugam versa „cum

(*) Pharao Israëlitis concedere noluit, ut cultui divino inservirent. Exod. VI. 2. VII. 13. 22. VIII. 15. 19. 32. IX. 7. 12. 34. 35. X. 3. sed propterea non arripuerunt arma, nec constituerunt præfectos imperii. In captivitate Babylonica pro rege Nabuchodonosor orarunt Jerem. XXIX. Tempore Ahasveri non armis corporalibus, sed spiritualibus, precibus scilicet & jejuniis, pugnabant. Esth. I. In primis seculis christiani horribiles persecutiones passi sunt, sed non restiterunt imperatoribus. Nazianzenus orat. II. in Julian. *Nobis non sunt alia arma, quam preces.* Basilius epist. LXXI. Imperator Galienus permisit liberum christianæ religionis exercitium Eusebius lib. VII. histor. eccles. cap. 12. p. 91. successores hanc libertatem sustulerunt, sed christiani vi & armata manu resistere noluerunt. Constantinus magnas immunitates & privilegia christianis concessit, Constantius successor eosdem persecutus est, neque tamen vim magistratui intulerunt. GERHARDVS.

„cum filio, exsilia, quæ Dei sacerdotibus præ-
„parabat, prima sortitur.„ Sozomenus lib. II. hist. cap. 28. "Cum imperator Arium in com-
„munionem recipere mandaret, Alexander,
„Constantinopolitanus episcopus, ad basin al-
„taris procidens totam noctem pronus humi
„jacens Deum enixe precatus, ut obstaret, quo
„minus conatus adversarii ad exitum perduce-
„rentur, impetravit, ut fœda morte interiret.„
4.) *Fidei confessio exponenda*, calumniæ adversariorum diluendæ, & supplicibus libellis mitigandus persecutoris animus. Sic Justinus philosophus & martyr scripsit apologiam pro christianis ad Antonium imperatorem, Tertullianus apologeticum adversus gentes, Athenagoras orationem pro christianis, &c. 5.) Si magistratus persecutionem inferens superiorem aliquem recognoscit, ad illius tribunal *provocandum*. Sic Paulus a tribunali inferiore ad superius tribunal cæsaris provocat. 6.) *Aliorum intercessionibus utendum*. Sic *Ebedmelech* eunuchus, qui erat in domo regis Sedeciæ, intercedit pro Jeremia, ut ex carcere liberetur, Jer. XXXVIII. 8. quæ intercessio non caruit suo fructu. *Esther* supplicat Ahasvero pro populo Israëlitico Esth. 4. *Præfectus Edessinus* jussus a Valente, imperatore Ariano, christianorum cœtus dejicere, non tantum de imminente periculo populum præmonuit, ut quilibet locum destinatum lanienæ vitaret, sed etiam constantiam christianorum ad martyrium properantium animadvertens ad imperatorem dixit: *frustra hæc cædes perpetrabitur, ex qua infamiam nos quidem decerpemus, nec tamen promtitudinem illorum expugnabimus*; qua intercessione furorem imperatoris a populo avertit. Theodoretus lib. IV. histor. cap. 17. Rufinus lib. II. cap. 5. Anno 1541. *protestantium ordines* apud Franciscum I. Galliæ regem missis Ratisbona literis pro iis, qui ob doctrinæ confessionem partim in vinculis, partim in exsilio erant, interceserunt. Sleidanus lib. XIII. comm. p. 381. Plura exempla adduximus superius §. 211. 7.) Si precibus & intercessionibus nihil obtineri potest, *fugiendum*. Matth. X. 23. *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Cyprianus epist. LVI. *Gaudere & exsultare nos voluit in persecutionibus Dominus, quia quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cæli, &c. Solus non est, cui Christus in fuga comes est, solus non est, qui templum Dei servans, ubicunque fuerit, sine Deo non est.* Nazianzenus in lerm. de se ipso in agrum reverso: *Si de civitate depellent & effugabunt, numquid & de cælesti urbe Hierusalem, quæ est mater omnium nostrum, depellere nos poterunt vel effugare.* Athanasius in apol. fugam suam excusans adducit exempla piorum ac magnorum virorum, qui fugæ beneficio vitæ ac salutis suæ consuluerunt, *Jacobi*, qui fugit fratrem Esau; Gen. XXVII. 43. *Mosis*, qui Pharaonis potentiam reveritus fugit in Midian; Exod. II. 15. *Davidis*, qui a facie Saulis se abdidit in speluncam; 1. Sam. XXII. 1. *Eliæ*, qui Jesabelis minas fugiens in desertum abiit; 1. Reg. XIX. 3. ipsius etiam *Christi*, qui Herodis & Judæorum furores fugiendo sæpius elusit. Matth. II. 14. XII. 15. Joh. VIII. 59. &c. Ejusmodi exempla plura occurrunt 1. Reg. XVIII. 4. Jer. XXVI. 21. Act. IX. 25. 2. Cor. XI. 33. &c. Sic in pacificatione Passavensi *beneficium emigrationis* conceditur illis, qui a magistratu ad religionis mutationem coguntur. 8.) Quod si nec fugæ locus patet, quidvis potius *tolerandum*, quam contra Dei verbum & conscientiam aliquid agendum, ac vitæ potius, quam Deo renunciandum. Matth. X. 39. *Qui perdit animam suam propter me, inveniet eam.* Act. XXI. 13. dicit apostolus: *Non solum adligari, sed etiam mori paratus sum propter nomen Domini Jesu.* Eamdem spiritus προθυμίαν animadvertimus in Ignatio, qui epist. XIV. ad Tharsenses p. 19. inquit: ἕτοιμος εἰμὶ πρὸς πῦρ, πρὸς θηρία, πρὸς ξίφος, πρὸς σαυρόν. Μόνον ἵνα Χριστὸν ἴδω τὸν σωτῆρα μϑ, καὶ θεὸν ὑπὲρ ἐμϑ ἀποθάνοντα. & in epist. XII. ad Roman. p. 68. πῦρ καὶ σαυρὸς, θηρίων τε συγάσεις, ἀνατομαὶ, διαιρέσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπαὶ μελῶν, ἀλυσμοὶ ὅλϑ τϑ σώματος καὶ κόλασις τϑ διαβόλϑ

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841178-p0366-1

θόλω ἐπ' ἐμὲ ἐρχέσθω, μόνον ἵνα Ἰησοῦ χριστοῦ ἐπιτύχω. Καλὸν ἐμοὶ ἀποθανεῖν διὰ Ἰησοῦν χριστὸν, ἢ βασιλεύειν τῶν περάτων τῆς γῆς. Eusebius lib. IV. hist. cap. 15. ex epistola ecclesiæ Smyrnensis de Polycarpo refert, quod ad proconsulem ethnicum bestiarum immissionem minantem dixerit: *Voca eas, est enim nobis fixum a potioribus non esse per pœnitentiam ad pejora transeundum, sed honestum ducimus, a malis ad ea transire, quæ justa sunt.* Cum proconsul diceret: *Si bestias contemnis, igne te compescam;* respondit Polycarpus: *Ignem minaris ad horam arsurum, ac paulo post exstinguendum; ignoras enim ignem illum futuri judicii & æterni supplicii impiis reservatum. Sed quid tardas? infer quidquid lubet.* De Germanico ibidem commemoratur, quod *cum proconsul ætatis eum admoneret atque obsecraret, ut quoniam admodum juvenis & in flore esset, sui ipsius miseretur,* incunctanter & sponte in se bestiam illexerit, & tantum non coëgerit, & provocarit, ut *quam velocissime ab iniqua hac & injusta vita liberaretur.* Rufinus lib. II. hist. cap. 5. & Theodoretus libr. IV. hist. cap. 17. de fœmina quadam Edessena referunt, quod audiens jussu Valentis imperatoris christianos esse in loco conventus publici a præfecto opprimendos, *adeo festina ac propera domo sua proruperit, ut nec clauderet ostium, nec operire se, ut mulierum habitu decet, diligentius potuisset, infantem quoque parvulum secum traxerit, cursuque rapido, irrupto etiam officii præfectum comitantis agmine festinaverit.* Perducta ad præfectum ab eoque quæsita, quo tam festina properaret? *ad campum* dixit, *quo catholicorum populus convenit. Et non,* inquit præfectus, *audisti, quod omnes interficiendi sint illic inventi? audivi,* inquit, *& ideo festino, ut ibi inveniar.* Rogata denuo, quo *parvulum illum secum traheret? ut & ipse,* respondit, *martyrium consequi mereatur.* Addit Theodoretus cap. 16. *ardens enim divino fervore animus nullo tangitur humano metu, sed terrores tales pro risu ac joco habet;* qua Edessenæ mulieris ac reliquorum concivium confertim ad locum martyrii properantium constantia imperator permotus a furore & vesania sua remisit. Josephus libr. XVIII. antiq. cap. 11. de Judæis memorat, quod audientes Petronium præsidem Roma a Cajo imperatore mitti, ut ejus statuam in templo ponat, eidem nondum regionem ingresso Ptolemaidem primum, mox etiam Tiberiadem occurrerent, suppliciter rogantes, *ne se ad eam necessitatem adigeret, neve sacratam urbem vetitis imaginibus pollueret; cumque is objiceret: An igitur bellum geretis cum Imperatore? Nequaquam,* dicebant, *pugnabimus, sed moriemur citius, quam a legibus Dei discedamus,* simulque procumbentes nudatis jugulis paratos se dicebant ad excipiendos gladios, qua constantia apud Petronium obtinuerunt, ut ad Imperatorem scriberet, & abrogationem decreti interveniente Agrippæ intercessione obtineret. Talis constantiæ exempla in historia sacra & ecclesiastica occurrunt longe plurima, qua persecutorum furor longe melius, quam ferri acie retunditur.

§. CCCCLXXXVI. Quæritur III.) *An pravo & impio magistratui a subditis sit resistendum, ejusque imperium excutiendum?* 3.) *An pravo & impio magistratui resistendum?* *Resp.* Mere subditis, de quibus hoc loco agimus, id neutiquam licet, ut ex superioribus facile colligitur. 1.) Si enim etiam impius magistratus *est a Deo* & Dei ordinatio, utique imperium ejus tolerandum, sed prius demonstratum fuit superius cap. 3. sect. 1. q. 2. manet ergo posterius. 2.) Si *propter idololatriam & hæresin* non licet magistratui legitimo resistere; multo minus propter alia quædam delicta minora id licebit. Sed prius demonstratum fuit in proxime præcedentibus. 3.) Dicta scripturæ sunt *generalia,* sine improbitatis ac vitiosæ qualitatis exceptione obedientiam erga magistratum a subditis requirunt. 4.) *Sancti Dei homines* docuerunt, etiam impio magistratui debita officia præstanda. *Samuelis filii* supra tribus Israëliticas constituti erant impii & avari, nihilo minus cum populus pristini regiminis pertæsus regem po-

flularet, Dominus ad Samuelem dicit, *non te, sed me rejecerunt*: 1. Sam. VIII. 7. *Nabuchodonosor* erat ecclesiæ persecutor & impius rex; nihilo tamen minus Jeremias pro eo orandum, non autem rebellandum docet. Jer. XXIX. 7. *Tiberius* erat crudelis parricida, adulter, omnis nequitiæ & flagitii artifex, nihilominus Christus tributum ei dandum esse jubet Matth. XXII. 21. *Neronem* apostolus adpellat leonem 2. Tim. IV. eidem tamen subjectionem Dei ordinatione deberi docet. Rom. XIII. 2. *Asiæ reges* crudelitatis ac facinorum plurimorum reos fuisse, Buchholzerus in dial. de regn. Scot. memorat, nihilominus tamen Petrus ad christianos in Ponto, Bithynia, Cappadocia, &c. scribens *omni humanæ ordinationi subjectos* ipsos esse jubet 1. epist. II. 13. 5.) *Exemplis sanctorum* idem probatur. *Saul* erat impius & inobediens, interim non deturbatur a solio regali, nec a subditis nec a Davide, qui divinitus erat in successorem electus. *Achab*, *Ammon & alii reges Israëlitici* erant projectæ impietatis, nec tamen subditi illis restiterunt. *Cajus Caligula* teste Josepho lib. XIX. antiq. c. 2. erat maleficus, voluptatibus deditus, sanguinarius, unicum fructum potentiæ existimans, si abuteretur ea contra immeritos, &c. neque tamen apostoli auctores fuerunt christianis, ut ab imperio eum removere tentarent. 6.) Idem ostendit *rationis paritas*. *Servi* jubentur obedire etiam δυσκόλοις, *duris ac difficilibus dominis*, 1. Pet. II. 18. *liberi austeris & morosis parentibus*, *uxores duris maritis*; quidni etiam subditi iniquo magistratui? 7.) Licentia subditis data magistratui pravo resistendi *exitio est reipublicæ*, quod probat Gerson in cens. errorum adsertorum per Johannem Parvum, qui cædem ducis Aurelianensis excusatum iverat: *Per hanc adsertionem* (inquit) *aperiretur via ad homicidia regum ac principum quorumcunque, ad violationem fidei & juramenti, si liceret impune eos propria auctoritate necare, aut in eos fraudes moliri, daretur & occasio subditis rebellandi & contemnendi principes. Nemo enim ambitiosus aut a principe castigatus non fingeret in eum ingentia crimina, ut eum populo exosum redderet, nulla esset imperandi securitas.* Subditi ergo, quibus magistratus impius obtigit, *non murmurent* adversus Deum vel magistratum, *sed adversus peccata sua*, Thren. III. 39. quippe quibus promeriti sunt illud Domini flagellum; ut enim in bono magistratu Dei φιλανθρωπία, ita in malo τιμωρία agnoscenda est: humilient se coram Deo, agant pœnitentiam, patienter tolerent impositum jugum, ac divinam liberationem vel mitigationem fide exspectent.

§. CCCCLXXXVII. IV.) *An tyranno resistere, ejusque jugum vi armata subditi excutere possint?* 4.) *An tyranno resistere licitum?*

Distinguunt politici scriptores 1.) inter tyrannum in *titulo*, qui illicitis mediis regnum sibi adquisivit; & inter tyrannum in *exercitio*, qui regnum legitime adquisitum tyrannice administrat. Illum licite repelli posse statuunt, quia non obtinet legitimam potestatem, sed ad iniquam servitutem subditos contra jus & fas cogit. Sic judices divinitus excitati ab externorum hostium & tyrannorum jugo israeliticum populum liberarunt, ut historia judicum testatur. Matathias injustam Anthiochi oppressionem bello repulit 1. Macc. III. Tyrannus in *titulo* duplex iterum constitui potest; vel enim *occupatione* tantum tyrannus est, non administratione, quando imperium illegitimis modis adeptum legitime administrare studet, sicut Pelopidas Alexandrum Pheræum tyrannum in justum principem mutare nitebatur; Plutarchus Pelop. vel *occupatione & administratione* simul tyrannus est, qui omnium pessimus. 2.) Inter *principes majestatis integræ & potestatis absolutæ*, qui absolutum in subditos imperium obtinent, nec tenentur certis quibusdam pactis, conventis vel legibus regni fundamentalibus expressa promissione obstricti; & inter *principes potestatis limitatæ*, *& pactis conventis* inter ipsos & proceres regni initis *circumscriptæ*, cui distinctioni respondet ea, quæ statuitur *inter subditos meros & mixtos*. 3.) Inter *offensionem & defensionem*. Principibus, quorum potestas est limitata ab illis, qui non

sunt mere subditi, ab ordinibus scilicet regni resisti, ac violentiam eorum armata manu repelli posse disputant, id quod sequentibus confirmari posset argumentis. 1.) A *magistratus officio*. Magistratui incumbit subditos contra injustam oppressionem tueri, ut superius fuit demonstratum. Jam vero ordines regni in regno electivo, ad quod non nisi certis conditionibus caput aliquod est evectum, sunt loco magistratus. Non enim sunt mere & absolute subditi, sed partem potestatis in electione summi capitis sibi reservarunt. 2.) A *juris naturalis præscripto*. Defensio sui omni jure, divino scilicet, naturali & civili est concessa. Ergo licet ordinibus regni contra injustam oppressionem se & subditos defendere. (*) 3.) Ex *mutuæ obligationis modo*. Ex contractibus nascitur mutua & reciproca obligatio. Jam vero inter principem potestatis restrictæ & Ordines regni electivi talis contractus fuit initus, ut princeps in leges regni fundamentales prius juraverit, antequam ordines regni nomine omnium subditorum fidem ipsi darent. Quod si ergo princeps ab hoc contractu discedit, ordines regni ab obedientiæ promissione ipso jure absolvuntur. 4.) Ex *axiomate theologico*, quod evangelium non aboleat politias. Jam vero ad statuta & jura politica hoc ipsum pertinet, quod ordines regni vi contractus initi magistratui libere electo, & contra promissionem ac fidem datam agenti resistere possint. Vid. Lutherum *in Bedencken von der Gegenwehr*, tom. VII. Germ. Jen. f. 389. 5.) A *paritatis judicio*. Sicut principes aberrantes ministerii ecclesiæ verbo possunt arguere, consiliarii sanis consiliis in vias eos revocare; sic ordines regni, quibus datus a Deo gladius, vi armata ipsius conatibus possunt resistere. 6.) Ex *probatarum exemplorum testimonio*. 2. Reg. XI. Jojadas deponit Athaliam; 1. Macc. II. & seqq. (**) Judas & reliqui Maccabæi resistunt Antiocho. Constantinus oppugnavit Licinium collegam in imperio, christianos persequentem. B. Lutherus in scripto ad pastorem tom. VII. German. Jenens. fol. 386. addit duo alia exempla, quod populus restiterit Sauli Jonathanem interficere cupienti, 1. Sam. XIV. quodque Ahikam & alii principes israelitici restiterint regi Jojakim Jeremiam ad internecionem quærenti. (***) 7.) Ex *consequente absurdo*. Si ordinibus regni denegaretur potestas contra injustam violentiam se ac suos defendendi; consequens foret, non esse discrimen *improbare & suo loco resistere*. Hunnius disp. de magistr. thes. 96. 97. tom. V. *Interim officio suo non deerunt, si qui sunt populares magistratus ad reprimendam regni tyrannidem constituti, ut violenta imperia, quoad fieri potest, ad justam redigantur moderationem, quod nisi fecerint, ut patriæ proditores perfidiæ suæ rationem Deo sunt reddituri.* Protestantium responsum in bello Schmalcaldico, quod recitatur a Sleidano p. 542. *Quod si pactis stetisset* (cæsar) *atque decretis, nos etiam nostrum eramus officium facturi; sed quoniam ea violavit, & vere præcipua Deo debetur obedientia, sibi culpam ipse tribuat. Etenim quia religioni molitur exitium atque libertati, causam præbet, cur ipse impugnetur bona conscientia. Cum enim in eum casum res devenerit, licet resistere, sicut & sacris & profanis historiis demonstrari posset. Nam injusta vis minime Deum auctorem habet, nec alia ratione summus ei devincti, quam si conditiones, quibus est creatus cæsar, impleat.* Vide literas Mauritii Saxon. electoris & Alberti Brandenburgici apud Sleidanum lib. XXIV. histor. pag. 753. GERHARDVS.

(*) Vt potestas talis principis non est absoluta, ita quoque obedientia subditorum non debet esse absoluta; alias tyrannorum stabilietur licentia, ac subditorum periclitabitur libertas & conscientia. GERH.

(**) Jeroboam Rehabeamo, Jehu & socri Joramo, Jojada & principes Judæ Athaliæ, Maccabæi Antiocho, aliisque regibus Macedonicis restitere. Si dicas, factum hoc esse mandato Dei expresso, vel peculiari numinis divini instinctu vel alio. — stis ex causis. Resp. Salva res est, hinc enim constat dicta de obedientia magistratui præstanda certas habere exceptiones. GERHARDVS.

(***) Chemnitius part. II. loc. comm. p. 26. edit. anno 1591. *Quia Deus voluit gradus esse in imperiis, ut sint aliqui superiores ordines privatis, qui sint pars consilii publici & gubernationis:* 1. Petr. II. 13. 14. Sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis. 1. Tim. II. 2. Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt; *illi igitur superiores ordines, quia ex officio debent consilia & operas conferre ad defensionem disciplinæ & communem salutem, non satisfaciunt suo officio volendo tam injustam sævitiam, sed debent*

men inter principes, qui absolutam & integram obtinent potestatem, & inter eos, quorum potestas est limitata & circumscripta, nec esse discrimen inter mere subditos, & eos, qui sunt in partem potestatis recepti, ac quibus cura boni publici ex parte adhuc incumbit, promissionem illam, quam princeps ante evectionem ad regnum ordinibus præstat, nullius esse momenti, cum pro arbitrio ab ea discedere, nec ad impletionem ejusdem cogi possit, electionem principis intuitu boni publici susceptam in extremum regni detrimentum vergere, cum libidini ejus nemo plane possit resistere. &c. 8.) Ex *theologorum & jurisconsultorum suffragio.* Lutherus, Bugenhagius, Justus Jonas, Nicol. Amsdorffius, Georgius Spalatinus, Philipp. Melanchthon, Caspar. Cruciger, Georgius Major, Justus Menius, Christ. Hoffmannus, & alii theologi, jurisconsulti Witebergenses anno 1531. Basilius Monnerus, & alii ex politicis defensionem sui ordinibus regni licitam & concessam esse censuerunt, ut constat ex scriptis a Hortledero collectis tom. II. lib. 2. de causis belli Germanici, &c. (*) Sed gravissimæ hujus quæstionis decisionem theologorum & jurisconsultorum collegiis committendam, neque quidquam temere pronunciandum esse ducimus.

§. CCCCLXXXVIII. Si ulterius quæritur de talibus principibus, qui sunt liberæ & absolutæ potestatis, qui vel per successionem imperium obtinent, vel per electionem absque tali limitatione & stipulatione prævia rerum potiuntur, si illi postmodum in tyrannos degenerent, an subditi eis resistere possint? ibi varia opinionum divortia sese offerunt. *Pontificii*, præsertim jesuitæ, tyrannum æstimant ex hæresi, ideo omnes illos reges ac principes tyrannorum loco habendos esse, & a quovis subdito e medio tolli posse statuunt, qui a Romana ecclesia secessionem faciunt, si vel maxime legitime imperium adquisiverint, ac legitime illud administrent. Sed de hoc sanguinario theoremate superius fuit dictum. Alii talem definitionem tyranni proponunt, quæ pravo cuique principi convenit, ideoque existimant, subditos non solum tyranno, sed etiam cuivis impio Magistratui resistere, & ab imperii solio eum deturbare posse: 1.) *Quia ut subditi fœdus ineunt cum magistratu, per quod eidem sunt obstricti, sic magistratus & subditi simul ineunt fœdus cum Deo, per quod utrique Deo ad officii partes recte obeundas obligantur, proinde, si pars alterutra, videlicet magistratus non obsequatur promissis Deo factis, subditi tanquam correi eum possunt in ordinem redigere.* Brutus in vindic. quæst. 1. 2.) *Princeps ex populi beneficio rex est, & ex ipsius manibus potestatem suam accipit*, quod argumentum pontifex Zacharias suggessit Francis, cum de Childerici abdicatione consulerent, apud Aventinum libr. III. annal. *Princeps*, inquit, *populo, cujus beneficio regnum possidet, obnoxius est, quæcunque enim habet, potentiam, honorem, divitias, gloriam, dignitatem a populo accipit, plebi eadem accepta referat. Regem plebs constituit, eumdem & destituere potest.* Cui conforme etiam illud: *Populus nunquam ita suam potestatem in regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu ad se recipere possit;*

(*) Becanus in resp. ad aphorism. Calvinistarum aph. 9. pag. 100. *Qui est tyrannus tantum administratione non potest a subditis interfici, ut definitum est in concilio Constant. sess. XV. quia verus & legitimus princeps, etsi tyrannice regat, manet tamen superior. Ergo subditi debent illi obtemperare & non interficere, nisi forte ob necessariam vitæ defensionem.* Bodinus lib. II. de republ. cap. 5. *Quamquam qui theologorum eruditissimi habentur*, (in margine notatur Mart. Lutherus, Calvinus in Joh. & in instit. lib. IV cap. 31. Sleidanus in histor.) *non modo non licere putant subditis, principes tyrannidis specie occidere, sed ne verbo quidem violare fas esse, nisi singulari Dei oraculo jubeantur, sicut Jehu, qui Dei jussu ad regnum Israël ticum vocatus est, ut regis Achabi liberos ac posteritatem a stirpe deleret.* Ac postea: *Et quidem cum Germanorum principes pro suscepta religione pugnare & adversus Carolum V. arma capere decrevissent, Martinum Lutherum consuluerunt, num id jure divino liceret, ille negavit, neque tamen principibus id persuasit. Itaque funestum bellum reique publicæ calamitosum suscepitum est cum vigente principum & civium strage &c.* Gerhardvs.

possit; quod urget Bellarminus in recogn. lib. de laicis. 3.) *Inter principem & subditos est reciproca obligatio, si non expressa, tamen tacita. Subditi obligantur magistratui ad obedientiam, magistratus ad defensionem, justitiæ administrationem, veræ religionis conservationem, &c. Ut ergo magistratus potest subditos ad obedientiam vi illius obligationis cogere, ita subditi a magistratu possunt deficere, eique resistere, si capita illius fœderis transgrediatur*; quod argumentum urgebat Gregorius VII. cum Romanos ab obedientia Henrici IV. abducere vellet. *Quemadmodum* (dicebat) *militem ignavum imperator potest exautorare: ita militi ducem injustum licet deserere.* Aventinus lib. V. annal. 4.) *Princeps est reipublicæ tutor, ut ergo pupillus potest contra tutorem accusationem suspecti instituere, & potestate ejus exire, ita idem subditis contra magistratum licet*, quod urget Rossæus in l. de justa reip. in princ. potest. c. 2.

§. CCCCLXXXIX. Sed totam horum & similium argumentorum structuram uno impetu dejicit apostolus, quando exsertis verbis pronunciat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subjecta, non enim est potestas nisi a Deo, quæ autem sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt; quicunque ergo potestati resistit, divinæ ordinationi resistit, qui autem resistunt, judicium sibi ipsis acquirunt.* Ad argumenta Bruti, Rossæi, Bucherii, &c. solide respondent Barclajus in lib. cont. monarchomachos, Albericus Gentilis in lib. de vi in principes semper injusta, Cunerus in lib. de off. princip. christ. & Arnisæus in lib. de autorit. princ. in populum semper inviolabili. 1.) Si princeps absolutæ potestatis & integræ majestatis transgrediatur promissum Deo factum, non subditorum, sed Dei pœnas incurrit, neque enim subditis in principem competit jurisdictio, sed soli Deo. 2.) Potestas principis absoluti non est ipsi tantum a populo *delegata*, sed in eum penitus *translata*, ergo populus non potest revocare, quod a se in principem transtulit, nisi expressis pactis id cautum fuerit. Potestas eorum, qui beneficio successionis Reges nascuntur, vel per electionem absolutam, ac nullis conditionibus circumscriptam in solium regale evehuntur, non pendet ex arbitrio populi, sed ex ordinatione ipsius Dei. 3.) Si princeps absolutus officium suum negligat, non potest a mere subditis coërceri, quia subditi hac in parte destituuntur tùm *mandato divino*, tum *superiore potestate*; sed divino relinquendus est impius princeps judicio, quod ob id ipsum gravius aliquando experietur, quia humano judicio non potuit coërceri. *Cum enim juxta apostolum omni mortali horrendum sit incidere in manu Dei viventis; regibus tamen, qui nullum præter ipsum Deum supra se habent, quem metuant, eo erit horribilius, quod ipsi soli Deo peccent; si peccaverit vir in virum, placari illi potest Deus, si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* ut ex 1. Sam. II. 25. collegit Otto Frisingensis in epist. ad Fridericum. 4.) Princeps non solum *tutor*, sed etiam *pater* est reipublicæ, ut ergo filio, quatenus tali, non competit potestas in patrem, ita nec subditis in magistratum. Sed nec pupillus sibi ipsi jus dicere, & propria auctoritate tutorem ab officio removere potest, verum ad id requiritur auctoritas judicis; pari ergo ratione subditi non possunt nec debent sibi ipsis jus dicere, & proprio arbitrio principem e solio deturbare, sed summo & unico magistratus judici, Deo scilicet, id omne committant: *Tolerandum est patienter*, inquit Æneas Sylvius in lib. de ort. & auctor. imper. Rom. c. 16. *quidquid princeps facit inique, exspectandaque est vel successoris emendatio, vel superni judicis correctio, qui violentias atque injurias non finit esse perpetuas.*

§. CCCCXC. Quidam tandem tyrannum describendum esse rectius censent, non ex *crudelitate & sævitia in quosdam subditos*, nec ex *nimia severitate in tributis exigendis*, & vectigalibus imponendis, *nec ex vitiis privatis*, sed ex *supino officii publici neglectu*, & ex *reipublicæ destructione*; ut enim princeps ad *publicum*, ita tyrannus ad *privatum commodum* omnia refert, Aristoteles lib. IV.

pol. c. 10. ac in talem tyrannum subditos exsurgere, eumque oppugnare posse existimant. 1.) Quia tyrannis non est legitima potestas, sed merum latrocinium. 2.) Subditi non sunt Dei mandato tyranno obligati, quia Deus non obligat ad illegitima, injusta & inhonesta. 3.) Sicut adulterium solvit vinculum conjugale, quia directe adversatur conjugii legibus: sic tyrannis liberat subditos ab obedientiæ vinculo, quia imperii legibus ex adverso repugnat. 4.) Tyrannis est plane contra naturam; cum enim tyrannus, utpote ad privatum commodum omnia referens, sit pessimus, non potest nisi melioribus aut æqualibus dominari, jam vero contra naturam est meliores subjici deterioribus. 5.) Respublica eo fine principi tradita est, ut illi prælit ad salutem omnium, a quo si prorsus desciverit, etiam de potestate cadit, quippe quam non alio fine sibi commissam obtinet. 6.) Patriæ salus & boni publici cura pluris facienda quam unius insana libido. *Princeps est propter rempublicam, ac proinde republica minor*; inquit Plinius in paneg. Trajan. potior igitur haberi debet reipublicæ salus, qua omnium subditorum in columitas continetur, quam insana unius hominis furiosi libido. 7.) Defensionem contra tyrannum prohibere, est jus naturæ rescindere, quippe quod unicuique suam suorumve defensionem præscribit. 8.) Tyranni comparantur *iconibus* rugientibus & *ursis* furientibus, Prov. XXVIII. 15. 2. Tim. IV. 17. *lupis* rapientibus prædam; Ezech. XXII. 27. &c. at feris illis resistere, easque debellare licitum. Sed enim 1.) cum inter *tyrannum*, & eum, qui quædam *tyrannice* agit, adcurate sit distinguendum; non enim is statim tyrannus est, qui quosdam ex subditis injuria adsicit, ac quædam tyrannidis speciem præ se ferentia agit; sed qui religionem, leges, libertatem tollit, totam rempublicam pessundat, in bona & corpora subditorum libere grassatur, nec patientia vel precibus vel cohortationibus ulla ex parte sese emendari patitur. 2.) Cum in christiana republica vix possint pejores dari principes, quam quales fuerunt *Tiberius*, *Caligula* & *Nero*, quos tamen Christus, apostoli & primitivæ ecclesiæ doctores a solio dejiciendos esse nusquam docuerunt, sed potius ad obedientiam subditos cohortati sunt. 3.) Cum raro *illa moles convelli sine convellentium exitio possit*, ut loquitur Tacitus lib. IV. ann. ac *minore ut plurimum periculo tyrannus toleretur, quam ejiciatur.* 4.) Cum ejecto uno tyranno novus plerumque succedat, priori deterior. 5.) Cum satius sit, a subditis hic peccari in defectu, quam excessu, ac durissima quævis ab illis tolerari, quam prætextu defensionis principem, de quo emendationis spes est, e solio dejici, ideo theologus rectius fecerit, si populum christianum sub jugo tyrannico laborantem ad pœnitentiam ac patientiam hortetur, quam si vim armatam contra vindicis Dei flagella adhibendam esse doceat. *Non existimo negandum* (scribit Brentius in com. 1. Sam. XXIV.) *quin Davidi in regem divinitus electo Saulem tyrannidem exercentem tam opportune in spelunca oblatum interficere licuerit. Sed David maluit sequi, quod ædificaret, quam quod impune liceret, &c.* Et postea: *Quod David pepercit Sauli, magna laude dignum est, & docet, multo honestius & utilius esse, ut ad evitanda offendicula de jure nostro aliquid remittamus, quam summum jus prosequamur.* Regula generalis, eademque ut certissima ita tutissima est illa apostolica: *Qui resistit, divini ordinationi resistit*; an vero ab ea in hoc vel illo casu detur quædam exceptio, non est temere pronunciandum, sed omnes circumstantiæ adcurate considerandæ. Frustra contra tyrannum capiuntur arma, nisi subditorum peccata, quæ tyranni imperium meruerunt, prius emendentur; contra vero sola ad Deum conversione & piis precibus liberatio a tyranno sæpius fuit obtenta absque ullo armorum usu. Proinde si in privatis, multo magis in publicis injuriis a magistratu illatis locum habere debet illud: *Satius est ferre injuriam, quam inferre.*

CON-

CONCLVSIO GENERALIS.

§. CCCCXCI. Atque hæc dicta sint de *ordine politico*, ejusdemque integrantibus partibus, *magistratu* scilicet & *subditis*, quorum omnium salutaris usus statui potest duplex: generalis & specialis. *Generalis* est διδασκαλικὸς & ἐλεγκτικὸς, videlicet ut ὀρθοδοξίαν in hoc articulo ex verbo Dei cognitam amemus, & contra quavis corruptelas asseramus. *Specialis* vel ad *magistratum*, vel ad *subditos* pertinet. *Magistratui* prodest hæc doctrina 1.) ad διδασκαλίαν, ut intelligat se vivere in tali statu, in quo possit Deo placere, & bona conscientia eidem servire; 2.) ad παιδείαν, ut partes officii divinitus sibi demandati diligenter curet, veram religionem tueatur, justitiam administret, subditos defendat, &c. 3.) ad παράκλησιν, ut in omnibus periculis & adversis, quæ reipublicæ causa sustinet, in omnibus etiam laboribus, quos boni publici causa suscipit, soletur atque erigat se divinis promissionibus de præsentia, auxilio, liberatione ac largissima remuneratione; 4.) ad ἐπανόρθωσιν, ut intelligat, non esse sibi datam licentiam quidvis pro lubitu agendi, sed reddendam aliquando Deo & vitæ actæ & imperii gesti rationem. *Subditis* hæc doctrina usum multiplicem præstat: 1.) διδασκαλίαν, ut in magistratus constitutione ac conservatione divinam providentiam, sapientiam, justitiam, potentiam ac bonitatem reverenter agnoscere, & admirari discant; 2.) παιδείαν, ut divinæ huic ordinationi sponte & ex animo sese subjiciant, debitum honorem & obedientiam magistratui præstent, pro salute illius quotidiana vota ex animo faciant, tributa promte solvant, nec solum propter pœnam, sed etiam propter conscientiam subjectionem magistratui a se deberi agnoscant; 3.) ἐπανόρθωσιν, ut limites ac terminos obedientiæ, qua magistratui tenentur obstricti, recte percipiant, ut cæsari, quod cæsaris est, ita persolvant, ne quod Dei est, Deo eripiatur.

§. CCCCXCII. Ordo politicus in genere sic definiri potest, quod sit *status a Deo ordinatus, magistratu ac subditis certis officiorum generibus sibi invicem devinctis constans, ob tranquillitatem & salutem humani generis institutus.* Magistratus in *abstracto* ex loco apostolico Rom. XIII. & 1. Tim. II. sic definiri potest, quod sit *potestas supereminens a Deo ordinata, non frustra gladium portans, sed ut sit terrori male & laudi bene agentibus, cui oportet honorem, timorem, tributa, preces & subjectionem a subditis exhiberi non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut placidam & quietam vitam agant cum omni pietate & honestate.* Vel: *Magistratus est potestas a Deo ordinata, gladio armata, ut sit custos divinæ legis ac aliarum honestarum constitutionum ad conservandam pacem in genere humano, & reipublicæ salutem obtinendam.* In *concreto* talis traditur definitio: *Magistratus est persona divinitus vocata, potestate ferendi leges civiles, judicia publica juxta eas instituendi, & pœnas transgressoribus istarum legum irrogandi instructa, atque ob id gladio armata, ut externa delicta coerceantur, justitia administretur, ac tranquillitas reipublicæ conservetur.* Deus, qui solus est Rex omnium regum, & Dominus omnium dominantium, qui stabilit & transfert regna, concedat benignissime, ut oculus videat, & auris audiat, hoc est, ut ἐυαρχίαν magistratus, ἐυτειθείαν subditi sibi habeant unice commendatam, atque ex politia hac terrena aliquando transferamur in cœlestem, in qua evacuato omni principatu & potestate & virtute Deus erit omnia in omnibus, cui sit laus, honor & gloria in seculum!

Amen!

SVP-

SVPPLEMENTVM EDITORIS AD LOCVM DE MAGISTRATV POLITICO

Speciatim

DE JVRE SACRORVM

AD MAGISTRATVM POLITICVM PERTINENTE. (1.)

OBSERV. I.

DE VARIIS SENTENTIIS CIRCA REGIMEN ECCLESIÆ.

§. *I.*

Copioſe quidem ſolideque b. GERHARDUS noſter nobilem iſtam *de jure ſacrorum* controverſiam *capite VII. membro I. p. 23. ſeqq.* pertractavit, multisque argumentis ex oraculis tum veteris, tum novi fœderis duo cumprimis momenta ſibi demonſtranda ſumſit: I.) chriſtianum ac pium magiſtratum *non poſſe* nec debere *ab omni religionis & ſacrorum cura excludi*; II.) certos limites conſtituendos eſſe, ne *eccleſiaſtici ac politici* ordinis munia *confundantur*, ſed utrique ordini debitæ partes relinquantur. Subjunximus quoque ſubinde textui *Gerhardiano* unam alteramve adnotationem, iis, quæ a laudatiſſimo viro dicta ſunt, illuſtrandis inſervientem. Quum vero argumentum *de jure ſacrorum* recentiori cumprimis ætate a viris doctiſſimis, non theologis tantum ſed & jure conſultis, iisque celeberrimis, adcuratius quam antea factum erat, fuerit tractatum, non inutile, ut ſperare licet, nec injucundum erit lectoribus noſtris; ſi nonnulla de graviſſimo hocce argumento operi *Gerhardiano* ſupplementi loco, heic ſubjungamus.

§. *II.* Ad duo vero cumprimis capita redeunt ea, de quibus hactenus diſputatum fuit inter viros eruditos, hujusque argumenti peritiores. *Prima*, eaque præcipua quæſtio, de qua heic controvertitur, huc redit: *Cuinam competat jus diſponendi circa ſacra?* (2) Succedit deinceps *altera* quæſtio, quæ hæc eſt: *Ex*

(1) Notitiam *auctorum*, qui materiam hancce *de jure principum circa ſacra*, data opera dilucidarunt, ſuppeditant viri doctiſſimi, CHRIST. THOMASIVS, *in hiſtoria contentionis inter imperium & ſacerdotium* paſſim; FABRICIVS in *bibliogr. antiq. ed. noviſſ. p. 638.* CHRIST. MATTH. PFAFFIVS *in introductione in hiſtoriam theologiæ literariam*, P. II. p. 316. nec non *in orig. juris eccl. p. 210.* BVDDEVS in *iſagoge hiſtorico theologica ad theologiam univerſam, ſingulasque ejus partes, lib. poſter. cap. V. p. 726. ſeq.* quibus inprimis addi meretur *bibliotheca juris imperantium quadripartita, p. 159. ſeqq.*

(2) Sunt, qui jus *circa ſacra* non promiſcue commutandum eſſe arbitrantur cum jure *ſacrorum*, iſtasque adpellationes ſubtilius explicant, diſtinguendo inter jus *circa ſacra* & *jus ſacrorum*, ita, ut hoc tes *ordinis* præcipue adtingat cauſasque ad *ſenatum eccleſiaſticum* proxime ſpectantes, *illud* vero *latius* pateat, & *externam curam*, id eſt, diſciplinam, ordinemque & adminiſtrationem bonorum eccleſiaſticorum in ſe complectatur, ſive res quæcunque, ad *principem ipſum* proxime deferendas. Ita RHETIVS *de jure ſtatuum imperii circa ſacra, C. I. n. 15.* WEBERVS *de jure conſiſtor. C. XVII.* Alii itidem jus *circa* ſacra diſcernunt a jure *in* ſacra, hoc quidem anguſtius, illud latius ac ſuperius eſſe exiſtimantes. Alii denique diſtinctione adhibita inter *jurisdictionem eccleſiaſticam*, & *jura ſacrorum*, hæc principi, illam ſenatui eccleſiaſtico vindicant. Sed in diſtinctionibus hiſce nimis fortaſſe ſubtilibus ac quæſitis, nonnihil ambiguitatis ineſt atque obſcuritatis; ne dicamus, easdem auctoritate fori non munitas eſſe, adeoque pro ſupervacaneis atque inutilibus habendas. conf. *I. H.* BOEHMERVS in *jure proteſtantium eccleſiaſtico tom. I. lib. I. tit. XXVIII. §. 49 — 51. p. 644. ſeqq.*

Ex quibusnam fontibus jura sacrorum his vel illis competentia sint deducenda? Circa utramque hanc quæstionem cum variæ eæque gravissimæ exstent disceptationes, id nobis agendum erit, ut non modo quid res sit, explicemus, sed quid alii etiam in re controversa sentiant, lectoribus nostris proponamus. Hoc igitur, ut justo ordine fiat, visum nobis est, conamen hocce de jure sacrorum in tres observationes distribuere; quarum *prima varias sententias, circa quæstionem, cuinam competant sacrorum jura*, enumerabit, diversasque insimul regiminis ecclesiastici formas, cum sententiarum illa diversitate conspirantes, exponet; *altera* vero *observatio* ex historiarum monumentis ostendet, *principes christianos jam ante pacificationes religiosas*, imo ab antiquis inde temporibus *sacrorum jura exercuisse*: *tertia* denique *fontes, ex quibus sacrorum jura derivari solent, sub* moderatum & ingenuum *examen* revocabit.

§. *III.* Prima, quæ hoc explicanda nobis venit, quæstio, hæc est: *Cuinam competat jus illud circa sacra*, seu suprema ecclesiæ rerumque ad eam pertinentium administratio? Deprehendimus sane haud levem sententiarum circa hocce argumentum discrepantiam, partim diversis reipublicæ christianæ formis accommodatam, ortamque ex varietate professionum, quibus singuli christianorum cœtus sunt addicti, partim per dissimilia quorundam studia vel in ipsam religionem, vel in principes, populumve aut in ejus magistros, suo modo definitam. Sunt enim, qui omnia ad cœtum christianum spectantia pedibus *præsulis Romani* subjiciunt; sunt alii, qui præcipuas juris circa sacra partes *episcopis* tribuunt; sunt contra alii, qui totum jus sacrorum a *collegiis presbyterorum* pendere arbitrantur; sunt porro, qui *plebi* ecclesiasticæ, vel qui *toti ecclesiæ* hancce potestatem adserunt; sunt denique, qui *principibus*, seu magistratui politico *totum* jus sacrorum vindicare adnituntur. Varias hasce opiniones, sacrorum jura concernentes, fusius exposuerunt viri doctissimi, Vlricvs Hvbervs, (3) Jo. Wolfg. Jægervs, (4) Jo. Franc. Byddevs, (5) Jo. Georg. Walchivs, (6) Chr. Matth. Pfaffivs, (7) Jo. Lavr. Moshemivs, (8) Jvst. Henn. Boehmervs, (9) aliique. Nostri quidem instituti non est, ea, quæ a viris hisce eruditis collecta jam jam atque digesta sunt, copiose repetere, singulasque illas, quas supra adduximus, sententias, cum fundamentis, quibus nituntur, adcuratiori examini submittere. Sufficiat nobis, earum nervum breviter declarare, nec tam judicis, quam recensentis munere perfungi.

§. *IV.* Quod speciatim *pontificios* adtinet, qui *præsuli Romano* supremam in rebus ecclesiasticis æque ac civilibus potestatem adserere, ejusque arbitrio atque auctoritati omnia subjicere adnisi sunt; varii exstitere scriptores, iique minime ignobiles, qui data opera hoc egerunt, ut imperium & prærogativas pontificis, scriptis publicis defenderent, ac contra adversarios suos propugnarent. Atque istos pontificiæ dignitatis & patronos & oppugnatores magno numero recensuit Caspar Sagittarivs, theologus quondam Jenensis (10). Auctores ab ipso in medium adductos hoc loco referre, supervacanei laboris esset. Unum tamen, qui e reliquis eminet, & ipse plures super eadem materia scriptores collegit, tacere non possumus, Melchiorem nempe Goldastvm. (11) Huic addi

(3) in libro, *de iure civitatis p. 165. seqq.*
(4) in *systemate theologico, dogmatico polemico, lib. IV. de ecclesia, p. 164. seq.*
(5) in *theol. morali, p. 680. 681. seq.*
(6) in *lexico philosophico, germanica lingua edito, p. 1503. seqq.*
(7) in *originibus iuris ecclesiastici*, adnexaque huic libello *dissertatione* eximia, *de iure sacrorum absoluto & collegiali, p. 328.*
(8) in *iure protestantium ecclesiastico*, vernacula lingua conscripto, & cum observationibus Windhemii edito, *p. 140. seqq.*
(9) in *iure protestantium ecclesiastico tom. I. libr. I. tit. XXXI. §. 44. p. 745.* alibique passim.
(10) in *introductione in histor. eccles. cap. XXVII. p. 713. seqq.*
(11) De eo copiose differit Sagittarivs, *lib. cit. p. 723.* Edidit nimirum Goldastvs opus notatu digniss.

addi meretur Jo. Andreas Schmidius, qui notitiam satis luculentam librorum huc pertinentium suppeditat; e quibus inprimis notanda est Joannis Thomæ de Rocaberti *archiepiscopi quondam Valentini, & Hispanorum inquisitoris generalis, bibliotheca pontificia maxima.* (12)

§. V. Licet autem ex communi publiceque recepta pontificiorum doctrina, directio coetus christiani & cura sacrorum primaria præsuli Romano tribuatur; tamen, quod mireris, thesis ista systematis pontificii facile princeps, non ita definita atque firmata est, ut per ejus auctoritatem internis dissidiis satis cautum esset provisumque, & quasi repagulum positum. Enimvero inter ipsos Romanenses doctores magna gravisque intercedit opinionum de potestate antistitis Romani diversitas, satis illa quidem nota, nec tamen heic silentio prætermittenda, præsertim cum materia litium, nostra demum ætate a Febronio (13) aliisque resuscitatarum, inde suborta fuerit. Etenim in eo conveniunt fere omnes, quotquot ecclesiæ Romanæ placita sequuntur, pontificem caput ecclesiæ summumque episcopum esse, primatu ordinis, consociationis atque auctoritatis conspicuum, ornatumque splendore sedis apostolicæ, antiquitate non minus quam sanctitate venerabilis, cui ab omnibus vere fidelibus honor summus ac profunda debeatur reverentia. Istius episcopi principis esse ajunt, universi gregis sacri gerere curam ac prospicere, ne quid unquam civitas christiana detrimenti capiat: eum vi officii, custodem esse, tutorem, vindicem canonum statutorumque ecclesiasticorum, fidem atque disciplinam concernentium; ei competere facultatem, ecclesia consentiente leges circa sacra condendi, aliaque observanda proponendi; ad eum, tanquam ad caput patremque coetus christiani communem omnia, quæ eccle-

dignissimum, quod inscriptum *de monarchia sacri Romani imperii, & tribus tomis* absolutum, ab *anno* cIↃIↃcXII usque ad *annum* cIↃIↃcXIV. *Hanoviæ & Francofurti* in lucem publicam prodiit. Exhibentur in eo *tractatus de iurisdictione imperiali, seu regia, & pontificia seu sacerdotali; deque potestate imperatoris & papæ, cum distinctione utriusque regiminis politici & ecclesiastici; ex singulari mandato aut permissu imperatorum Romanorum & Græcorum, nec non regum Germaniæ, Galliæ, Hungariæ, Angliæ, Bohemiæ, &c. a catholicis scriptoribus conscripti atque editi, & nunc iterum ex tenebris producti, recensiti & oppositi tractatibus eorum, qui utramque potestatem in spiritualibus & temporalibus aut adulatorie aut imperite confundunt.*

(12) Vastum hoc & insigne opus hac inscriptione insignitum prodiit: *Bibliotheca maxima pontificia, in qua auctores melioris notæ, qui hactenus pro sancta Romana sede tum theologice tum canonice scripserunt, fere omnes continentur. Romæ 1695 — 1699. tom. XXI. in fol.* vid. Schmidii *introduct.* p. 634 seq.

(13) Prodiit decennio abhinc & quod excedit, sub ficto auctoris & loci nomine liber singularis, magna eruditione, prudentia, & fandi libertate conscriptus, nostroque tempore celebratissimus, cujus inscriptio hæc est: Justini Febronii, Jcti, *de statu ecclesiæ & legitima potestate Romani pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione christianos compositus. Bullioni apud Guilelmum Evrardi, MDCCLXIII. in 4.* denuo recusus, auctiorque & emendatior redditus, MDCCLXV. Verus scripti istius auctor perhibetur esse *vir ill. & rev.* ab Hontheim, *suffraganeus Trevirensis.* Hic felici gressu secutus vestigia Bernardi, Gersonis, Edmvndi Richerii, Petri de Marca, Eliæ dv Pin, Natalis Alexandri, Marci Antonii de Dominis, Jac. Ben. Bossveti, & ex Italis Pavli Sarpii, Jo. Marsilii, & aliorum qui immodicæ pontificis auctoritati contradixere; id agendum sibi sumsit, ut monarchicam ecclesiæ Romanæ formam graviter impugnaret, nimiæ pontificis potestati limites describeret, jura episcoporum oppressa firmaret, everteret, tueretur, eamque rationem, dominatum pontificis deprimendi, tanquam optimam & facillimam commendaret, ad *protestantes* in gratiam atque concordiam cum romano coetu reducendos. Non defuerunt quidem, id quod facile conjici poterat, ex curiæ Romanæ amicis, qui hisce Febronii conamibus vehementer se opponerent, acrique calamo eum perstringerent. Sed ille, calumniis adversariorum impetitus, variis scriptis hucusque editis, causam suam strenue defendit, ejusque vindicias solidissimas exhibuit. Plena atque adcurata libri pretiosi recensio exstat in S. R. Ernesti *bibliothe. nova theol. tom. IV. p. 771. seqq.* nec non in *recensionibus librorum theol. Danisci editis*, tom. I. p. 446. Breves quasdam structuras systematis *Febroniani*, non novi quidem sed erudite & concinno ordine propositi, nosmet ipsi suppeditamus §. VII. ampliorem ejus expositionem & dijudicationem alia fortassis occasione suscepturi.

ecclesiæ sunt, inque ejus statum proprie influunt, esse referenda, curæque ac sollicitudini præsidis augusti committenda: breviter, sedem Romanam primatumque ei adnexum medium esse unitatis in ecclesia, & quasi vinculum, quo universa fidelium multitudo colligetur & consocietur, atque ita sub moderamine communis omnium episcopi communi etiam ecclesiæ bono consulatur. Has quidem Romanæ sedis prærogativas unusquisque eorum, qui communionem cum ea colunt, lubenti animo agnoscit, ac profitetur. Sin autem quæratur vel de *fonte*, ex quo suprema pontificis auctoritas derivanda sit, vel, quod fere præcipuum est, de *limitibus*, quibus illa contineatur, tum sane partim fluctuantes hæsitantesque videas, partim manifestis dissensionibus a se invicem discissos, & in alia omnia abeuntes ecclesiæ romanæ magistros.

§. *VI.* Enim vero multi ex pontificiis doctoribus, *Vltramontani* maxime, curiæ Romanæ penitus addicti, firmiter statuunt, primatum omnesque, quæ cum eo conjungi solent, prærogativas *jure* niti *divino*, & ab ipso Christo in Petrum prætensosque ejus in sede Romana successores dimanasse. Qua opinione imbuti, eo progrediuntur, ut *monarchicum* ecclesiæ regimen in antistitem Romanum deferre, & propriam in sacra potestatem, imo absolutum in omnes fideles imperium, auctoritate falli nescia munitum, ei tribuere, non vereantur. Hunc unum, adserunt, visibilem Christi in terris vicarium, hunc universæ ecclesiæ dominum & rectorem esse, nullis imperii limitibus circumscriptum; ab ejus nutu atque arbitrio unice pendere omnia, quæ fidem disciplinamque adtingant; huic soli jus proprium ac irrefragabile a Deo traditum esse, in credendis agendisque decidendi, statuendi, imperandi, cultum ab apostolis institutum dirigendi, regimine cœtus sacri externo perfungendi. Hujus potestati ac moderamini, ecclesiæ quaqua patet, universitatem, tanquam unam aliquam dioecesin, esse subjectam; huic fideles omnes ad obsequium absolutum, cultumque divino proximum, sanctissimis atque indissolubilibus religionis vinculis, sub sacrilegii piaculo esse obligatos.

§. *VII.* Sed istam intemperantiam adsentationum, indigna omnino liberalitate in curiam Romanam effusarum, valde improbant, gravique interdum stylo notant alii cordatiores ex ipsis ecclesiæ Romanæ sectatoribus, adsertisque eorum, qui pontificis auctoritatem adeo exaggerant, acriter sese opponunt. Hi quidem, papalis dominatus impatientes, partim omne illud, quidquid potestatis habet pontifex, ex jure humano repetunt, ac jurisdictionis ecclesiasticæ radices ultimas sedemque legitimam in ipsa cœtus christiani universitate ponunt, utpote quæ claves, a Christo origine tenus ipsi concessas, pontificis demum administrationi libere commiserit; partim vero jura, præposito Romano tribui solita, secundum antiquiorem regiminis sacri formam suis definiunt terminis, saluti & libertati ecclesiæ congruis. Hanc ipsam ob causam negant fas esse, ut dominatu unius fere despotico civitas christiana administretur; primam ecclesiæ constitutionem, internamque ejus indolem, formæ regiminis monarchicæ prorsus repugnare adseverant; enormes illos pontificiæ usurpationis excessus vehementer detestantur; universitati fidelium & generali, quod ecclesiam repræsentet, concilio pontificem subjiciunt; decretis ejus ad nanciscendum valorem plenum confirmatione ecclesiæ opus esse existimant; uno verbo, ornamenta *ordinis* atque *auctoritatis*, qua *consocietur* suaviterque dirigatur ecclesia, præsuli romano concedunt, gradumque dignitatis *episcopalis*, tum sedis splendore, tum successione apostolica longe præ ceteris eminentem, ipsi relinquunt, ac firmiter tuentur; imperio autem infinito, potestate legislatoria ac judiciali, pro arbitrio exerceri solita, privare ipsum atque exuere adlaborant. Hasce igitur sententias, potentiæ Romani antistitis perquam inimicas præter ecclesiam *Gallicanam*, libertatis suæ vindicem strenu-

strenuam, (14) cum superiori ævo singuli quidam, iique gravissimi ecclesiæ Romanæ doctores magna animi constantia professi sunt, tum recentiores nostra hac ætate reduxerunt, exornarunt, liberius extulerunt, eo inprimis studia sua defigentes, ut non solum ecclesiæ libertatem, sed & præcipue jura ac privilegia episcoporum contra iniquas pontificis interpellationes defenderent. Sed quoniam propositum nobis est, ea quæ huc spectant, in peculiari observatione super litibus *Febronianis* suo tempore exponere; historiam istorum motuum, & si quid forte amplius de iis dicendum sit, missis jam pontificiis in alium locum reservamus. Id unum hoc monendum existimamus, plurimos eorum, quorum adserta liberiora usurpatæ pontificis circa sacra jurisdictioni multum detrahunt, parum tamen, aut nihil potestatis concedere *principibus*, cum, quod jam observavimus, id potissimum curæ ipsis cordique sit, ut *episcoporum*, quæ prætendunt, *jura*, despotico pontificis regimine violata atque deminuta, sublato intolerabili illo dominatu restituantur, evehantur atque amplificentur.

§. *VIII.* Sic vero justo ordine perducimur ad *alteram* illam de administratione ecclesiæ sententiam, quæ potestatem integram in cœtum sacrum inque res ei adnexas, *episcopis* vindicat. Faciunt hoc cum defensoribus jurium episcopalium Romanensibus, modo commemoratis, ii, qui *episcopales* in *Anglia* adpellantur, (15) hoc tantum magno discrimine, ut illi primatum pontificis agnoscant, sed ea, qua diximus ratione limitandum, hi vero, utpote protestantium placitis addicti, principatum sedis Romanæ prorsus repudient, nec quemvis alium episcopum ipsis superiorem, majestatemve in sacris præcellentem, excepta regia admittant. In hoc ipso tamen, quænam videlicet partes circa sacra majestati regiæ sint relinquendæ, insigni opinionum varietate a se invicem discrepant *Britanni* isti sacrorum antistites. (16) Nam *rigidiores* eorum, politico

(14) Notum est, *ecclesiæ Gallicanæ libertatem*, quam a multis inde seculis in continuo fere cum pontificibus certamine propugnavit, in eo consistere, ut suis canonibus antiquisque constitutionibus ipsi propriis regi, & sibi quasi vivere velit, pontificis autem Romani mandatis absolutum obsequium deneget, Ideo auctoritatem papæ falli nesciam haud agnoscit; concilio inferiorem, & primum tantummodo episcopum, non ipsius ecclesiæ caput pontificem esse statuit; potestatem insuper in reges, quoad res mundanas seu civiles, prorsus ipsi adjudicat. Has ecclesiæ Gallicæ sententias qui defenderent, fortissimi exstiterunt scriptores, inter quos eminent Edm. Richerius, Petrus de Marca, qui tamen subtilitate egit, Lud. Thomassinus, Joan. Launoius, Nat. Alexander, Lud. Maimbvrgius, Ant. Arnaldus, Steph. Balvzius, Petr. Pvteanvs, Pasch. Qvesnellvs, Lvd. El. dv Pin, Franc. Dvarenvs, & alii plures contrariam partem tenentibus Nic. Coeffetello, Andrea dv Val, Phil. Labbeo, Joh. Morino, Jac. Perronio, *cardinali*, Jac. Sirmondo, Coelestino marchione de Spondrati, ut alios taceamus. Indicem scriptorum pro libertatibus ecclesiæ gallicanæ dimicantium, nec non eorum, qui ipsis adversantur, locupletissimum dedit Petr. Zornius, in *tractatu* de *libertatibus ecclesiæ Gallicanæ, antiquæ & hodiernæ, in quo agitur tum de capitibus libertatum ecclesiæ illius, tum de scriptoribus Gallis antiquis & recentissimis, qui vel libertates ecclesiæ suæ defenderunt, vel oppugnarunt, commemoratis passim præcipuis curiæ & facultatis parisiensis decretis huc spectantibus &c. Rostochii 1707. 4.* Addi meretur Casp. Sagittarii *introductio in hist. eccles. tom. II. p. 286. seqq.* Franc. Buddei *isagoge hist. theol. l. II. c. V. p. 725. seqq.* Chr. Eb. Weismanni *introductio in memorabilia ecclesiastica historiæ sacræ nov. test. p. II. p. 195. seqq.* De *moderna* Gallorum cum pontifice consligendi ratione videatur Moshemivs in *instit. hist. eccles. maj. p. 774.*

(15) De forma atque gubernatione *ecclesiæ Anglicanæ*, variisque ejus divisionibus, & speciatim de *regimine episcopali*, ejusque adversariis, *presbyterianis* ac *independentibus* supra jam disseruimus in *supplemento*, ad locum de *ecclesia* a nobis addito, *tom. XII. observ. I. §. XXII. not. 45 — 48. p. 192. 193.*

(16) Ratio dissidii istius fuit maxime *politica*. Cum enim expulso Anglorum rege Jacobo II. novus rex Gvilelmvs III. Sancroftvm, antistitem Cantuariensem, oftoque cum eo episcopos, qui novo regi fidem sacramento obstringere noluerunt, muneribus dejecisset; negarunt illi eorumque amici, ecclesiam cum juribus suis regi vel senatui regni subjectam esse; non licere igitur magistratui civili, circa sacra pro se disponere, vel petere antistites, eosque muneribus suis deturbare: hanc enim potestatem soli ecclesiæ concilio competere, cujus decretis unice standum sit. vid. Moshemivs in *instit. hist. eccles. p. 864. 865.*

tico nomine *Torris* distinctis, juriumque *ecclesiæ*, quam vocant, *excelsæ* vindices acerrimi, immodice sentiunt de episcoporum potestate, eamque non tantum jure divino, eoque simpliciter perfecto ac perpetuo niti adserunt, sed & administrationem sacrorum episcopalem a potestate magistratus civilis summique imperantis exemtam & absolute independentem esse statuunt, nisi forsan provinciam tuendæ ecclesiæ, legumque confirmandarum facultatem regi relinquant. Id vero cum tuentur, profecto a pontificia regiminis ecclesiastici forma prope abesse, dignitatemque episcopalem pæne ad eundem, quo in dominatu Romano constituta est, magnitudinis gradum adtollere videntur.

§. *IX.* Alii vero *moderatiores*, quos communi usu *Wighs* adpellitant, *humilis* ecclesiæ partes secuti, longe absunt ab arroganti illa independentiæ postulatione, regique etiam in rebus ecclesiasticis inque ipso jurium cœtui communium exercitio subesse, haud recusant, supremamque in sacra inspectionem, & jus adeo convocandi ecclesiam (17) nec non potestatem judicialem in personas ac bona eorum, qui sacris operantur, denique votum contra ordinationes episcopi negativum, summo imperanti lubentes concedunt. (18) Vtut vero propter hæc sententiarum divortia in duas partes secesserit ordo episcopalium, gravesque controversiæ superiori seculo ad finem vergente & ineunte hoc nostro, inter ipsos non sine acerbitate ductæ fuerint; (19) tamen jamdum tota fere lis sopiri cœpit, postquam studiis *Latitudinariorum* irenicis, regumque artibus & beneficiis effectum est, ut severiores illi excelsæ ecclesiæ patroni de rigore suo aliquid remitterent, & ad concedendum paulisper inclinarentur. Sed, quidquid juris ac potestatis sive acriores illi, sive mitiores episcopalium prærogativarum tutores cum munere antistitis conjunctum esse volunt; id omne pernegant, iisque prorsus abjudicant (20)

(17) Quæstio ista, *num synodi ecclesiasticæ rege non præsciente nec jubente, congregari, & sine auctoritate regis leges ab iis sanciri, edicta promulgari possint*, in singularem apud *Anglos* contentionem venit, *affirmativam* tenentibus Hillio & Atterburio, *negantibus* Wackio, Burneto, Hodio, vid. *Nouvelles de la rep. des lettres par M. Bernard. 1700. p. 685. seqq. 1701. t. 2. p. 218. seq.* & *Mem. de Trev. 1701. p. 1741. seq.* item, *unschuldige Nachrichten de a. 1706. p. 892.* Adire etiam juvabit Sagittarium in *introd. t. II. p. 250. seq.*

(18) Vid. Moshemii *allgemeines Kirchenrecht der Protestanten p. 171 — 178.*

(19) Nimis longum esset, lites illas *de independentia hierarchiæ episcopalis, absolutaque ejus necessitate* exortas, susius heic recensere. Qui rem penitius nosse voluerit, adeat Gvilielmi Nicholsii, *ecclesiæ anglicanæ presbyteri, defensionem ecclesiæ Anglicanæ, Londini ann. 1708.* editam. Nomina episcoporum, qui secum invicem committebantur, exhibet C. M. Pfaffivs *in orig. jur. eccl.* p. 180. 181. Idem ipsos libros *anglicanos* de *necessitate episcoparus* exaratos producit in *hist. theol. liter. part. II. p. 255. 256.* Controversiæ, inter Benjaminvm Hoadly, episcopum Bangorienfem, & Andream Snape, Joannemque Potterym agitatæ, brevis narratio invenitur in Moshemii *jure prot. eccl.* germanice edito, *p. 276. not. 114.* nec non in *ejusdem hist. eccles. p. 910.* Add. Pfaffii *orig. p. 471.*

(20) Juxta *presbyterianos Anglos*, quorum acerrimus fere defensor erat Joh. Miltonvs, alii etiam prætensa illa episcoporum jura scriptis impugnavere, ut ex *independentibus* in *Anglia* Thomas Colemannvs, *pastor* quondam *Londinensis*, Ludov. Molinævs, Petri Molinæi filius; item Anton. Collinvs, & Gvil. Tyndallvs, cui Tvrnervs, Hillivs, Hickesivs, Pottervs, Wottonvs, aliique quam plurimi sese opposuere. Oppugnatoribus jurium episcopalium porro jungendi veniunt Davib. Blondellvs, *theologus Gallus*, isque reformatus, Clavdivs Salmasivs, Ludovicvs Capellvs, *theologus* olim *Salmurienfis*, Jo. Dallæus, Matthæus Larroqvanvs, Jo. Vorstivs, Samvel Maresivs, *theologus Groninganus*, & Jacobvs Basnagivs, *pastor* quondam *ecclesiæ Gallicanæ Roterodamensis*. Ex *nostris* autem *theologis* quæstionem istam de potestate episcoporum sub examen revocarunt Jo. Gerhardvs, Jo. Hülsemannvs, Christ. Dreverys, Joach. Hildebrandvs, Jo. Franc. Buddevs, & inprimis etiam Christ. Matth. Pfaffivs, quibus ex *jureconsultorum* ordine Hermannvs Coringivs, Christfriedvs Walthervs, Caspar Zieglervs, & Jvst. Henning.

Presbyteriani, qui acriter pertendunt, jura ecclesiæ nec per imperantes, nec per episcopos, sed per *presbyteria* administrari debere. Quanta cum animorum contentione ac impotentia discordiæ illæ, *episcopales* inter ac *presbyterianos* exortæ per longum temporis tractum sævierint; quantas in republica civili turbas atque tempestates excitarint, quam miseris ideo funestisque discidiis larga sanguinum profusione nutritis *Britanniæ* regnum adflictum fuerit atque dilaceratum, exponere heic necesse non est, cum unusquisque historiæ *Anglicanæ* non prorsus expers, motus illos pernoscat, & ex rerum gestarum monumentis facile repetere possit. (21)

§ *X.* Progredimur itaque ad expositionem sententiæ *tertiæ* a *presbyterianis* defensæ, quæ quidem a priori sic diversa est, ut statuat, congregationibus seu *collegiis presbyterorum* jurisdictionem in ecclesias sacrorumque administrationem esse committendam. Insidet his presbyterii tutoribus, fundamenti loco opinio, potestatem disciplinæ exercendæ, sacrorumque ordinandorum ab ipso Christo in universum quidem cœtum sacrum, omniumque qui ei interfunt, communitatem fuisse delatam; rationem vero, potestate illa in ecclesiæ salutem perfungendi, cœtumque dirigendi, eam arbitrantur esse perfectissimam, quæ proxime accedat ad exemplar primitivæ ecclesiæ non nascentis quidem, sed jam institutæ, suoque modo perfectæ ac confirmatæ, qualis *seculo secundo*, & jam *sub fine primi* floruerit. Antiquissimam vero gubernationis ecclesiasticæ formam in ea reperire sibi videntur, ubi societatis christianæ directio rerumque ad illam pertinentium cura ex communibus fidelium suffragiis divisa fuerit inter *seniores*, non tam ætate, quam sanctitatis laude senilique prudentia reliquis ecclesiæ membris superiores, qui tamen *inter se ipsos æquali* dignitatis gradu, *iisdemque* juribus ad sacrorum administrationem fuissent consociati. Hoc primi regininis exemplar intuentes justaque imitatione adsecuturi *presbyterii defensores*, collegiis seniorum præcipuam communitatis suæ regundæ provinciam tradunt, ita, ut singulis cœtibus sua præsint presbyteria, ex doctoribus æque ac laicis conflata, per quorum curas *æquales* doctrinæ, cultui, disciplinæ invigiletur ac prospiciatur, legesque ecclesiasticæ vel rogentur, vel exerceantur ac muniantur. Sed uti tota ecclesiæ communitas ex pluribus minoribus cœtibus constat, qui adgregati sibique invicem consociati unam quandam civitatem magnam efficiunt; ita ad hanc quoque reipublicæ christianæ constitutionem, gubernationes suas adtemperant. Res enim privatas, singulis cœtibus proprias, privatorum quæ istis cœtibus præsunt, collegiorum moderamini relinquere solent; hæc autem ipsa collegia seniorum minora subjiciunt synodis majoribus, quarum adsessores ex provinciis classibusque inferioribus delecti, totius ecclesiæ nomine agunt, negotia graviora & ad universitatem spectantia pertractant, supremaque auctoritate ea, quæ e re universi cœtus esse videntur, decernunt atque administrant. Cum vero synodis suis gubernacula ecclesiæ vindicant *presbyteriani*, magistratum politicum supremamque in civitate majestatem a sacrorum cura tantum non penitus excludunt. Sic igitur in eo quidem distant ab *episcopalium* jurium tutoribus, quod cœtus sacri regimen non uni, sed

NING. BOEHMERVS, ex *remonstrantibus* autem, Jo. CLERICVS præcipuo quodam jure addi merentur. Scripta auctorum modo dictorum indicavimus, succinctamque insimul litium illarum episcopalium enarrationem dedimus in *dissertatione*, quæ inscripta est: *Sacrarum observationum ad oraculum Paulinum Act. XX. 28. pars altera continuata Tub.* 1749. – Catalogum librorum, ad controversias episcopalium cum presbyterianis singulatim spectantium, exhibet C. M. PFAFFIVS *in hist. theol. liter. p. II. p. 254. 255.*

(21) Tristissimas illas turbas enarravit ill. CLARENDON in *histoire de la rebellion & des guerres civiles d'Angleterre, tom. I. p. 114. seq.* alibique passim. Conf. MOSHEMIVS in *instit. hist. eccl. maj. p. 855. seq.* qui ibidem plures rerum in *Anglia* gestarum scriptores excitat.

sed pluribus, sed collegio antistitum pari conditione inter se invicem unitorum commissum velint; quid autem extra sanctiorem huncce consessum relinquunt plebi? quid principibus? Sane in toto illo gubernationis sacræ instituto, tanta opera condito, tamque acriter defenso, nihil eos egisse aliud dixeris, quam ut *monarchicam* regiminis formam cum *aristocratica* commutarent. (22)

§. *XI.* Quod speciatim ad opinionem *presbyterianorum de principum vel magistratus civilis circa sacra potestate* adtinet, quantum ipsis vi placitorum suorum tribuere soleant, satis ex eo intelligitur, quod plerique *presbyterianorum Anglicorum*, ea quam reges *Britanniarum* sibimet adsciverunt, adpellatione *capitis ecclesiæ* graviter offenderentur. Clamant insuper tum declarationes ipsorum publicæ, tum ipsa facta, quam parum auctoritatis in rebus ecclesiasticis ad summum imperantem deferant. Scilicet custodem tranquillitatis externæ ad cultum divinum rite obeundum necessariæ, libertatis in exercenda religione vindicem constituunt magistratum, potentiam ejus ad malos vi coercendos, hostesque comprimendos aut repellendos implorant; manumque civilem ad exsequenda seniorum decreta adhibent; sed causis ipsis ad religionem pertinentibus immisceri principem, & ad clavum civitatis sacræ sedere, ægerrime patiuntur, nec tam rectorem quam adjutorem sive ministrum consiliorum suorum ipsum esse permittunt. (23)

§. *XII.* In constituendis tamen limitibus, quibus ea, quam imperanti relinquunt, auctoritas circa sacra contineri debeat, non una omnium *presbyteriano* regimini faventium in *Belgicis* præsertim statibus est sententia, aliis majestatis terminos dilatantibus, aliis restringentibus. *Mitiores* illi quidem præter *jus*, quod vocant, *advocatiæ*, seu tuendæ ecclesiæ munus, non nihil circa sacra potestatis tam legislatoriæ, quam judiciariæ relinquunt majestati, in iis videlicet rebus, quæ vim naturamque religionis & cultus propriam non adtingere putantur. Imo fuerunt inter eos, qui plus justo progressi, dictatoriam adeo potestatem in ecclesiam tribuerent magistratui, inprimisque defenderent opinionem, controversias theologicas in synodis ventilatas, sententia principum decisoria finiri atque terminari posse. Sed istis vehementer sese opposuerunt alii *rigidiores*, magna severitate contendentes, magistratum in ecclesiæ administrationem prorsus influere non debere, jura ejus circa sacra privati cujuscunque juribus majora non esse; legatorum in synodis curam, prævertendis compascendisque turbis unice absolvi, litium vero causarumque theologicarum disquisitionem atque pertractationem omnem pendere a collegio *presbyterorum*. (24) Vicit etiam, quantum quidem scriptis publicis compertum est, tum

(22) De *presbyterianis*, formaque regiminis, quo utuntur, ecclesiastici egerunt Honorius Reggius, seu potius Georg. Hornius *de statu eccles. in Britannia*, & in *hist. ecclesiastica*, a Leydekkero continuata. Henr. Lvd. Benthemius, in dem *engelländischen Kirchen und Schulenstaat*, *p. 180. seqq.* Moshemius *in jure prot. eccl. p. 164 seqq.* quibus addi meretur Bavmgartenii *Geschichte der Religionspartheyen*, *p. 893. seq.* Plures auctores, ut Nicholsium in *adpar. ad defensionem eccl. angl.* Gr. Burnetvm in *hist. ref. & eccles. angl.* Hornbeckivm in *summa controv.* aliosque excitat C. M. Pfaffius in *hist. theol. lit. p. 384.*

(23) Hinc fit, ut legati principum, qui conventibus ecclesiasticis majoribus, reipublicæ & tranquillitatis tuendæ causa plerumque interfunt, in suffragia non vocentur, nec auctoritas eorum ad confirmanda seniorum decreta requiratur.

(24) Dissensioni huicce, inter *Reformatos Belgas* superiori seculo exortæ, ansam præbuerunt notissimæ lites *Arminianæ*. Cum enim *Remonstrantes* variis infectationibus propter sententias *Calvinianæ* doctrinæ contrarias impetiti, ad *magistratum* provocassent, supremæque potestati rem totam ita definiendam commisissent, ut auctoritas ejus ad terminandam controversiam, pacemque & conscientiæ libertatem ipsis restituendam intercederet; vehementer ac contentiose huic provocationi restitit *facto altera*, causas religionis ad *civilem* cognitionem neutiquam pertinere, multo minus politici magistratus decreto lites istas dirimi, pacemve, re nondum ab ecclesiæ synodo cognita imperari posse, mor-

tum apud *Britannos presbyterianæ* formæ sectatores, tum in provinciis *Belgicis* durior illa summoque imperanti inimicior rigidiorum sententia; sed tamen id obstare vix potest, quominus auctoritas principum in synodis æque ac in ceteris curæ circa sacra partibus fortiorem subinde vim exferat, ac sensim sensimque magis invalescat.

§. *XIII. Natales* regiminis istius *presbyteriani*, apud magnam ecclesiæ *reformatæ* partem introducti, jure meritoque repetuntur e schola CALVINI, inclusi *Genevensium* theologi. Hic disciplinæ severioris amans, antiquam gubernationis sacræ formam, qua *presbyteri* res ad religionem pertinentes procurarent, coërcendis peccatoribus ordinique servando adprime aptam atque adcommodatam esse judicavit. Omnes igitur nervos in eo contendit, ut ad typum primitivæ ecclesiæ directionem cœtus sacri, ipsi addictioris, conformaret, excussoque tum *pontificiæ* tyrannidis jugo, tum quocunque alio circa sacra imperio, gubernacula communitatis sacræ ad *collegium seniorum*, e doctoribus populoque delectorum traduceret. Quod consilium, arduum sane, multisque ab initio interpellationibus, periculis, obstaculis impeditum, feliciter perfecit sacrorum emendator *Genevensis*, conatusque eorum, qui resisterent, invicta illa animi pertinacia & pondere auctoritatis cedere nescia tandem devicit. Atque hæc regiminis ecclesiastici forma, a CALVINO *Genevæ* recens instituta, mox in alios *reformatorum* cœtus, *Britannicos* (25) *Galli-*

mordicus adserens. Invenerunt tamen *Arminiani*, præsertim ab initio motuum, apud ipsos quosdam statuum provincialium proceres, insigne patrocinium; inprimis autem GROTIVM nacti sunt defensorem gravissimum, qui, ut rigida *contraremonstrantium* placita, imperium in sacris magistratui denegantia, refutaret, illique jus adfereret controversum, synodos convocandi, leges ecclesiasticas præscribendi, litigia terminandi, & dissensiones religionis causa exortas, auctoritate sua componendi, varia concinnavit scripta, *operum* ejus *theol. ed. Basil. 1732. fol. tomo IV.* inserta, e quibus eminet libellus egregius, *pietas ordinum Hollandiæ atque Westfrisiæ* inscriptus, & contra SIBRANDVM LVDBERTVM deinceps defensus. Post mortem vero GROTII prodiit liber ejus celebratissimus, non mendis quidem immunis, varia tamen ac insigni eruditione refertus, *de imperio summarum potestatum circa sacra*. Historiam istorum GROTII fœtuum exhibent *Vindiciæ Grotianæ*, quæ *Lipsiæ anno 1727. 8.* prodierunt, *part. I. p. 41. & p. 705. seqq.* conf. BVDDEI *isag. hist. theol. p. 736. 737.* & in *adpendice supplementorum p. 116.* Præter GROTIVM exstiterunt etiam alii, qui summorum imperantium in rebus ecclesiasticis potestatem, a *contraremonstrantibus* impugnatam, scriptis defenderent. Præcipue notari heic meretur Jo. VANTENBOGAERTVS, *apud Remonstrantes in Hollandia verbi divini minister*, qui *a. 1610. belgica lingua* librum conscripsit, de *officio & auctoritate supremi christiani magistratus in rebus ecclesiasticis*; censuram expertus RVARDI ACRONII, & ANTONII WALÆI, vid. BVDDEVS *l. c.* Litem hancce postea instauravit NICOLAVS VEDELIVS, *theologus Franckeranus*, in *dissert. an. 1630.* edita, de *ma-*

gistratu contra Bellarminum de laicis, quæ deinceps *an. 1641. in 4.* prodiit, inscripta: *de episcopatu Constantini magni, seu de potestate magistratuum reformatorum, dissertatio reperita, cum responsione ad interrogata quædam.* Adversarios autem nactus est JAC. REVIVM, & GVIL. APOLLONIVM; quem depexum dedit LANSBERGIVS, in libro sine auctoris nomine edito, cui titulus est: *Grullæ seu vere puerilis corburnus sapientiæ, quo se jactat apud imperitos Guilelmus Apollonii in centonibus, quos edidit de jure majestatis circa sacra contra libellum Nic. Vedelii de episcopatu Constantini magni. Franekeræ 1646. 8.* Scripta deinceps inter VEDELII amicos & oppugnatores reciprocata exhibet C. M. PFAFFIVS in *hist. theol. lit. part. II. p. 317. 318.* Conferendus etiam BÆLIVS in *dict. hist. & crit.* sub artic. *Vedelius*. Totam vero controversiam *reformatos* inter atque *Arminianos de jure magistratus circa sacra* agitatam enarrarunt GISB. VOETIVS, *theologus* olim *Ultrajectinus*, isque *contraremonstrantium* parti deditus, in *politica eccles. part. I. p. 124. seq. part. III. p. 817. seq.* CHRIST. THOMASIVS in *hist. cont. inter imperium & sacerdotium p. 345. seqq.* H. L. BENTHEMIVS *in dem Hollændischen Kirch- und Schulen Staat, p. I. p. 638. 639. part. II. p. 73. seq.* I. F. BVDDEVS, in *hist. jur. nat. §. 54.* aliique, quos indicat C. M. PFAFFIVS in *hist. theol. lit. pars. II. p. 310.* conf. *ejusd. orig. eccl. p. 178.*

(25) Scita atque instituta CALVINI sub primis eorumdem initiis didicerunt exules quidam *Angli*, tum temporis *Genevæ* commorantes. Hi postquam dissipatis, quæ ipsos remotos tenuerunt, tempestatibus in patriam reversi erant, typum disciplinæ *Gene-*

Gallicos, *Belgicos*, dimanavit, alibique passim æmulos ac sectatores invenit. Sed ab *universitate reformatorum* nunquam cooptata est hæc CALVINI de gubernatione ecclesiæ sententia. Vt enim taceamus, quam vehementer ei ab *episcopalibus* in *Anglia* contradictum fuerit, ut alios etiam motus in *Belgio* fœderato, nec non in *Palatinatu* super ea excitatos prætermittamus, nemini sane ignotum est, multos alios *reformatorum* cœtus aliam regiminis formam induisse, & ex ipsis *Helvetis* pagos quosdam præcipuos, *Bernensem*, *Tigurinum*, *Basileensem*, placitis ZWINGLII, qui quam plurimum juris circa sacra summis imperantibus concessit, jam pridem adsuetos, repudiata CALVINI disciplina, pristinam suam gubernationem retinuisse. Ipse etiam CALVINVS hanc ab institutis suis discrepantiam, quæ apud *Anglos* maxime in capitalia odia effervescebat, non tanti momenti esse judicavit, ut fraternam cœtuum communionem tollere deberet. Denique quam parum arcto ac necessario nexu privata illa CALVINI opinio & disciplina cum reliquo reformatorum systemate cohæreat, satis ex eo elucescit, quod publicæ illorum professiones, ut *Belgica*, *Helvetica posterior* & *Basileensis*, (26) nec non multi & graves ecclesiæ reformatæ doctores aperte prodant, sacrorum procurationem ad officium atque jura summorum in civitate magistratuum esse referenda.

§. *XIV.* Sequitur jam *quarta* de *potestate cœtus sacri directrice* sententia, quæ jus sacrorum *singulis quibusvis cœtibus*, *plebique* christianæ vindicat, & administrationem ecclesiæ rerumque ad eam pertinentium communi omnium curæ ita concreditam statuit, ut nemo potestati alienæ in *spiritualibus* subjectus sit, nemo dignitate juribusve antecellat alterum. Opinionem istam, eique congruentem regiminis ecclesiastici formam tenent *Independentes* (27) in *Anglia*, ideo hoc nomine insigniti, quia, singulos quosque cœtus, si quidem rite instituti sint, pro se integros ac perfectos, suique juris esse statuunt. (28) Hi

Genevensis, simul vero infelicia discordiarum diuturniorum semina eo detulerunt. In *Scotiam*, ut hoc sigillatim notemus, CALVINI disciplinam magno cum animi ardore invexit JOANNES KNOXVS, sacrorum in istis terris instaurator celebratissimus, qui historiam operis a se suscepti ipse perscripsit in libro: *history of the reformation of the church of England.* conf. MOSHEMIVS in *instit. hist. eccl. maj. p. 597.* ubi in nota plures insimul auctores de hocce argumento excitantur, &*p. 674.* it. WEISMANNVS in *mem. hist. eccl. ed. rec. tom. I. p. 1080. 1086.*

(26) Id GROTIVS testimoniis in medium prolatis ostendit in *lib.* jam citato: *de imperio summarum potestatum circa sacra. cap. I. §. VIII. oper. theol. tom. IV. p. m. 205.*

(27) Syllabum scriptorum de *Independentibus* exhibet C. M. PFAFFIVS in *hist. theol. lit. p. 384.* Auctoribus ibidem adlegatis adjungantur: DAN. NEAL *history of the Puritans or protestant non conformists.* JACOBI PEIRCII *vindiciæ fratrum dissentientium in Anglia.* COTT. MATHERI *magnalia Dei Americana, or ecclesiastical history of new England from its first planting 1602. unto 1698.* Consuli etiam de hacce secta merentur WEISMANNVS in *hist. eccl. p. 899. seqq.* BAVMGARTENIVS *in der Geschichte der Religions-Partheyen, p. 808. seqq.* & inprimis MOSHEMIVS, qui sententiarum ab ista hæresi adscitarum compagem ex ipsius ejus *confessionibus* breviter exhibet, simulque *independentes* contra varias quorundam adcusationes, ex inconsiderata factionum dissimilium commixtione prognatas, eximie defendit, in *instit. hist. eccl. maj. p. 858 — 862.* in *notis.*

(28) *Independentium* hancce familiam, e *puritanis* exortam, procreavit & ad nostra usque tempora nutrivit fœcunda illa tot factionum in foro ecclesiastico non minus quam civili exsurgentium mater atque fautrix *Anglia*. Sed ad hujus sectæ opiniones atque instituta, quoad sacrorum administrationem, qua fere sola tanquam proprio charactere a ceteris distinguitur, curatius pernoscenda, probe considerari debet & vocis, quæ genera hominum diversa complectitur, ambiguitas, & familiæ ipsius in suas partes legitima distributio. Habet enim adpellatio *independentium* significationem tam *civilem*, quam *ecclesiasticam*. *Ista* latius patet, spectatque ad eos, qui immunitatem ab imperio status, monarchico maxime, & æqualia *civium* jura defendenda sibi sumunt; quod in *Anglia* CROMWELLI præcipue temporibus, cum magna regiæ majestatis violatione factum fuisse constat. Sed hæc independentium significatio hujus loci non est. Altera vero, *ecclesiastica*, præcipue huc pertinet, indicatque proxime eos, qui regimen ecclesiæ non *monarchicum* modo

Hi igitur, sublato omni discrimine hierarchico, jus circa sacra ejusque exercitium sibimet reservant, & inter singula cœtus cujusvis membra, ad eundem cultum obeundum solemni religione consociata, æquali modo distribuunt, *presbyterorum* autem edictis consilii tantum auctoritatem, non obligandi vim concedunt. Nec tamen existimandum est, melioris notæ *independentes* omnem plane *magistratus* in sacra potestatem repudiare; præterquam enim, quod majestatem sese omnino revereri, publice profiteantur; id maxime ipsis propositum est, ut *independentiam* ab aliis *ecclesiis* defendant, regimenque *episcopale* (*presbyteriano* enim magis favere videntur,) impugnent atque abjiciant. (29) Multo autem magis plebi favent, ut *Socini* sectatores taceamus, *Anabaptistæ*, qui cum magistratum politicum & ordinarium verbi divini ministerium e civitate sacra sublatum velint, id sane agunt, ut ecclesiæ administrationem, juriumque circa sacra usum omnem ad plebem unice referant. Ad istorum de gubernatione ecclesiæ sententiam proxime accedit, ex recentiori ævo, famosus ille SEITZIVS, *Baruthinus*; plus etiam, quam fas est, jura plebis extollit DAVIDES BLONDELLVS, *theologus reformatus*. Sed quoniam jam supra, ad quæstionem, *num plebi jus vocandi ministros competat*, in *observatione* Gerhardiano textui subjecta de istis *plebejorum* jurium defensoribus aliquid diximus, (30) plura heic addere, non opus est.

§. *XV.* Cum *independentibus* atque *anabaptistis* non confundenda est nobilis illa *Quackerorum* seu *Tremulorum* familia, a GEORGIO FOXO, homine tristi, ecclesiæque & regimini ejus valde inimico, in *Angliæ* sinu originem nacta, & adhucdum non exiguo numero tum in patria sede, tum in aliis provinciis, per quas propagata fuit, perdurans. Hæc secta paradoxas omnino atque inauditas de

& *episcopale*, sed & *presbyterianum*, ad quod tamen multis in rebus propius subinde accedunt, detrectant atque repudiant, & cœtum quemlibet singularem, ecclesiam integram efficere statuunt, quæ in membrorum æqualitate sui sit juris, ab aliis cœtibus synodisve independens, & ipsi Christo subjecta. Sed hoc *posterius* genus *independentium ecclesiasticorum*, qui suo demum regimine, disciplinæ ab ipso Christo & Apostolis traditæ exemplar perfectissimum optime exprimi putant, dispescendum est in duas classes, tempore, fortuna, placitis, existimatione non parum a se invicem distinctas. Fuerunt enim ab initio *Brownistæ*, sive *Barrowistæ*, secuti ROBERTVM BROWNIVM, *Anglum*, impotentis animi juvenem, qui circa *annum MDLXXXI.* novam illam ecclesiæ per communia populi suffragia regundæ formam ingressus, societatem sibi constavit, ea lege conjunctam, ut omni jurisdictioni aliena omnique potestate eminentiori rejecta, suis ipsa juribus libere uteretur. At, quum secta hæc insimul acerbius justo in ecclesiam *Anglicanam* inveheretur; magnam sibi conciliavit invidiam hostilesque infectationes, quibus vehementer pressa ac vexata, migravit in *Bataviam*, sed ætatem ibi non tulit. Ex ejusdem vero quasi cineribus suscitata est *nova* familiæ propago, parentem ac instauratorem venerata JOANNEM ROBINSONVM, sacrorum in cœtu *Brownistarum*, qui *Lugduni Batavorum* confederat, ministrum. Hic mendis nonnullis pristinæ sectæ castigatis, mitiori forma suam induit, docendique inprimis provinciam meliori ordine stabilique œconomia firmavit; quo factum est, ut hæc secta in *Angliæ* terris benignius excepta, & satis etiam prosperioribus, quam superior illa, gavisa fuerit. Atque ista demum hæresis emendata nomen *independentium*, sibi proprium adscivit; idem vero, quoniam diversis in republica factionibus, iisque ex parte pravis atque sceleratis latibulo erat, deinceps cum adpellatione minus invidiosa *fratrum congregationalium* commutavit. Præter antesignanos sectæ, JOANNEM ROBINSONVM, HENRICVM JACOBVM, JOANNEM NORTHONVM, COTTON. MATHERVM, &c., plures postea, iique minime ineruditi disciplinae istius defensores exstiterunt, ex quibus nominasse sufficiat THOMAM GODWINVM, JEREMIAM BOVROVGHVM, JOH. OWENVM, SIDR. SYMPSONVM, ut alios plures taceamus, qui relictis *presbyterianis*, ex severioris disciplinae studio *independentibus* sese adjunxerunt.

(29) Ex ipsis *independentibus* potestatem magistratus summam in rebus ecclesiasticis ita defendit, ut limites majestatis nimium dilatet, THOMAS COLEMANNVS, de quo supra jam diximus, in libro, qui inscribitur: *paraeneſis ad aedificatores imperii in imperio &c. Lond. MDLVI. in 4.* nec non in variis tractatibus aliis, quibus idem argumentum excussit, refutatus a *theologo reformato*, PETRO JVRIAEO, in tract. *de potestate ecclesiae*.

(30) vid. supra *part. II. cap. VII. sect. V. membr. I. ad §. CLXXXIV. p. 41.*

de universa civitatis christianæ constitutione opiniones fovet; omni enim religione ad abdiros animi sensus lucemque, quam vocant, interiorem relata, ecclesiam adspectabilem negat, eamdemque ob causam cœtum sanctiorem certa cultus externi forma, institutisque illis adventitiis, ad religionem pertinentibus, omni denique gubernatione sacra facile supersedere posse, imo juribus propriis, *foroque* quod vocant, *privilegiato*, seu immunitate beato, prorsus carere adserit. Qua quidem in re non parum abhorrent *tremuli* a sententia eorum, qui in exercitio regiminis ecclesiastici sui juris esse cupiunt. Hi enim jura sacrorum ad integrum quemcunque cœtum devolvunt; *tremuli* autem ipsi christianorum communitati nullam in sacris potestatem relinquunt, sed omnem jurisdictionem ecclesiasticam, utpote perfectiori religionis indoli ex ipsorum mente adversantem, simpliciter tollendam esse existimant. Hanc vero singularem de ecclesiæ natura & gubernatione præcipiendi rationem parens sectæ, diuturnas acerbasque illas circa sacra dissensiones pertæsus, eo potissimum consilio inivisse videtur, ut ostensa controversiæ de re nihili futilitate, exasperatos dissentientium animos inter se conciliaret, ac sedatis illis fluctibus tranquillitatem patriæ restitueret. Ceterum, quam dives ac fere inexhausta dissidiorum materia, apud *Britannos* maxime, fuerit disputatio de *ecclesiæ administratione*; quam variæ super ea sectæ sint exortæ, quam mirabiles sæpius opiniones ad systema, quod cuique placuit, defendendum adscitæ; quam lubrica denique ac infirma fundamenta opinionibus istis supposita; id ex dictis luculenter adparet. Quibus omnibus neglectis, nunquam stabilis ac certa regiminis ecclesiastici forma, legibus *Anglorum* publicis, communibus & perpetuis cooptata fuit; id quod indicio est, malle ipsos, suum cuivis hæresi sensum arbitratumque permittere, quam certis atque immutabilibus regulis adligari. Quicquid vero unaquæque factionum commemoratarum de perfectissima gubernationis sacræ forma pro ea, qua fruuntur, libertate præcipiat, nescimus tamen, an ipsa jurium prætensorum administratio exacte semper respondeat præceptis. Certe, quantum quidem ex usu judicare licet, melius dixeris, jurisdictionem circa sacra ex potiori parte inter regem, ordinem ecclesiasticum, populumque simul esse divisam, quam si, penes unum ex tribus istis solummodo eam residere, rigidius contenderis. (31)

§. *XVI.* Sed, ut e brevi diverticulo redeamus in viam, exponenda jam nobis est eorum sententia, qui jus sacrorum *toti ecclesiæ*, ex *doctoribus* atque *auditoribus* conflatæ adserunt. Sed heic cavendum est, ne statuta partium dissimilium prorsus diversa, invidiose vel imprudenter secum invicem commisceantur. Sunt enim, qui jura ecclesiæ competentia vel per *episcopos solos*, vel per *presbyteria*, ex doctoribus æque ac laicis delecta administrari volunt (de his autem supra jam diximus) vel *solis* etiam coetuum singulorum *doctoribus* præcipuas directionis sacræ partes relinquunt; *magistratum* autem fere prorsus excludunt, ac potestatis ecclesiasticæ fundamentum & exercitium in universa cœtus sacri communitate ita residere putant, ut ab imperio civili immunis atque exemta sit ecclesia. Alii vero ab hac immunitatis adfectatione remotissimi, jura quidem *ecclesiæ propria* defendunt, eique administrationem eorum, quæ ad religionem exercendam, cœtumque fini suo convenienter dirigendum necessaria sunt, radicitus inhærere adserunt; sed summo in civitate imperanti jura majestatis & supremam in sacra inspectionem nequaquam denegant; imo ipsa *collegii* jura commodis ejus poscentibus optime transferri in principem posse, & ubi id jamjam consensu ecclesiæ factum est, recte translata esse arbitrantur. Et ad *priorem* quidem classem eorum quod adtinet, qui totam ecclesiam, tanquam civitatem ab omni imperio externo so-

(31) De statu *moderno* ecclesiæ *Anglicanæ*, qui plura nosse cupit, adeat G. W. Alberti *Briefe vom Zustande der Religion und der Wissenschaften in Grosbritannien.* part. I — IV. 1751 — 1754.

lutam considerant, & magistratui nihil, vel minus, quam par est, juris in eam relinqunt; integram ejusmodi ab imperio civili exemtionem jam olim defendisse dicuntur *Donatistæ*, funesto, quod excitarunt, schismate, variisque in republica turbis, veteres inter factiosos fere nobilissimi. (32) Quænam recentiorum sectarum ad opinionem hancce quam proxime accedant, jam supra observatum est. Hoc loco *singulos* tantum & præcipuos quosdam *doctores*, qui jura ecclesiæ a potestate civili *independentia* propugnarunt, in medium adferre lubet. Eminent nimirum inter eos e *reformatorum* cœtu, ut multos alios taceamus, JACOBVS REVIVS, *collegii theologici Lugdunensis* in medio superioris seculi *rector* & *professor celeberrimus*, (33) GVIL. APOLLONIVS, *verbi divini in ecclesia Medioburgensi minister*, (34) nec non JACOBVS TRIGLANDIVS, *pastor quondam Amstelodamensis*. (35) His ex nostratibus non immerito adcensentur *anonymus auctor* libri *de vera ecclesia*, (36) nec non PHILIPPVS JACOBVS HARTMANNVS (37) *professor* quondam *Regiomontanus*

(32) Sententiam hancce de potestate ecclesiæ *absoluta* jam olim a *Donatistarum* familia cooptatam acriterque defensam fuisse, communiter perhibent. At nos quidem distinguendum esse putamus inter sectæ primordia, & ejus progressum statumque ampliorem ac confirmatiorem: item, inter ea factionis istius scita, quæ cum interna ejus structura totoque systemate necessario cohærent, & ea, quæ temporis demum successu, pro variis fortunæ, qua usi sunt *Donatistæ*, vicissitudinibus ab iis adscita sunt. Ad posterioris, non prioris generis placita referendum nobis esse videtur illud, quod familiare ipsis fuisse fertur: *Quid imperatori cum ecclesia?* Nimirum ipsos *Donatistas*, litem, in qua versabantur, & CAECILIANI, quem repudiarunt, adcusationem sub motuum primordiis ad *imperatorem* detulisse, & a conventibus, ubi causa sua ceciderunt, ad *imperatoris* judicium provocasse, satis constat; id quod profecto clarissime indicat, potestatem *cæsaris* judiciariam, supremamque in sacra inspectionem tum temporis nondum ab illis fuisse negatam. Sed, cum deinceps imperatores minus sibi faventes senserint, decretorum adversus ipsos latorum severitate eo demum adducti sunt, ut potestati magistratus civilis, quasi ecclesiæ sanctitate indigni, penitus sese eximere, animisque admodum exacerbatis instituta sua armorum vi tueri conarentur. Ceterum sententiis ac moliminibus inquietæ istius sectæ, magistratui adversantis, ex antiquioribus ecclesiæ doctoribus graviter sese opposuerunt AVGVSTINVS, in *libro contra Donatistas*, & OPTATVS MILEVITANVS, *lib. III. contra Parmen.*

(33) Sententiam suam maxime prodidit in *examine dissertationis* NIC. VEDELII *de episcopatu Constantini magni*, *Amstel.* 1641.

(34) Varia ille scripta edidit adsertis VEDELII *de juribus majestatis in ecclesia* opposita, in quibus eminet illud, cui index est: *Jus majestatis circa sacra, sive tractatus theologicus de jure magistratus circa res ecclesiasticas, oppositus Cl.* VEDELII *tractatui de episcopatu Constantini M.* &c. Medioburgi 1642. Hunc librum deinceps contra *Grallas pseudonymi cujusdam*, quem supra jam nominavimus, defendit in tractatu, inscripto: *Grallopoeus detectus, seu epistola ad Jodocum Larenum, de grallarum auctore.* Scripsit etiam *considerationem quarundam controversiarum, ad regimen ecclesiæ spectantium, quæ in Anglia agitantur*, ediditque *Londini a.* 1644.

(35) in *dissert. theol. de potestate civili & ecclesiastica contra Vedelium. Amstel.* 1642. De placitis triumvirorum istorum, REVII, APOLLONII, TRIGLANDI, vid. *Jaegeri syst. theol. lib. IV. p.* 171-186.

(36) Pro *auctore* hujus libri, *germanice* editi, cui inscriptio est: *von der wahren Kirche*, venditant alii BERNHARDVM PETRVM CAROLVM, sacrorum in urbe *Osnabrug.* quondam ministrum, sed varia propter scripta ac molimina ad impugnandum cultum externum directa, officio privatum: alii OTTONEM HOMFELDIVM, alii BARONEM DE METTERNICH. Et multa sane egregie dicta in libello hocce occurrunt; at probari tamen non potest sententia ejus, quæ *p.* 249. 250. haud obscure prodita, eo redit; ecclesiam liberam esse societatem, sive confœderationem, quæ, cum a republica civili prorsus sejuncta sit, statumque ejus externum minime tangat, propriis suis juribus ita fruatur, ut magistratus politicus nihil in eam potestatis habeat, illique a sacrorum directione simpliciter sit abstinendum.

(37) Edidit ille, præter alia scripta, *commentarium de rebus gestis christianorum sub apostolis*, recusum *a.* 1710. sub nomine P. I. SCLERANDRI, & indice sic mutato: *Historia antiquitatum ecclesiæ christianæ, a Christi & apostolorum temporibus concinnata*; in quo tractatu ecclesiam apostolicam sub reipublicæ imagine depingit, simul vero *systematis christocratici*, a JOH. HENR. LE MAITRE amplius postea exornati, semina haud obscura sparsit, refutatus a BVDDEO, in *commentario de concordia religionis christianæ & status civilis.*

nus, &, qui eum sectatus est, JOHANNES HENR. LE MAITRE, (38) *comitis Lippiensis concionator aulicus, systematis*, quod vocant, *christocratici* defensor non ignobilis. Hi omnes, quicquid ceterum de interno cœtus sacri regimine, ejusque conformatione, divisim præcipiant, id habent commune, quod jura ecclesiæ totius nimium evehentes, immodiceque exaggerantes, jura majestatis vel summi imperantis non parum minuant. Principii autem loco hoc ponunt, ecclesiam tanquam regnum ac peculium Christi, supremo huicce auctori, domino, capiti suo unice subesse, & ab illius directione sola in omnibus pendere; disciplinam cœtus sacri universam ab ipso Christo institutam, divinoque fundatam jure, humani magistratus auctoritate propria administrari non posse; provinciam potestatemque magistratus politici versari tantum circa res externas & in cura tranquillitatis publicæ; eandemque insuper ex regno potentiæ divinæ universali derivandam esse; hinc necessaria consecutione effici existimant, ut magistratus officium ab omni sacrorum cura quam longissime absit, reique christianæ gubernationi neutiquam sese immiscere debeat. In qua quidem argumentandi ratione duplex committitur vitium; alterum, ut ex eo, quo Christus ipse ecclesiam regit, moderamine supremo, absoluta ecclesiæ a statu civili independentia colligatur, alterum vero, ut, quoad partes gubernationis majestati debitas, *administratio sacrorum* propinqua & universa cum *inspectione* in cœtum religiosum generali commisceatur, gratisque adsumatur, inspectionem istam cum cura incolumitatis publicæ, magistratui concredita non esse connexam.

§. *XVII.* Progredimur jam ad eos, qui *ecclesiæ* quidem *toti* jus sacrorum adserunt, sed ita, ut *majestatis* jura ne minima quidem invasione labefactent. Nimirum isti jurium civitati christianæ competentium adsertores, non *sanctorum* cœtum, oculis nostris absconditum, Christoque vera animi fide unitum sub ecclesiæ nomine intelligunt, sed *vocatorum* multitudinem externo cultui, professioni, disciplinæ eidem mutua consociatione eaque æquali & libera adligatam. Ad *totam* vero ecclesiam, seu ad eorum, qui eadem sacra colunt, universitatem suo quodam jure referunt ordinem & *doctorum* & *auditorum*, seu, ut communi statuum hierarchicorum distributione utamur, primo *magistratum* politicum, (si quidem membrum est societatis istius religiosæ) deinde magistros *pastoresque* cœtus sacri legitimos, denique *plebem* ecclesiasticam. Hanc vero communitatem non quidem absolutum in statu statum esse volunt; egregie tamen monent, eandem cum statu civili non confundendam esse; sed pro *collegio in civitate* habendam, quod singularem efficiat congregationem, mutuo pacto propriisque institutis fœderatam. Huic igitur collegio religionis causa fœderato suas leges esse ajunt, suam disciplinam, *sua jura*, cum societatis fine atque indole connexa, quibus ea definiantur atque procurentur, quæ ad religionem & sacra peragenda, sive ad salutem ecclesiæ promovendam proxime pertineant; uno verbo, quæ requirantur ad obtinendum finem, cujus gratia civitas illa sanctior coaluit. Sed istius sententiæ non hanc volunt esse interpretationem, quasi *jura* sacrorum cum ipso etiam *usu* & exercitio potestatis sacræ conjuncta, semper & universim penes cœtum manere debeant; id enim tantummodo statuunt, jura ipsa, si *origines* ecclesiæ spectaveris, omnino apud *ecclesiam integram*, omnesque ejus status æquo modo residere, nec ab ea divelli unquam posse; (39) interim minime

(38) *Systema*, quod J. H. LE MAITRE adoptavit, ornandumque sibi sumsit, *Christocraticum*, copiose recenset & idoneis insimul rationibus confellit I. H. BOEHMERVS, in *præfatione ad tom. V. juris prot. eccles. p. 20. seqq.* nec non in *consult. & decis. jur. eccles. Resp. 15. f. 161. 162.* Sed minime heic prætermittendum, graviter conquestum esse MEISTERVM de sententiæ suæ iniqua interpretatione, ut *vindiciis disciplinæ evangelicæ, systematis christocratici nomine nuper a celeb.* D. BOEHMERO *impugnatæ*, quas sub MASTRAEI nomine edidit *Amstelodami, a. 1737.* conf. *biblioth. Germ.* tom. *XLIV. p. 140.* &c. nec non PFAFFII *academische Reden über das Kirchen-Recht, p. 25. 26.* & ejusd. *orig. eccl. p. 358.*

(39) confer. quæ supra jam tom. XII. in supplemento ad

nime inficiantur; administrationem sacrorum, *radicaliter* in mutua illa consociatione positam, consentiente & permittente cœtu sacro ad magistratum transire posse, imo collegio per totam civitatem latissime diffuso, optime in eundem transferri, modo imperans sacrorum administer ac moderator, ipse membrum sit ecclesiæ, nec potestate ipsi concredita in detrimentum cœtus religiosi, sive ad violanda conscientiæ jura abutatur. Cæterum, licet illi *collegialium* jurium defensores, *ecclesiæ* privilegia sua libertatemque vindicent; tamen supremo etiam *magistratui*, cujuscunque religionis sit, pro ea, qua ceu imperans præditus est, auctoritate, prærogativas *majestati proprias*, & jura sacrorum, quæ vocant, *absoluta*, lubenter relinquunt, graviterque adserunt; quo quidem communiter ab iis refertur jus imperantis, super ecclesiam, doctrinamque ejus, cultum publicum, disciplinam, directionem, ordinem externum, bonorum administrationem &c. *adtendendi, cavendique ne quid respublica ex institutis societatis religiosæ detrimenti capiat.* Denique, ii ipsi, qui de distinctis ecclesiæ atque imperantium juribus eo, quo diximus, modo præcipiunt, inprimis etiam committere solent majestati provinciam singularem, ecclesiæ jura, libertatem, disciplinam, ordinem, *tuendi*, vimque hostium & factiosorum, ubi potentia civili opus est, propulsandi. Quantum discrimen intersit inter hanc jurium circa sacra informationem, & indolem systematum superius adductorum, ex modica utriusque consideratione, nobis non monentibus, quivis facile intelliget.

§. *XVIII.* Atque hæc communis fere est sententia doctorum, ecclesiæ nostræ *Lutheranæ* disciplinam tradentium. Etenim prima ejus stamina duxerunt, suaque auctoritate præiverunt ipsi sacrorum emendatores, id quod dicta æque ac facta ipsorum firmissimis testimoniis confirmant. Excusso enim dominatu pontificio, quanta, quæso, animi constantia non solum magistratuum, sed & populi christiani in sacris jura restituenda & ac defendenda sibi sumserunt? Licet enim imperantibus tantum potestatis adjudicaverint, quantum fas est justumque & majestati congruum; tamen collegii jura minime neglexerunt, sed ad primitivæ ecclesiæ formam provocantes, invicto divini juris fundamento eadem superstructa esse, nullaque humana auctoritate eripi minuive posse, graviter adseruerunt. (40) Iisdem vestigiis institerunt plurimi nostratium, & ex *antiquioribus* quidem *theologis*, ut paucos tantum commemoremus, Jacobvs Andreæ (41), Martinvs Chemnitivs (42), Jo. Gerhardvs *noster* (43); ex *recentioribus* autem doctrinam hancce de juribus ecclesiæ imperantium non luculenter modo professi sunt, sed & magis subinde dilucidarunt atque exornarunt.

ad locum de ecclesia, observ. I. §. XI — XIII. p. 188. 189. de hocce argumento diximus. De distinctione inter jura sacrorum majestatica & collegialia, & de toto systemate, quod vocant, collegiali, plura disputabimus infra in observ. III.

(40) Provocamus quam maxime ad libellos, *articulis Smalcaldicis* adnexos, *de potestate & primatu papæ*, & *de potestate & jurisdictione episcoporum*, ubi in priori illo *p. 345. ed. Rechenb.* sequentia leguntur: "Christus tribuit principaliter claves ecclesiae, & immediate; sicut & ob eam causam ecclesia principaliter habet jus vocationis.„ Et in *adpendice posteriori p. 353.* "Vbicunque est ecclesia, ibi est jus administrandi evangelii; quare necesse est, ecclesiam retinere jus vocandi, eligendi & ordinandi ministros. Et hoc jus est donum proprie datum ecclesiae, quod nulla humana auctoritas ecclesiae eripere potest.„ porro: "ecclesia, cum sola habeat sacerdotium, certe habet jus eligendi & ordinandi ministros; idque etiam communissima ecclesiae consuetudo testatur. Nam olim populus eligebat pastores & episcopos.„ Quid a confessoribus nostris, *principibus* fuerit tributum, deinceps videbimus.

(41) in *disp. XXIX. de jure vocandi ministros ecclesiæ*, th. 51.

(42) in *loc. theol. part. III. f.* 325. ubi sic pronuntiat: "Sicut pontifex romanus cum suis commisit sacrilegium in eo, quod electionem & vocationem ministrorum eripuit ecclesiae, & ad se solum suosque transtulit; ita ejusdem criminis reus est etiam magistratus, quando excluso ministerio & reliqua ecclesia, sibi soli potestatem constituendi ministerii in ecclesia vindicat.„

(43) vid. *tom. XII.* in *loc. de minist. eccles.* §. *LXXXVI. p. 83.* & §. *CVI. p. 213.* item supra in *hoc tomo* §. *CXXXIV. p. 40. 41.*

narunt viri præstantissimi Jo. Wolfg. Jægervs, (44), Phil. Jac. Spenervs (45), Jo. Gvil. Bajervs (46), Jo. Fechtivs (47), Jo. Alb. Kromayervs, (48) Ern. Sal. Cyprianvs, (49) inprimis vero Christ. Matth. Pfaffivs (50), & posteum, Christ. Eberh. Weismann, Israel. Theoph. Canz, (51), Jo. Lavr. Moshemivs (52), Salom. Deylingivs (53), aliique complures, quibus e nostratibus auctoritate sua accesserunt magni nominis theologi, Jo. Theoph. Faber, (54) & Christ. Frid. Sartorivs (55). Eidem sententiæ suffragantur ex illustri *jureconsultorum* ordine non pauci, ut, Bened. Carpzovivs, Jo. Brvnnemannvs, Jo. Schiltervs (56); & qui primo loco nominandus erat, Sam. Pvffendorfivs (57), quem secuti sunt vlr. Hvbervs (58), Jo. Ge. Pertschivs (59), Nic. Hier. Gvndlingivs (60), Jo. Ge. Estor (61), Jo. Ern. Floerkivs (62), Jvst. Carol. Wiesenhaver (63), Ill. de Cramer (64), quibus, ut alios taceamus, a Pfaffio (65), Hoecdorfio (66), Moshemio (67) adductos, præcipuo quodam jure jungendi veniunt b. Phil. Eberh. Zechivs, sereniſſimi Wirtembergiæ ducis quondam a consiliis intimis, (68) & Frid. Gvil. Tafingervs, *universitatis nostræ* hodienum *professor famigeratissimus* (69). Hi igitur

(44) in *systema theol. lib. IV. p. 195.*

(45) in *den theol. Bedenken, t. I. cap. I. sect. LVI. p. 262.* alibique passim.

(46) in *comp. theol. part. III. cap. XIV. §. 3. not. c.*

(47) vid. Fechtii *lectiones theol. in syllog. disp. XLIII. §. 2. p. 403. 494.*

(48) Argumentum hocce ex instituto uberius tractavit Kromayervs, in libro, qui *Gothae 1721.* lucem publicam adspexit, sic inscripto: *Commentatio theologica de potestate ecclesiastica*, quam vocant, *externa*, penes quem radicaliter sit, & quibus partibus contineatur, historice, dogmatice, polemice, & practice instituta, & edita in gratiam omnium, qui dogma hoc magnum & arduum cognoscere plenius, & controversias de eo, quae hodie denuo agitantur, rectius dijudicare cupiunt. &c."

(49) in *diss. de Maximiliano I. pontificatum maximum adfectante.*

(50) in *originibus ecclesiasticis, cap. IV. art. I. p. 171. seq. art. II. p. 189. seq.* nec non, in *dissertatione recentiori originum editioni* adnexa, *de jure sacrorum absoluto & collegiali, p. 329. seq.* & in *diss. de vera ecclesiae notione*, eidem libro subjuncta, *p. 354. seq. ed. rec. Tub. 1716.* add. *ejusdem jus ecclesiasticum*, quod *Francofurti ad Mœnum a. 1732. in 8.* prodiit, *lib. I. cap. I. p. 30. cap. IV. p. 72. lib. V. cap. II. p. 234. seq. 242. seq. 281. seq* alibique: nec non *ej. academische Reden über das sowohl allgemeine, als auch deutsche protestantische Kirchenrecht. Tub. 1742. in 4. Sect. I. cap. I. p. 38. cap. V p. 90. seq. cap. VIII. p. 159. seq.* Pfaffio ad latus poni meretur dexterrimus ille systematis *collegialis* defensor, Christ. Liber, vel, qui sub ficto hoc nomine latitat, Chr. Adolph. Liernvr, *Consistorii Bipontani Adsessor & Superintendens*, qui librum edidit: *Untersuchung der conventional oder collegial-Rechte der evangel. Kirche. &c. an. 1742.*

(51) Weismannvs, in *schediasmate de ecclesia*, §. 80. Canzius, in *prolusionibus de vocatione ministrorum ecclesiae §. 107. seq. 115. 118. seq.*

(52) *in dem allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten, p. 41 — 35. p. 431. seq. 442. seq.*

(53) in *institut. prudentiae pastoralis, ed. Lipsiae 1732. p. 42. seq.*

(54) in *diss. de principe christiano, ecclesiae nutritio. Tub. 1754.*

(55) in *posit. theologiae dogmaticae, ed. Tub. an. 1766. §. 892. seq. §. 914 — 921. p. 466. seq.*

(56) Triumviros hosce cum pluribus aliis dilaudavit Pfaffius in *orig. juris eccl. p. 330.*

(57) in eximio libello, *de habitu religionis christianae ad vitam civilem, §. 30. 39. seq.* & in *animadversionibus ad Houtuyni politicam*, passim.

(58) in lib. *de jure civitatis, lib. sect. V. cap. II. p. 175. seq. ed. IV. Francof. 1708.*

(59) in *elementis juris canonici & protest. eccles.*

(60) in *via ad veritatem, part. III. cap. XXXV. §. 76. seq. p. 348. seq.*

(61) in *delineatione juris publici eccles. protest. p. 113. seq.*

(62) in diss. *de jure principis circa sacra, in specie, Germaniae, Halae 1738.*

(63) in diss. *de jure conventionali sacrorum dirigendorum, Lipsiae 1748.* nec non, in den *Grundsætzen des Kirchenstaatsrechts der protestirenden in Deutschland, part. I. c. V.* aliisque in scriptis.

(64) in diss. *de jure circa sacra collegiali & majestatico, 1736.*

(65) in *orig. juris eccles. p. 330. 332.* alibique; praecipue vero in den *academischen Reden über das Kirchenrecht, p. 24.*

(66) in den *gründlichen Betrachtungen über die in Herrn von Pufendorfs Buche von der Verbältniß gegen den Staat enthaltenen und damit verknüpften göttlichen Wahrheiten, Leipz. 1744. p. 171. 172.*

(67) in dem *allgemeinen Kirchenrecht der Protestanten, p 431*

(68) in *meditationibus de origine, indole, & historia juris reformandi, a. 1728. p. 56. seq*

(69) in diss. *de jure principis circa ecclesiam, Tub. 1739.*

igitur omnes in eo sunt, ut non modo majestatem summi imperantis, sed & jura *toti ecclesiæ* competentia, diligenter declarent ac tueantur. Sed, ad *antiquiores* quod attinet, cum eorum temporibus universa illa de jure sacrorum præcipiendi ratio nondum ea, qua nunc gaudet, perspicuitate informata, stabilique artis descriptione finita esset; non mirum est, quædam non satis adcurate vel præcise ab iis tradita fuisse. At nobis quidem sufficiunt testimonia eorum irrefragabilia, pro juribus, tam ecclesiæ, quam majestati propriis militantia. *Recentiores* autem, cum jura illa sacrorum *radicaliter*, ut loqui amant, & *originarie* ecclesiæ competentia, adcuratius describere ac enumerare cœperunt, tum subtiliorem instituunt disquisitionem, quonam pacto jurium istorum exercitium atque usus pervenerit ad principes; sive ex quonam *fonte* jura sacrorum, a magistratu jam administrari solita, sint derivanda. Qua de re constitutum nobis est, sigillatim agere. Hoc quidem loco visum fuit, saltim generalia quædam adtingere; cæteris vero enucleandis facultatem dabit subsequens eaque *tertia observatio*.

§. *XIX.* Postremo, dicendorum ordine sic poscente, pergimus ad eos, qui jus sacrorum omne, totamque cœtus religiosi administrationem *principibus solis* tribuunt. Atque hos jurium regiorum tutores in duo quidem genera dispescimus, qua partitione cautum volumus, ne utraque conjungendo, alteri parti contrahatur invidia. Sunt enim, qui jura majestatis *immodice* extendentes, nullis prorsus limitibus imperium in sacra circumscribunt. Sunt vero alii, qui potestati imperantium circa sacra *limites* ponunt, modo latius, modo angustius ductos. Et *prioris* quidem classis antesignanus est, famosissimus ille tyrannidis absolutæ defensor THOMAS HOBBESIVS, *philosophus Malmesburiensis* (70), qui religionem, cultum, sacra omnia infinito magistratus supremi imperio submittere non veretur. Sublato

(70) THOMAS HOBBESIVS, vel, ut alii pronunciant, HOBBIVS, acris vir ingenii, sed mirabilium opinionum auctor, natus in *Anglia Malmesburiæ*, agri *Wiltoniensis* oppido, *a. MDLXXXVIII*, vitam suam, eamque privatam ac coelibem, usque ad nonagesimum primum annum produxit. Ætas ejus cecidit in tristissimas illas turbas civiles, quibus *Britanniæ* regnum, exortis cum rege contentionibus misere dilacerabatur. Harum taedio permotus, partumque insimul regiarum studio ductus id egit HOBBESIVS, ut summi imperantis auctoritatem in rebus civilibus aeque ac ecclesiasticis absolutam fingeret. Novis enim in re civili principiis positis, sublatoque insuper potestatis sacrae profanaeque omni discrimine facilius sedare exacerbatos animos, & ad obsequium regis adducere, discidiisque illis gravioribus, ad statum sive civilem sive ecclesiasticum pertinentibus, optimam adferre medelam cogitavit. Quum igitur in istis patriæ fluctibus *Parisiis* commoraretur, concinnavit tractatum, paucis ab initio exemplis *ann. 1645.* editum, deinceps autem, *ann. 1647.* cum adnotationibus auctoris, ea qua nunc exstat, forma divulgatum, cui index est: *elementa philosophica de cive*. Consilium, quod in concinnando evulgandoque systemate suo secutus est auctor, ipse in praefatione libello praemissa aperte declarat: "Feci non eo consilio, ut laudarer, sed vestri causa, lectores, qui cum doctrinam quam adfero, cognitam & perspectam haberetis, speraabam fore, ut aliqua incommoda in re familiari aequo animo ferre, quam statum reipublicae conturbari maletis; ut justitiam earum rerum, quas facere cogitatis, non sermone vel consilio privatorum, sed legibus civitatis metientes, non amplius sanguine vestro ad suam potentiam ambitiosos homines abuti patereminı &c.„ denique his verbis desinit: „Si aliqua inveneritis aut minus certa, aut magis quam necesse erat, acriter dicta, cum non partium sed pacis studio, & ab eo dicta sint, cujus, propter patriae praesentem calamitatem, dolori justo aliquid condonari aequum est, ea, ut aequo animo ferre dignemini, oro postuloque.„ Easdem vero de civitate meditationes proferre continuavit in libro, quem *ann. MDCL.* patrio sermone vulgavit, *de natura humana, & corpore politico*. Subsequente autem *anno* cIↃIↃcLI. illud systema suum, perfectum, illustratum, & rationibus philosophicis amplius firmatum, proposuit in opere notissimo, vernacula conscripto, quod deinceps *belgice* per ABRAH. BERCKELIVM, *Amstel. 1667.* & *latine*, *Amsted. apud Joannem Blaeu*, *1670.* *Londini* vero *1676.* prodiit, hoc insignitum titulo: *Leviathan, sive de materia, forma, & potestate civitatis ecclesiasticae & civilis*, *auctore* THOMA HOBBES *Malmesburiensi*. Systematis illius politici summam breviter sic exhibet lenissimus ejus interpres, HOBBESII *biographus*: "sine pace impossibilem esse incolumitatem, sine imperio pacem, sine armis imperium, sine opibus in unam manum

lato enim naturali justi & injusti, boni malique discrimine, eorum omnium, quæ nos per se recta & honesta dicimus, definitionem ad principis arbitrium unice refert, ex quo actionum indoles omnis metienda, ac simpliciter standum sit civibus. Ita vero simul temerario ausu invadit religionem, deducens eam ab invisibilium metu, quem pro lubitu dirigere ac temperare, integrum sit principi. Ecclesiam autem seu coetum hominum, religionem christianam profitentium, eandem cum civitate rem esse adserit, nec legitimam adeo, nisi auctoritate ejus, qui summam in statu civili potestatem habet, convocata sit. His igitur principiis positis, consectaria nectit ecclesiæ juribus inimicissima, & a communibus adeo justi honestique notionibus longe aliena: religionem omnem, doctrinam, fidem, quidquid *fere* (71) de rebus divinis sentias ac profitearis; quamcunque supremi numinis colendi rationem ineas, licet ipsi rectæ rationi contrariam, id omne pendere a voluntate & de-

num collatis nihil valere arma, neque metu armorum quidquam ad pacem proficere posse illos, quos ad pugnandum concitat malum, morte magis formidandum: nempe dum consensum non sit de iis rebus, quae ad salutem aeternam necessariae creduntur, pacem inter cives non posse esse aeternam „ Id quidem certo certius est, quod principiis modo adductis eo abusus auctor sit, ut ubivis infinitam faceret potentiam summi imperantis, ejusque absolutae voluntati scripturae sacrae legumque divinarum auctoritatem, omnemque morum rectitudinem subjiceret. Quantam invidiam & quam varias acerbasque contradictiones haec placita in patria potissimum gente concitaverint Hobbesio, heic exponere instituti nostri ratio non finit. Profanis hostilisque in religionem animi adcusatione, qua praeter alios multos, a Reinmanno in *hist. atheismi sect. III. c. VIII. §. 4.* nominatos, viri doctissimi, Byrnevs, Bentleivs, Parkervs, Cvdwortvs, Roellivs, Hobbesivm impetiverunt, liberare ipsum conati sunt, ut *biographos* ejus taceamus, Ge. Arnoldvs in *hist. haer. & eccl. p. II. l. XVI. c. XVII.* & Nic. Hier. Gvndlingivs in *obs. sel. t. I. obs. II. p. 37.* nec non in *Gundlingianis p. XIV. p. 304.* Sed recentioribus hisce defensoribus Hobbesii respondit magni nominis theologus, Jo. Franc. Buddevs in *thesibus de atheismo & superstitione cap. I.* cui addendus Joh. Lavr. Moshemivs in *notis ad Cudw. syst. intel. p. 1198.* Quod autem Anton. Woodivs *Athen. Oxon. vol. II.* refert, Hobbesivm aetate provectum, cum veritate in gratiam rediisse, propriaque *apologia pro se & scriptis suis* concinnata, mentem meliorem declarasse, id quidem parum probabiles habere rationes, ostendit Moshemivs in *hist. eccl. maj. p. 711. not. g.* & Bryckervs *hist. crit. philos. t. IV. p. IV. p. II. p. 177.* Placita ejus philosophica, & ad politiam spectantia, licet sectatores amicique ipsis non defuerint, plures tamen nacta sunt adversarios, e quibus nominasse nobis sufficiat ex *Anglis*, Richardvm Cvmberlandivm, qui solide atque eleganter eum adgressus est in libro, *Londini a. 1672. 4. & Lubec. 1683. 8.* edito, cui index est: *disquisitio philosophica de legibus naturae, in qua earum forma, summa, capita, ordo, promulgatio & obligatio e rerum natura investigatur, quin etiam elementa philosophiae Hobbianae cum moralis tum civilis considerantur, & refutantur.* Radvlph. Cvdwortvm, in *syst. intell.* Jo. Lockivm, qui quidem proxime contra Rob. Woocke, biographum & defensorem Hobbesii calamum strinxit; praeter *Anglos* autem Samvel. Pvfendorfivm, Vlr. Hvbervm, in lib. de *jure civitat. p. 208.* Gottl. Sam. Trevervm in *notis ad* Pvfendorfivm, de H. & C. passim. Magno numero enumeratos deprehendimus Hobbesii antagonistas in *vita* ejus p. 96. nec non apud *Struv. in bibl. philos. cap. VIII. §. 7.* Stollivm, *hist. lib. part. III. p. 635.* Gvndling, in *hist. lib. tom. III. p. 3269. seq.* Bruckervm, in *hist. philos. t. IV. part. II. p. 178.* ubi in nota plures auctores excitantur Quibus addi meretur Moshemii *allgem. Kirchenrecht, p. 190.* in *not.* Qui de vita scriptisque famosissimi hujus philosophi *Malmesburiensis* plura nosse desiderat, eum non poenitebit adire Petr. Bælivm in *dict. hist. & crit.* ad artic. *Hobbes.* Morhofii *polyhistorem, tom. II. lib. I. cap. XV.* Stollivm, l. c. Gvndlingivm l. c. Bruckervm l. c. ut alios auctores taceamus, a Gvndlingio l. c. p. 3275. sq. dilaudatos, conf. etiam Pfaffivs in *hist. lit. part. II. p. 290.* num. 4.

(71) Statuit Hobbesivs, nullum articulum fidei, praeter hunc, *Jesum esse Christum*, ad salutem necessario requiri. vid. *lib. de cive, cap. XVIII. §. VI.* cum *nota*, & seq. nec non *Leviath. cap. XLVIII. p. m. 280.* ubi ita: ‘ Quae ad salutem aeternam necessaria sunt, duabus virtutibus continentur, fide in Christum, & obedientia legibus praestita. Posterior harum si perfecta esset, sola sufficeret. & p. 283. „unum necessarium, nempe unicus articulus fidei, quem ad salutem aeternam necessarium faciunt scripturae sacrae; hic est, quod Jesus est Christus. Per nomen autem Christi, intelligitur rex ille, quem Deus per prophetas veteris testamenti, missurum se in mundum promiserat, ut regnaret in judaeos, & gentes alias in illum credituras, & qui vitam aeternam, quam perdideramus in Adamo, restitueret.„ Nec tamen hoc dissimulandum, ipsum alios quoque articulos, ut, Deum esse omnipotentem, creatorem mundi, Jesum Christum resur-

creto imperantis; in eo, tanquam communi capite, religiosam societatem esse unitam; ejus jussu conventus sacros instituí, non jubente vero principe, vel vetante omitti debere; potestatem, quæ ecclesiastica dicitur, inanem esse vocem, ex inepta distinctione statuum adparenter modo diversorum, introductam; penes solum imperantem, credendorum non disquisitionem modo, sed & dijudicationem & descriptionem esse: huic soli judicium definitivum de sensu scripturæ jure regio competere; in ejus igitur auctoritate sola, quicquid præcipiat, adquiescendum esse conscientiis; breviter, ad ejus imperium curam sacrorum universam internamque religionis indolem unice pertinere. Quam impia & pernicioſa sint hæc, quæ fovit HOBBESIVS, portenta sententiarum; quam atrocibus pro religione ipsoque statu civili consequentiis formidolosa; quam funesta sanctissimis conscientiæ juribus, quam firma denique & necessaria violentiæ, intolerantiæ, crudelitatis in cives religiosos præsidia, id fusius exponere jam non adtinet. Eandem cum HOBBESIO tibiam inflant BENEDICTVS SPINOZA, (72) LVCIVS ANTISTIVS CONSTANS, (73) LAMBERTVS VELTHVYSEN, (74) ALB. RIPERVS, (75) & qui præ multis aliis nominandus est, ADRIANVS HOVTVYNVS, (76) qui omnes, placita *Malmesburiensis* plurima sequuti, imperantis summam in religionem ac sacra potestatem nimium quantum dilatant, ac instituta societatis ecclesiasticæ prorsus ei subjiciunt.

§. XX. Supereſt *altera* classis eorum, qui jus circa sacra & usum ejus integrum adserunt *principi*, sed *certis tamen limitibus descriptum* atque *definitum*. Atque hos quidem terminos ducunt partim a jure divino communi, partim a conscientiæ juribus, partim ab ipsis ecclesiæ finibus. Ceterum ecclesiæ præter verbi prædicationem & sacramentorum

rexisse, & homines in die ultimo resurrecturos esse omnes, pro aeque necessariis declarare, quia in uno illo contineantur, p. 286. Probe vero notandum est non ad professionem, quae ex mente HOBBESII imperio nunquam non subjacet, sed ad *fidem internam* hoc praeceptum spectare. conf. tamen HVBERVS de *jure civ. lib. p. sect. V. cap. VI §. 18. seq. p. 208.* Reliqua HOBBESII de jure sacrorum placita cognosci maxime possunt in lib. *de cive*, cap. XIII. XV. XVII. Lev. XXXIII. XXXIX. XLII.

(72) in *tractatu theologico - politico*, *cap XIX.*

(73) Prodiit *a. 1695. & 1698. in 12*, libellus sub hoc indice: LVCII ANTISTII CONSTANTIS "*de jure ecclesiasticorum*, liber singularis, quo docetur, quodcunque divini humanique juris ecclesiasticis tribuitur, vel ipsi sibi tribuunt, hoc aut falso impieque illis tribui, aut non aliunde, quam a suis, hoc est, ejus reipublicae suae civitatis *prodiis*, in qua sunt constituti, accepisse." *Alethopoli*, *apud Cajum Valerium Pennatum.* Pro libelli istius *auctore*, qui presso pede sequitur HOBBESIVM, alii ipsum SPINOZAM habent, ut STRVVIVS in *introd. in notit. rei liter. cap. IX. §. 11.* negante COLERO, SPINOZAE *biographo*; alii LVDOVICVM MAYERVM, *medicum Amstelodamensem*, alii VAN DEN HOOFIVM, alii quendam LE COVRT, alii denique HERMANNVM SCHEELENIVM. vid *bibl. raisonn. t. VII. part. 1. p. 170.* & BAVMGARTEN in den *Nachrichten von einer Hallischen Bibliothec tom. III p. 25. seq.*

(74) Strenuus iste HOBBESII defensor, VELTHVSIVS, variis scriptis clarus, edidit *a. 1651. Amstelodami in 12. dissertationem, de principiis justi & decori, ut apologiam pro tractatu clariss.* HOBBESII, *de cive*, nec non

munus pastorale, Roterodami, a. 1680. in 4. vid. THOMAS. in *hist. content. inter imper. & sacerd. p. 410. seq.*

(75) Personatus iste auctor librum edidit inscriptum: *Moses, Deus Aaronis, sive potestas atque officium in sacris ex sola scriptura canonica veritatis studio demonstratum, Daventriae, 1717. 8.* Videmus & hic recocta HOBBESII scita, principem leges dare posse de credendis; ei competere authenticam potestatem de rebus fidei judicandi, solum imperantem symbola facere & tollere posse; brevi: principem rectorem esse ecclesiae, ejusque potestatem supra ecclesiam longe eminere, &c. exemplum autem principis ecclesiam moderantis esse *Mosen*, qui *Aaroni* praefectus & quasi Deus fuerit. Calamum contra auctorem huncce strinxerunt, KROMAYERVS in *comment. de potestate eccles* & Jo. CHRIST. SEITZIVS, in lib. *Christi Kirche kein weltreich, und weltlicher Herrschafft weder fähig noch unterworfen. an. 1718.* conf. etiam *unschuldige Nachrichten de a. 1717. p. 449 seq. & de a. 1719. p. 472. seq.*

(76) in *polit. contracta*, quam refutavit SAM. PVFENDORFIVS in *adpendice ad libellum de habitu religionis ad vitam civilem.* Ipse quidem HOVTVYNVS interdum contradicentis personam adversus HOBBESIVM, cujus principia oppugnat PVFFENDORFIVS, induere videtur; re ipsa tamen cum eo convenit, ac invisa magistri placita in scenam reduxit. Longe enim ultra limites justos dilatat potestatem principis, eique jus, dogmata fidei definiendi, potestatemque adeo in conscientias coactivam tribuit, in quo tamen adserto, cum altera ex parte subditorum obedientiam pro *illicita* declaret, in absurda lapsus sibimet ipsi adversatur.

torum administrationem parum aut nihil relinquunt privilegii; clavium usum & disciplinam ecclesiasticam valde restringunt; regimen ei vel prorsus adimunt, vel in tali rerum ad salutem pertinentium declaratione ponunt, quæ pro se non obliget, sed consilii potius rationem habeat, & subsit imperio summarum potestatum, ac per has demum vim plenam perfectamque nanciscatur; potestatem vero ipsam legislatoriam & judiciariam, sive jus legum circa sacra ferendarum, judiciique exercendi, unice referunt ad regalia imperantis; doctorum electionem, controversiarum diremtionem, dogmatum dijudicationem, symbolorum efformationem, synodorum convocationem, cultus rituumque descriptionem, scholarum curam, bonorum ecclesiasticorum administrationem, disciplinæ totius directionem, & si quid aliud sub collegii juribus præter partes supra dictas comprehensum est, id omne non sine calumnia ecclesiæ universim tribuunt principi, numerumque rerum *mediarum*, quæ *adiaphora* vocantur, supremoque magistratus regimini præcipue subesse existimantur, ita augent, ut, quid juris ecclesiæ maneat, vix intelligatur. Hanc vero sententiam defenderunt, variisque sed imparibus studiis exornare adnisi sunt, ex *independentibus Anglis*, Thomas Colemannvs, & Ludov. Molinævs, (77), ex *reformatis* Thomas Erastvs, (78) Nicolavs Vedelivs (79) &c. ex *remonstrantibus* plerique, quorum instar omnium nobis heic sint supra jam excitati Episcopivs, Grotivs, Vossivs, (80) Episcopivs, (81) e *nostratibus* denique Christ. Thomasivs, *jureconsultus* olim *Halensis celeberrimus*, (82) multique alii viri docti scholæ *Thomasianæ* sectatores. His

(77) De his vid. *supra §. XIV.*

(78) Thomas Erastvs, gente *Helvetius*, *Heidelbergæ medicus & senator ecclesiasticus*, potestatis ecclesiasticæ & speciatim excommunicationis oppugnator gravissimus, auctorque sectæ, quæ ab ipso *Erastianæ* nomen tulit, non leves in ecclesia *reformata* turbas excitavit. Eam enim tuitus est sententiam, ecclesiæ nullum regimen, nullum eorum proprium, nihil plane juris, quam docendi officium, sine ullo vigore disciplinæ, sine censura aut animadversione singulari competere; facultatem *excommunicandi*, sive peccatores ab usu sacramentorum aut communione fidelium præcludendi, nunquam a Christo concessam fuisse ecclesiæ; disciplinam, quam ecclesia usurpet, omnem pendere ab auctoritate magistratus christiani, & sine delegatione ejus exerceri non debere, nisi in jura majestatis temere involare velit.

Placita ista, ab initio litis circa annum 1568. in privata disputatione ventilata, confirmavit publiceque protulit Erastvs, in *thesibus de excommunicatione*, eodem anno divulgatis, quas deinceps amplior tractatio subsecuta est, quae *a. 1589. in 4. maj.* typis exscripta, prodiit sub titulo: *explicatio quæstionis, utrum excommunicatio, quatenus religionem intelligentes & amplexantes, a sacramentorum usu propter admissum facinus arcet, mandato nitatur divino, an excogitata sit ab hominibus auctore cl. Viro* Thoma Erasto, *D. medico.* Huic autem sequenti statim anno Theodorvs Beza aliud scriptum opposuit, cui titulus: *Tractatus pius ac moderatus de vera excommunicatione & christiano presbyterio, jam pridem pacis conciliandæ causa* Cl. v. Th. Erasti *D. medici, centum mss. thesibus oppositus, & nunc primum cogente necessitate editus, Genevæ, a. 1590. in 4.* De lite hacce *Erastiana* plura suppeditant Hvbervs *de jure civitatis lib. 1. Sect. V. p. 166. 208. 213. seq.* Thomasivs in *notis ad Huberum, p. 166 — 172.* & in *hist. content. adpend. cap. 1 §. XIV. p. 344.* Heideggervs in *corp theol. christ. loc. XXVII. sect. 1. §. XCIII. p. 606* cf. *§. CXXX. p. 626.* Pfaffivs in *orig. jur. eccl. ed. rec. p. 7. 8. & p. 178.* Bvddevs in *isag. hist. theol. p. 734.* Quibus jungi meretur Jo. Ge. Pertshivs im *Rechte des Kirchen-Bannes &c. p. 337. seq.*

(79) De Vedelio diximus *§. XII.* in *not.*

(80) in *dissertatione epistolica de jure magistratus in rebus ecclesiasticis, contra* Walaevm. *Amstel. 1669. 4.* Hunc autem refutavit Voetivs in *polit. eccles. part. III. lib. IV. tr. I. p. 806. seq.*

(81) in *diss. de jure magistratus circa sacra*, quae operum ejus *tom. II. f. 409. 410.* inserta exstat.

(82) Christ. Thomasivs, illustribus omnino de republica literaria meritis per susceptam in *Germania* philosophiae & juris scientiae emendationem nobilitatus, id summopere egit, ut posito superioritatis territorialis fundamento, jura sacrorum in solidum vindicaret principibus. Scripta ejus ad jus ecclesiasticum pertinentia heic recensere, nimis longum esset. Indicem eorum exhibet Gvndlingivs in *hist. lit. t. III. p. 1320. seq.* Struv. in *biblioth. juris p. 577. ed. Buder.* & Walch in den *Religionsstreitigkeiten der evangel. luth. Kirche, part. III. p. 6. seq.* Merita ejus de re sacra breviter & concinne exposuit Frid. Platnervs, *J. C. Celeberrimus*, in dissertatione elegantissima, *Lipsiæ a. 1766.* edita, *potestatem principis in ecclesiam partem esse majestatis.* p. 3. Laudavit itidem Thomasivm, sed varias

His quidem multi adcenſent eos omnes, qui jura ſacrorum omnia, a principibus *proteſtantibus* jam nunc adminiſtrari ſolita, pro *parte majeſtatis* reputant, & ex *ſuperioritate*, quam vocant *territoriali* deducunt; ut ex *theologis* noſtratibus Jo. Fr. Buddevs, (83) Sigism. Jac. Baumgartenivs (84); ex *Jureconſultis* autem J. H. Boehmervs (85), G. S. Trevervs (86), & Jon Thomas *ab* Hoeckdorf (87) aliique, quorum rationes in *obſervatione tertia* exponemus. Sed cum nonnulli eorum jura quædam *eccleſiæ propria*, ab aliis negata, communitati ſacræ relinquant (88), & magis de recta *adminiſtratione*, quam de *origine* illorum jurium diſputent, nos quidem exiſtimamus, non omnes, qui majeſtati favent, in una eademque claſſe indiſcriminatim eſſe collocandos.

OBSERV. II.

DE JVRE SACRORVM,

a principibus chriſtianis jam ante pacificationes religioſas exercito.

§. *I.* Præmiſſa tractatione literaria, divortiisque opinionum *de eccleſiae regimine* expoſitis, ſequitur jam *obſervatio de jure ſacrorum altera*, eaque *hiſtorica*, qua ex rerum in eccleſia geſtarum monumentis oſtendere conabimur, *imperatores ac principes chriſtianos jam ante pacificationes religioſas* inde ab antiquiſſimis civitatis chriſtianæ temporibus *jura ſacrorum exercuiſſe*. (1) Ne enim quiſpiam exiſtimet, univerſam in ſacra auctoritatem, qua prin-

rias inſimul animadverſiones adverſus eundem ſubjecit Moshemivs in dem *proteſt. Kirchenrecht p. 189. ſeq.* & *p. 576. ſeq.*

(83) in *iſag. hiſt. theol. lib. poſter. cap. V. §. VII. p. 695. §. IX. p. 716. & 720. §. X. p. 734.* in *inſtit. theol. dogm. L. V. cap. III. §. 17.* in *theol. mor. part. II. cap. III. ſect VII. §. 21. p. 671.* & in libello, cui index: *Unterſuchung des wahren Grundes, aus welchem die hœchſte Gewalt eines Fürſten über die Kirche herzuleiten iſt. Stockholm und Upſal, 1737.*

(84) in den *Nachrichten von merkwürdigen Büchern, part. XXII. nro. 165. p. 349. ſeq.* occaſione libelli, a b. Ge. Vlr. Tritschler. *Ulmæ, 1753. in 8.* edito qui inſcriptus eſt: *unpartheyiſche Abhandlung von dem Recht eines katholiſchen Landesherrn, in Religions- und Kirchenſachen ſeiner proteſtirenden Unterthanen.* Sed ad objectiones Baumgartenii egregie reſpondit Vir cel. Jo. Ern. Schroeter, *prof. Jenenſis*, in *progr. Jenæ 1755.* edito, ſubtit. *Dubia quædam, contra jura eccleſiæ collegialia recens prolata.*

(85) in *jure proteſt. eccleſ. tom. I. lib. I. tit. XXXI. §. 44. 45. p. 745.* & *tom. V.* in *praeloquio de vario ſyſtemate univerſi juris canonici & eccleſiaſtici.* nec non in aliis ſcriptis paſſim.

(86) in *not. ad Pufendorf. p. m. 480.*

(87) in den *gründlichen Betrachtungen über Pufendorfs Buch von der Verhältniſs der chriſtl. Religion gegen den Staat p. 277. ſeq.*

(88) Ita Buddevs in *theol. mor. p. 680.* "Hoc tamen, inquit, ita intelligendum, ne eccleſiae, cujus eligendi paſtores competit, quidquam derogetur. Poteſtque omnino ac debet cuilibet hoc relinqui eccleſiae, modo imperans ſummus diſpiciat, ne hocce jure abutatur. De Boehmero conf. Pfaff *Kirchenrecht p. 103 & 465.*

(1) Super argumento hoc conſuli merentur Joh. Gerhardvs in *confeſs. cathol. f. 927.* Grotivs *de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra, op. theol. t. 238. 245. 255. 263.* & in libello anteriori, cui index eſt: *ordinum Hollandiae ac Weſtfriſiae pietas, f. III. ſeq.* Schiltervs *de libertate eccleſiæ German. lib. VII. cap. VI.* Struvivs *in ſyntagm. hiſt. Germ.* Zieglervs *de epiſcopis l. II. cap. V.* Hertivs *de ſuperior. territor. §. 11. 12. opuſc. t. II.* Boehmervs, *de jure epiſcopali principum evangel. cap. I. §. 73. ſeq.* & in *jure prot. eccl. lib. I. tit XXXI. p. 732. §. 32. ſeq.* Spenervs *jus publicum lib. II. cap. XV.* Moshemivs in dem *allgem. Kirchenrecht der proteſtanten, p. 75. ſeq.* Pfaffivs *in jur. eccles. p. 334. ſ.* inprimis vero Spanhemivs in *hiſt. eccleſ.* paſſim. Reinhardvs, *in meditationibus de jure principum, inprimis Saxoniae circa ſacra ante tempora reformationis exercitae.* Buddevs, *in der Unterſuchung des wahren Grundes, aus welchem die hoechſte Gewalt eines Fürſten in der Kirche herzuleiten iſt; ill.* de Ludewig in diſs. *de principum S. R. I. poteſtate in ſacris ante pacis religionis.* Diſſ. Gerh. Matth. Wallacher, in *diſſ. de jure circa ſacra*

principes *Germaniae* protestantes jam nunc utuntur, pendere demum a sanctione *pacis*, primo *Augustanae*, deinde *Osnabrucensis*, quae post turbas religionis causa natas, res ecclesiae, a sacris Romanis secretae firmaverat (2); conquirenda omnino sunt vetustioris aevi testimonia, ut ex iis declarari possit, quantum in sacra potestatis, non repugnantibus quidem coetibus religiosis, imperantes sibi vindicaverint. Plenam quidem ac continentem istius rei historiam tradere, nec temporis, quo coarctati sumus, angustia permittit, nec instituti nostri ratio poscit; sufficiat igitur nobis, per summas rerum eundo, ex periodis civitatis christianae maxime memorabilibus quaedam decerpere atque adnotare, quae argumento huicce non nihil lucis adfundere queant.

§. *II.* Vt a remotissima rei christianae aetate ordiamur, per *priora tria secula*, ante CONSTANTINVM MAGNVM elapsa, , suis institutis suaque disciplina utebantur christiani, communis consilii religione, & aequali pacto secum invicem libere consociati. Suprema igitur potestas in societatibus hisce aequalibus erat apud populum universum; provincia vero eorum, quae ad religionem, cultum & disciplinam pertinebant, administrandorum commissa fuit presbyteris, a populo delectis & qui seniorum collegio praesidebat, episcopo; qui tamen ipse sui juris non erat, sed consensu populi agebat, & multitudinis in rebus gravioribus saepius consultae sententiam sequebatur. (3) *Imperatorum* autem partes in gubernatione hac sacra admodum erant exiguae. Cum enim a sacris christianis prorsus alieni fuissent; societatis religiosae curam suscipere, conventus moderari, cultum disponere, disciplinam interiorem dirigere non poterant, si quidem injustae ac violentae usurpationis notam vitare, vel immoderata alienis negotiis sese immiscendi libidine abstinere vellent. Attamen majestatis neutiquam obliviscebantur. Nam non adcuratam modo ad res christianas adtentionem legatis suis commendarunt, sed etiam, iniqua licet crudelitate, variis christianorum oppressionibus atque adflictionibus praecavendum sibi esse duxerunt, ne quid damni ex sectae novae incrementis eis publica caperet, id quod ex edictis & factis plurimorum imperatorum, seculo secundo & tertio florentium clarissime cognoscitur. (4) Ipsi etiam christianorum doctores, sanctitatis aeque ac eruditionis laude nobiles, cum in scriptis suis *apologeticis* ad imperatores se convertere consuevissent, hac quidem provocatione non obscure indicarunt, se penitiorem rerum suarum cognitionem supremaeque inspectionis partes lubenter permittere magistratibus suis & majestatem principum, licet alienis sacris addictorum, lubenter agnoscere.

§. *III.* Sed longe aliam faciem induit ecclesiae gubernatio, CONSTANTINI MAGNI accessione ad civitatem christianam consecuta. Hic discrimine inter regimen coetus sacri *in-*

sacra civitatum imperii jam ante pacem religiosam, *Giessae*, 1767. quibus praecipuo quodam jure addendi MARCVS ANTON DE DOMINIS *de republica ecclesiastica*, *lib. VI. cap. V.* PETR. DE MARCA, *de concordia imperii & sacerdotii*; RICHERIVS in *hist. concil. gen.* TALON. *de l'autorité des Rois touchant l'administration de l'eglise.* WILLIAM PRYNNS *historical and chronological vindication of the Kings supreme ecclesiastical jurisdiction Lond. 1665. voll. II. 8.* conf. Jo. ALB. FABRICII *bibliogr. antiqu. cap. XIII.* §. III. *p. 638. coll. not. a.* PFAFFII *prot. Kirchenrecht*, *p. 90.* MOSHEM. *Kirchenrecht p. 509.* ESTOR in *delin. jur. publ. eccl. praestantium*, *p. 30. 40.*

(2) Opinionis istius, quae a pace demum religiosa jus principum protestantium circa sacra derivat, fautores aliquot nominabimus in *obs.* III.

(3) vid. Jo. LAVR. MOSHEMII *comment. de rebus christianorum, ante Constantinum magnum. Helmstad. a. 1753. sec.* II. *p. 251. 258. sec.* III. *p. 574. seq.*

(4) Ad civitatis christianae formam antiquiorem, religiosaeque illius consociationis rationem illustrandam, insimul vero imperatoriam circa res christianorum auctoritatem, quaenam fuerit, quidve consilii habuerit, cognoscendam magni inprimis momenti est insignis illa PLINII SECVNDI *ad Trajanum epistola. Lib. X. ep. XCVIII*; quam egregiis commentationibus exposuerunt viri quidam eruditi, VOSSIVS, BOEHMERVS, HEVMANNVS aliique, quibus addendus MOSHEMIVS *lib. cit. p. 143. seq.*

ternum atque *externum* constituto, (5) interiorem ecclesiae administrationem, quae circa religionem ipsam, cultumque divinum obeundum versaretur, & ad ministrorum officia pertineret, reliquit episcopis ac comitiis ecclesiasticis; gubernationem vero rerum cum intima religio-

(5) Distinctio ista CONSTANTINI nobilissima inter regimen ecclesiae *internum* & *externum*, variarum de re sacra disceptationum materiem suppeditavit. Sententiam imperatoris, qua curam sacrorum in externam atque internam dividit, hanc ecclesiae, illam sibi adjudicans, enarrat EVSEBIVS, de *vita* CONSTANT. M. *lib.* IV. *cap.* XXIV. his verbis: Ἀλλ' ὑμεῖς μέν, (ita episcopos quosdam in convivio ipsi adsidentes, adloquitur CONSTANTINVS) τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθισάμενος ἐπίσκοπος ἂν εἴην. *Vos eorum quae intra ecclesiam, ego autem eorum, quae extra ecclesiam sunt, constitutus a Deo episcopus esse videor* Verba haecce pro se non satis perspicua diversas nacta sunt interpretationes. *Alii* τὰ ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας definiunt per res, ab ecclesia ejusque institutis prorsus alienas. Sic LEO ALLATIVS in lib. *de consensu utriusque ecclesiae p. 231.* externa illa ad res mere civiles transtulit: & PETRVS DE MARCA eadem intellexit de gentilibus, adhuc extra ecclesiam constitutis, *l. br. II, cap. X de concordia sacerdotii & imperii.* Sed utraque illa interpretatio non a factis solum, sed & a mente CONSTANTINI abhorrere & ipsi narrationi *Eusebianae* minus convenire videtur. Enim vero EVSEBIVS in antecedentibus inde a *cap. XVI.* specimina quaedam potestatis ab imperatore in *ecclesiam* exercitae recenset; v. g. CONSTANTINVM lege vetuisse, ne idola in templis ponerentur; dies festos, quibus nomen a Christo inditum esset, celebrandos, indixisse, religionem inprimis diei dominicae, festique paschalis cultum instaurasse; in pietatis studio provehendo omnem navasse operam, formulam precum militibus praeivisse, &c. quae omnia suprema, eamque legislatoriam *in sacris* auctoritatem luculenter demonstrant. His autem praemissis, pergit EVSEBIVS: ἔνθεν εἰκότως αὐτὸς ἐν ἑστιάσει ποτε δεξάμενος ἐπισκόπους, λόγον ἀφῆκεν, ὡς ἄρα καὶ αὐτὸς εἴη ἐπίσκοπος. *Hinc non immerito ipse in convivio recipiens aliquando episcopos, se ipsum quoque episcopum esse adseruit.* Ex his sane clarum est, EVSEBIVM, ipsum, cum adsertionem suam de functione imperatoris *episcopali*, statim subjuncto CONSTANTINI pronunciato confirmet, curam illam externorum, quae imperator tanquam episcopus moderaretur, eodem habuisse loco cum praecellente in *sacra* potestate, cujus illustrissima documenta modo in medium adtulerat. Id igitur confectum esse arbitramur, τὰ ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας non solummodo & proxime ad regimen civile pertinere, nec a censu sacrorum prorsus eximenda esse. Et haec *altera* sententia est eorum, qui externa illa omnino ipsam ecclesiam & ejus instituta respicere existimant. Sed nec hi plane consentiunt. *Alii* enim externa illa, quae sibi vindicavit imperator, de iis tantum ecclesiae rebus exponunt, quae pro se civili imperio subsunt, & quarum administratio *majestati* jure proprio competere existimatur: interna vero referenda existimant ad jura ecclesiae, quae sub *collegialium* nomine veniunt; nihil igitur aliud egisse CONSTANTINVM, quam ut *jura* in ecclesiam *majestatica*, seu potestatem προφυλακτικὴν, eamque mere civilem sibi adsereret; jura autem ecclesiae propria, vel *collegialia* episcopis administranda relinqueret. Ita locum EVSEBII exponit WINDHEMIVS in *adnot. ad* MOSHEMII *jus eccl. p. 77.* cum quo faciunt non pauci jurium *collegialium* defensores. Huic autem explicationi, quae a superiori illa non multum discedit, id maxime obstat, quod documenta gubernationis sacrae, ab EVSEBIO eo fine adducta, ut CONSTANTINVM *episcopi* provincia perfunctum fuisse comprobent, non tantum jurium majestaticorum, sed & collegialium administrationem penes imperatorem fuisse testantur; nam leges ecclesiasticas condere, precum formulas describere, &c. ut CONSTANTINVS fecisse dicitur, non ad imperantis, sed ad collegii jura referri solet, vid. PFAFF *orig. eccl. p. 102. ej. jus eccl. p. 284.* & *Kirchenrecht, p 159.* DEYLINGII *instit. prud. pastor. p. 52.* & *ipsum* MOSHEMIVM *lib. cit. p. 448. 449. not. 7.* Res ipsa insuper, & facta CONSTANTINI testimonium irrefragabile exhibent, imperatorem ne animo quidem hoc propositum concepisse, ut episcopos, quos suae gubernationi prorsus subjectos esse voluit, jurium collegialium administratores constituerit. Probabilior itaque est GERHARDI, SPANHEMII, DEYLINGII aliorumque explicatio, qui τὰ ἔσω τῆς ἐκκλησίας definiunt per officia, muneri sacerdotali, vel ministris ecclesiae propria, quo pertinet verbi divini denunciatio, & sacramentorum legitima distributio; (haec enim instituta ecclesiae quam maxime necessaria, & divina lege definita, sine quibus consistere & vigere non posset religio, peculiari ministrorum, adeoque & episcoporum curae concredita sunt. sic vero τὰ ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας ducuntur ad ea omnia, quae non privam sacerdotum curam requirunt, sed vel potestati totius ecclesiae, vel sigillatim inspectioni imperantis subsunt, uno verbo, quae ad *externam* ecclesiae constitutionem, gubernationem, ἐνταξίαν pertinent. Tribuit itaque CONSTANTINVS (quonam jure, heic non quaeritur) sibimet ipsi, tanquam imperanti christiano supremam inspectionem, curam, regimen circa externa ecclesiae, tam res sacras, quam homines, qui sacris operantur, episcopis non exclusis, concernentia; hanc vero sacrorum curam eo inprimis directam voluit, ut pietas, religio, disciplinae sanctioris vigor conservaretur, ac propagaretur, & universa

res

ligionis indole ministrorumque officiis minus arcte cohærentium, h. e. *externam* sacrorum curam, in se suscepit. Suarum igitur duxit esse partium, convocare synodos, ad episcopos sive cœtus singulares dare literas, causas ecclesiasticas per judices delectos cognoscere, lites ac controversias, de credendis agendisque exortas, in conventibus ecclesiasticis, sive antistitibus quibusdam in consilium adscitis dirimere; sacrorum, ubi opus esset, emendationem curare; antiquis gentilium superstitionibus, turbulentis *Arianorum* secessionibus, aliarumque hæresium periculis mederi. Non raro etiam acceptavit provocationes, a judicio quodam inferiori vel synodorum decretis ad imperatorem factas, ut in causa *Donatistarum*,

res christiana laetioribus subinde incrementis proferretur. Atque id ipsum confirmat EVSEBIVS, cum narrationi suae statim sequentia addit: Ἀκόλαθα δεῖν τῷ λόγῳ διανοέμενος, τὰς ἀρχομένας ἅπαντας ἐπεσκόπει, πρόνοιαν ἐποιεῖτο, ὅπηπερ ἂν ἡ δύναμις τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον. *Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes* gubernationi suae *subjectos, episcopali cura complectebatur, & quantum in ipso erat, impellebat, ut vitam piam* sanctamque *consectarentur.* Qui vero haec verba eo trahunt, ut ex iis solis curam sacrorum *internam* explicandam putent, eamque in studio provehendae pietatis ponunt, ut HVBERVS; ii ad antecedentia, totumque sermonis nexum minus adtendunt, vel finem CONSTANTINO propositum cum potestate ipsa, qua ad finem illum adsequendum utebatur, metonymice commutant. His omnibus positis sequitur, ut CONSTANTINO in nobili illa distinctione curae episcopalis, circa *interna* atque *externa* cœtus sacri occupatae, id maxime constitutum fuerit non modo sui in sacra imperii vim, ambitum, finem declarare, sed & ipsos episcopos, de limitibus potestati ipsorum praescriptis admonere, officiumque illis inculcare, quo, tanquam sacrorum ministri, ecclesiae in obeundis suis functionibus, imperatori autem ad parendum in ceteris rebus constringerentur. Ceterum id omnino tenemus, minus justam stabilemque esse eam rationem, qua jura majestatis, supremaeque in sacra inspectionis limites ex ista CONSTANTINI sententia a quibusdam describuntur, & omne id, quod sub episcoporum vel ministrorum functionibus, ad *internas* ecclesiae res spectantibus non comprehensum est, id est, universa sacrorum administratio, praeter usum verbi divini & sacramentorum, potestati imperantis unice tribuitur, ecclesiae potestate ad solum verbi & sacramentorum usum restricta. Etenim CONSTANTINVS ipse non de *ecclesiae juribus* loquitur, sed de munere episcopi: quod vel circa *interna* ecclesiae, seu propria religionis instituta versetur, vel circa *externa*; cum vero haec abjudicat episcopis, tanquam ipsorum provinciae non adnexa, potestatem ac jura ecclesiae totius nondum negat; & cum ἐπισκοπὴν rerum externarum sibi vindicat, nec limites illius curae definit, nec fontem pandit, ex quo sacrorum administratio in ipsum derivata sit. Non impedit igitur CONSTANTINI effatum, quo minus integra sibi constent latiusque pateant nativa ac propria *collegii* religiosi jura. Sin autem quispiam ad *facta* CONSTANTINI provocet, & ex iis regulam conficere velit, secundum quam jus omne principum in sacra dijudicandum atque exigendum sit; ei respondemus, non de factis, sed de jure quaeri, & in ea, quam unus alterve imperans sibi sumsit, vel translatam accepit, potestate nondum validum inesse firmamentum ad probanda jura omnibus imperantibus communia. Praeterea vero, quicquid juris circa sacra exercuerit CONSTANTINVS, valde tamen dubitamus, an evinci possit, ipsum ex absoluta potestate imperatoria usurpasse sacrorum administrationem universam, nullumque gubernationis illius fundamentum aliud aguovisse, quam potentiam civilem, ac majestatis eminentiam. Sed missis jam hisce litigationibus de sensu vel usu effati *Constantiniani*, id unicum adhuc notamus, quod jam pridem a viris quibusdam doctissimis, THOMASIO, in *notis ad Huber. p. 177.* PFAFFIO in *orig. jus eccl. p. 195.* praeclare monitum est, formulam illam ambiguam, diversisque interpretationibus, imo abusibus gravissimis obnoxiam non trahi debere in exemplum, distinctione eadem inter regimen ecclesiae *internum* & *externum* adhibita, de jure sacrorum praecipiendi. Licet enim fieri omnino possit, ut per dexteram interpretationem sanus atque probabilis sensus verbis incommodis adfundatur; quod ab HVBERO & WINDHEMIO factum vidimus; tamen ad abusus vitandos tollendamque obscuritatem tam copiosa explicatione, tot etiam cancellis atque cautionibus opus est, ut vel in optimo usu molesta sit formula. Ne dicamus, in explicandis vocibus ambiguis suo quemvis sensu abundare; rem vero totam pressius, facilius, clarius alia methodo tradi posse. Ceterum de distinctione illa a CONSTANTINO constituta, consuli merentur, Jo. GERHARDVS noster, supra *part II. cap. VII sect. V. membr. I. §. LXXX. p. 37. 38.* HVBERVS, *de jure civitatis, lib. I. sect. II. cap. I. §. 10. 11. p 166. §. 21 — 28. p. 174. 175. cap. II. p. 174. seq.* coll. *adnot.* THOMASII. FRID. SPANHEMII *hist. christ. p. 881.* Jo. ALB. FABRICII *bibliographia antiquaria, cap. XIII. §. III. p. 638. coll. not. 3).* BVDDEVS, in *der Untersuchung des Grundes &c. cap II. §. XII. p 80.* SAL. DEYLINGIVS, in *instit. prud. pastor. p. 35. 36.* MOSHEMIVS, in *instit. hist. eccl. maj. p. 141.* & in *dem allgem. Kirchenrecht der Protestanten, p. 77. seq.* coll. *not. 44.* SCHVBERTVS, *von den bischöfflichen Rechten &c. p. 129.* ut alios hoc taceamus.

ſtarum, ATHANASII, EVSEBII *Nicomedienſis*; miniſtrorum inprimis ordini atque officio diligenter adtendit, flagitioſos aut contumaces punivit, vel muneribus dejecit; epiſcopos ſecundum canones vel elegit, vel deſignatos ſuo conſenſu firmavit, vel factam a ſynodis electionem, ſi diſpliceret, reſcidit; de ſacris adeo leges rogavit, & canonibus vim legum dedit; uno verbo, non tuendæ tantum, ornandæ, provehendæ eccleſiæ provincia functus eſt, ſed ſupremam quoque in ſacris poteſtatem, & præcipuas gubernationis eccleſiaſticæ partes exercuit. Num ſuſcepta hac ſacrorum procuratione in ipſa eccleſiæ jura involàrit CONSTANTINVS; num imperii in cœtum ſacrum limites plus, quam fas eſt, extenderit; num ſacrorum cura univerſa ad majeſtatem tranſcripta, populique ipſius conſenſu neglecto, pro abſoluta imperantis auctoritate unice ſibi agendum eſſe exiſtimaverit, id quidem diſquirere atque explicare, hujus loci non eſt. Hoc tantum notamus, populum ipſum, inſignibus chriſtiani imperatoris beneficiis beatum, non modo auctoritati ejus non repugnaſſe, ſed cum ille religionem chriſtianam, amplecteretur, novi rectoris tutorisque præſidio ſeſe magna cum lætitia, ſincerisque gratulationibus ſubmiſiſſe. (6) Imperator autem ipſe quum nomen ac functionem epiſcopi ſibimet adtribuit, (7) declaraſſe videtur, regiæ,

(6) Ipſos etiam *epiſcopos*, aliosque, qui a ſacris erant, eminentem CONSTANTINI poteſtatem circa ſacra reveritos fuiſſe, ejusque judicio ac regimini ſe ſubmiſiſſe, teſtatur RVFFINVS, *hiſt. lib. I. cap. II.* Nec tamen diſſitendum eſt, fuiſſe inter epiſcopos, qui praerogativas ſuas per praeponderantem imperatoris auctoritatem deminutas aegre ferrent, eique liberius ſeſe opponerent. Notum eſt, quam gravi ſermone HOSIVS *epiſcopus ille Cordubenſis*, hortatus fuerit CONSTANTINVM, ne limites poteſtatis legitimae transgrederetur. "Tibi Deus imperium commiſit, nobis quae ſunt eccleſiae concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinae, ita & tu cave, ne quae ſunt eccleſiae, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias."

(7) De eminenti iſto, quod CONSTANTINVS ſibimet adſcivit *epiſcopi* cognomine, ſupra jam not. 5) adducto EVSEBII loco, aliquid praelibavimus. Et hoc quidem certum eſt, cognominis hujus vim notionemque fuiſſe eam, ut ſupremam imperatoris circa ſacra poteſtatem deſignaret. Ratio autem cur epiſcoporum titulo & CONSTANTINVS ipſe, & ſucceſſores ejus diſtingui vellent, in eo ſita eſſe videtur, quod cum antea ab imperatoria dignitate ſecreta eſſet gubernatio eccleſiae, & epiſcopis praecipue commiſſa; univerſa ſacrorum cura pro parte neceſſaria muneris epiſcopalis haberetur. Accedit, quod peculiaris ſortaſſe ſanctitas inhaerere credebatur eccleſiae adminiſtrationi, ita, ut profano homini, id eſt, ei, qui ſacris ipſe non praeerat, nefas eſſet, ſacra moderari. Denique a veri ſpecie non abhorret, viſum fuiſſe CONSTANTINO, *pontificis maximi* titulum ab anteceſſoribus gentilium ſuperſtitioni deditis prudenter uſurpatum, commutare cum nomenclatura *epiſcopi*, dignitati chriſtiani imperatoris congruentiore. Quod vero ſigillatim ad hunc *pontificis maximi* titulum adtinet, imperatores etiam chriſtianos, a CONSTANTINO ad GRATIANVM usque, *pontificum* adpellationem, a *gentilibus* maxime, accepiſſe, id quidem partim ex numis ac inſcriptionibus antiquis (vid. ANT. VAN DALEN, *diſſ. II. ad antiq. & marmora*, *cap. I. & II.*) partim ex diſertis ſcriptorum hiſtoricorum teſtimoniis, (ut ZOSIMI *lib. IV. cap. 36.* SOCRATIS *hiſt. eccl. lib. V. prooëm.* &c.) indubie conſtat; (cf. SELDEN. *de ſynedr. lib. I. cap. X.* negantibus licet viris eruditiſſimis ANT. PAGI, ad a. C. CCCXII. §. 15. & 19. nec non ad a. CCCXIII. §. 7. TILLEMONTIO *lib. IV. p. 580. ſeq.* JAC. GODOFREDO in *epiſtola*, ſub Jo. PLACIDII nomine ad RIVETVM edita, *de interdicta chriſtianorum cum gentilibus communione, deque pontificatu maximo, num chriſtiani imperatores eum aliquando geſſerint?* quibus tamen reſpondit Jo. ANDR. BOSIVS in tractatu peculiari, *de pontificatu maximo imperatorum Romanorum*, *Jenae 1656.* Praecipua autem quaeſtio hac de re in eo vertitur, num imperatores chriſtiani cum *pontificis maximi* titulo reliquias ipſius ſuperſtitionis, functioni pontificum augurumque olim adnexae, gentilium cauſa adſervarint? cujus adſertionis, a STRVVIO, in lib. *vom politiſchen Chriſtentum des Conſtantini*, §. 69. & JANO VINCENTIO GRAVINA *in lib. I. de origine juris civilis*, *cap. CVI.* aliisque defenſae falſitas firmiſſime ex eo evincitur, quod nullo idoneo teſtimonio probari poſſit, imperatores ad ſacra chriſtianorum converſos, tam turpis atque impiae fraudis aut ſuperſtitionis infamia ſe inquinaſſe. Et hoc crimine ſi immunes ſunt imperatores, innocens ſane fuit *pontificis maximi* nomenclatura, ſive ipſi pro epiſcopi cognomento eam geſſerint, ſive, ut aliis videtur, ex antiqua conſuetudine ſaltim a gentilibus acceperint. De *epiſcopatu Conſtantini* & univerſa in ſacris poteſtate conſulendi ſunt Jo. MORINI, *eccleſia per Conſtantinum magnum liberata*, *Paris 1630.* NICOL. VEDELII *diſſ. de epiſcopatu Conſtantini magni*, *Franeq. 1642.* JAC. REVII *examen diſſ. Vedelii*, *Amſtelod. 1641.* JAC. TRIGLANDI *diſſ. theol.*

qua jam fulgebat, majestati novam quandam prærogativam, in ecclesiæ regimine conspicuam, accessisse.

§. *IV.* In ejusdem potestatis usu perstiterunt successores CONSTANTINI, christianorum sacris dediti, (8) ex quorum numero CONSTANTEM, GRATIANVM, VALENTINIANVM, THEODOSIVM, JVSTINIANVM &c. heic commemorasse sufficiat. Licet enim non omnes æquali semper fervore jura a CONSTANTINO exercita prosequerentur, constat tamen, ipsos tam legislatoriam quam judiciariam circa sacra potestatem, quantum quidem ecclesiæ indoles permiserat, in oriente (9) non minus quam in occidente exercuisse. Etenim, si synodos indixerunt, easque vel ipsi præsentes, vel legatorum, ab ipsis constitutorum auctoritate moderati sunt; si in rebus conventuum publicorum judicio subjectis, nisi jam jam lege divina definitæ essent, ἐπίκρισιν, i. e. jus non adprobandi solum, sed & examinandi, mutandi, demendi sibimet reservarunt; si conciliorum decretis per consensum demum imperatoris, a patribus conscriptis expetitum, ultima decisio ac plena efficacia accedere debuit; (10) si in causis antistitum, aliorumque hominum ecclesiasticorum cognoscendis atque componendis judicum supremorum munere perfuncti sunt, & provocantes a judiciis ecclesiasticis audiverunt; si liturgiam, festa, disciplinam externam ordinarunt; si ne potestas quidem, improbos a communione sacrorum excludendi, pœnisque ecclesiasticis subjiciendi, absque auctoritate imperatorum exerceri potuit; si in officium moresque episcoporum & omnium, qui a sacris erant, strenue inquisiverunt; si vel de sacris leges tulere, vel canonum vim derogarunt, (11) vel circa *liturgica* disposuerunt, diesque festos consecrarunt; si denique potestate usi sunt, episcopos eligendi, confirmandi, exauctorandi, & nova, ubi videretur, munia instituendi; profecto principes isti pro sacrorum antistitibus, summisque ecclesiæ rectoribus reputandi sunt. Atque hæc, quæ narravimus, ita se habere, tum illorum temporum historia, omniumque monumentorum fides testatur, (12) tum quod inprimis observari debet, *uterque codex* imperatoria referens edicta, aperte loquitur. Sed annon unus alterve ex CONSTANTINI successoribus vel limites potestatis legitimæ excesserit, vel in exercendis juribus suis remissior fuerit atque negligentior, hoc quidem dijudicare, vel exemplis argumentisque conquisitis ostendere, jam res nostra non est. Sufficit, breviter ostendisse, quantum potestatis circa sacra post CONSTANTINVM hactenus tuiti sint imperatorum plurimi.

§. *V.* Idem dicendum de *Francorum* regibus, qui uti universum munus tuendæ regundæque ecclesiæ, ita inprimis jus eligendorum antistitum strenue in regnis suis prosecuti sunt.

theol. de civili & ecclesiastica potestate, occasione libelli Vedeliani, Amstel. 1642. GVIL. APOLLONII *de jure majestatis circa sacra, Mediob. Zelandi. 1642.* Anonymi *Gralliæ*, &c. *Franequeræ 1640. 8.* qui liber cum aliis ejusdem argumenti insertus est collectioni, sub hoc indice editae: *Tractatus varii pro jure majestatis circa sacra, contra Gulielmum Apollonium & Jodocum Larenum, aliosque ejusdem juris oppugnatores. Eleutheropoli, 1675. 8.* conf. CASP. SAGITTARIVS, in *introduct. t. II. p. 588. seq.* itemque Jo. ALB. FABRICIVS, BVDDEVS & SPANHEMIVS, *ll. cc.*

(8) SOCRATES, *histor. eccl. lib. V. in præf.* diserte testatur, quod ab eo tempore, ex quo imperatores christiani esse cœperint, res ecclesiae ex illis pependerint, (τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν) & concilia maxima ipsorum nutu convocata fuerint.

(9) De *græcis* etiam imperatoribus leges ecclesiasticae exstant, a PHOTIO aliisque adnotatae. De ipsorum potestate in sacris universa vid. MICH. LE QVIEN in *oriente christiano, tom. I.*

(10) Ita concilii *Ephesini secundi* decreta, a VALENTINIANO rejecta, sed confirmata a THEODOSIO, in oriente quidem plenam vim habebant, in occidente vero pro nullis ac inanibus reputabantur, donec tandem in concilio *Chalcedonensi* res tota diremta fuerit.

(11) vid. inprimis GROTIVS de *imperio summarum potestatum, p. m. 242. 244. 245.*

(12) Id auctores supra jam adlegati, exemplis ostenderunt luculentissimis. conf. SPANHEM. in *hist. eccl. sec. IV. p. 881. sec. V. p. 1039. sec. VI. p. 1135. &c.*

sunt. Sed inter eos præcipue nominandus est CAROLVS, qui *magni* cognomine insigniri solet, sub initia seculi noni ad imperatoriæ dignitatis fastigium evectus. Hic etsi pontificem Romanum, cui variis modis devinctus erat, amplis ditarit donationibus, novisque privilegiis instruxerit, tamen suis circa sacra juribus, quae tum nutricii tutorisque, tum imperantis officium ipsi imposuerat, haud quaquam renunciavit. Videas sane CAROLVM ex facto ipsius HADRIANI I, præditum jure, pontificem Romanum eligendi, sedem apostolicam ordinandi, episcopos per singulas provincias ipsius ditioni subjectas *investiendi*. (13) Videas lites causasque clericorum cognoscentem, & episcopos, ubi visum fuit, muneribus exuentem. Videas concilia convocantem iisque præsidentem, (14) de cultu divino ritibusque & liturgia ferentem leges, de bonis templorum clausrorumque, nisi singulari beneficio a communi onere exemta essent, tributa exigentem. Videas denique ipsos præsules romanos CAROLO obedientes, ejusque judicio subjectos. (15) Et quid dicamus de insigni illo potestatis in ecclesiam supremæ exercitio, cum clerum omnem, episcopos, parochos, monachos, moniales, ad officii leges pristinæque disciplinæ sed pæne collapsæ severitatem reducere omni studio adlaboravit. (16) Quid de laudabili illo fervore, quo hominum, ecclesiæ ministerio addictorum vitia coërcuit, quo doctrinam, quantum potuit, summotis superstitionibus castigavit, melioremque & provehendæ pietati aptiorem Dei colendi rationem revocare adnisus est. Atque hæc specimina luculentissima nomotheticæ & judiciariæ potestatis a CAROLO exercitæ, si quis in dubium vocare velit, eum ablegamus non ad simplices narrationes scriptorum historicorum: sed ad ipsos ejus temporis annales, ad acta conventuum jussu CAROLI, eoque interdum præsente institutorum, inprimis vero ad notissima illa *capitularia*, (17) sive leges ecclesiasticas auctoritate CAROLI in *Galliæ*, *Italiæ*, *Germaniæ* regnis promulgatas, quæ regis sive imperatoris non studia modo, sed & imperium in ecclesiam clarissime demonstrant.

§. *VI.* Vestigiis CAROLI magni presso pede insliterunt successores ejus, LVDOVICVS PIVS, LOTHARIVS I. LVDOVICVS II. CAROLVS CALVVS, & alii, qui episcopos, ipsumque Romanum antistitem eligendo, vel confirmando, synodos convocando, leges ferendo, judicia in clerum exercendo &c. potestatis

(13) vid. GROTIVS *de imperio summarum potestatum circa sacra*, *cap. X. § XX — XXV.* SPANHEMIVS in *hist. christ. sec. VIII. p. 1291.*

(14) Conf. THOMASIVS in *cautel. c. XXI. §. 14.* SCHILTERVS *de libert. eccl. German. lib. II. cap. X.* inprimis vero STRVVII *dis. de Synodo Francofurtana.*

(15) Memorabilis maxime est, ut alia exempla taceamus, LEONIS III. sub judicium imperatoris, qui causam ejus graviter tractavit, submissio, de qua consuli inprimis meretur S. R. D. FABERI eruditissima dissertatio, *de Leone III. pontifice Romano.*

(16) In praefatione *capitularis Aquisgran.* ipse CAROLVS *suum esse* ait, *errata corrigere*, *superflua abscindere*, *recta coarctare*, *revocare veri Dei cultum*, *s. Josiæ exemplo*, &c. cit. SPANHEM. *l. c. p. 1298.*

(17) *Capitularia* illa, (sive leges, regulae, constitutiones, clero praescriptae, de rebus quibuscunque sacris, quae ad doctrinam, ritus, disciplinam, beneficia spectarent,) a CAROLO MAGNO, & LVDOVICO PIO condita, variisque deinceps accessionibus sub CAROLO CALVO ejusque successoribus locupletata sunt. Primam eorum collectionem adornavit ANSEGISVS, *abbas Lobiensis* anno p. C. n. 827. quam deinceps multis statutis, ab ANSEGISO praetermissis adauxit BENEDICTVS LEVITA, *anno 845.* Post aliorum vero operas, in colligendis atque digerendis illis legibus collocatas, inter quas JACOBI SIRMONDI editio cum notis *a. 1623.* concinnata notari meretur, eminet inprimis collectio STEPHANI BALVZII completa eruditae industriae opus, sub indice: *capitularia regum Francorum*, editum *Parisiis in II. tom. fol. anno 1677.* Descriptionem hujus collectionis adcuratam dedit Jo. ALB. FABRICIVS, in *Biblioth graec. tom. XI. p. 493. seq.* Conferantur de istis *capitularibus*, HERM. CONRINGIVS, *de origine juris German cap. XV.* PAVL. HACHENBERGIVS in *Germania media*, *dis. III. §. V.* GERHARDVS VAN MASTRICHT in *hist. juris eccles. num. CXCII. seq. p 206. seq.* quibus addendi, SPANHEMIVS, *hist. eccl. p. 1290. 1298. 1388.* BVDDEVS in *isag. histor. theol. p. 717. 718.* PFAFFIVS in *hist. lit. p. 196. 210.* alibique passim.

tis in sacra supremæ firmissima documenta exhibuerunt; id etiam negotii inprimis datum sibi esse arbitrati, ut cœptam a CAROLO instaurationem ecclesiæ, sacrorumque emendationem, in doctrina, cultu, disciplina, moribus sedulo promoverent, adscitis quidem in consilium piis episcopis, sed pontificum romanorum consensu non exspectato. Sequioribus quidem seculis, uti potentia romani pontificis subinde augebatur, in immensum tandem magnitudinis gradum provecta; sic jura principum magis magisque fracta, variisque artibus diminuta esse constat. Sed plures eorum his pontificis usurpationibus fortiter resistentes, jura sua temere violata, non raro vi armisque defenderunt; id quod inprimis videre est in lite de *episcoporum investituris* (18), acerrima illa, diuque imperatores inter & romanam sedem agitata, & sub HENRICO V. tandem finita.

§. *VII.* Quid enim, quæso, ut exempla quædam proferamus, ad coërcendam pontificis clerique Romani libidinem molitus est OTTO MAGNVS, qui JOANNE XII. dejecto, novum pontificem LEONEM VIII. confirmavit, ac jus eligendi pontifices, nec non episcopos inaugurandi provinciam, tanquam regale imperatorum, sibi suisque successoribus graviter adseruit? Quid HENRICI, auctoritatis suæ & jurisdictionis imperialis vindices strenui, quid CONRADVS, quid FRIDERICVS I. & II. quid LVDOVICVS BAVARVS ad tuenda jura sua tentaverunt, modo comitia ecclesiastica indicentes, modo episcopos constituentes, modo bonorum ac redituum sacris destinatorum partem sibi vindicantes, vel tributa imponentes prædiis ecclesiasticis, modo pontificem ipsum edictis armisve adgredientes. (19) Exempla regum *Galliæ*, *Angliæ*, aliorumque, quos itidem vehementer obstitisse pontifici, juriumque suorum circa sacra tenacissimos fuisse, publica rerum gestarum monumenta produnt, heic in medium adducere opus non est. (20) Hoc vero tacere non possumus, *Germaniæ* nostræ non imperatores solum, sed & *proceres statusque imperii*, vel auctoritate propria, vel Cæsare indulgente, supremam circa sacra auctoritatem in terris suis exercuisse. Notum est, quam familiare ducibus fuerit illud, quo antiquiori jam ætate utebantur, axioma vere regium, se papas esse in suis terris; (21) idque ipsum re factisque luculenter demonstrarunt: Nam itidem episcopos vel creare, vel electionem antistitum judicio suo comprobare; concilia instituere, iisque per legatos interesse; & episcopos ad ea celebranda arcessere; causas eorum, qui a sacris sunt, cognoscere, & cognitas dirimere; de societatum conjugalium rationibus aliisque rebus, quæ fori mixti esse dicuntur, supremam facere decisionem; lites de beneficiis rebusque sacris exortas, disceptare; *capitula* ad census & subsidia tenere; ecclesias & collegia monastica visitare, hæreses comprimere, doctrinam cultumque emendare; hæc & alia ejusdem generis invicta sunt robora non patrocinii modo & tutelæ ecclesiis præstitæ, sed ipsius etiam imperii, quo cum majestate in sacris perfuncti sunt principes. Hæc vero, quæ narravimus, vere in ecclesia gesta fuisse, cumprimis in historia ducum *Bavariæ*, *Silesiæ*, *Sueviæ*,

(18) De gravi ista *investituræ* controversia, quam heic pertractare nimis longum esset, ablegamus lectores nostros ad *Centur. Magdeburg. cent. XII. p. 1127.* NATAL. ALEXANDR. in *select. hist. eccl. capit. sec. XI. XII. part. II. diss. IV. p. 467. ed. Par. 1683.* SPANHEMIVM in *hist. eccl. p. 1292. 1336. f. 1384. f. 1391. f.* MOSHEMIVM in *hist. eccl. maj. sec. XI. part. II. cap II. §. XV seq. not. r. p. 316.* LOHENSCHIOLD. in diss. *de investitura episcoporum per annulum & baculum.* Ceterorum, quae diximus, fidem faciunt fere omnes scriptores istorum temporum ecclesiastici.

(19) Conf. præter auctores jam excitatos, CONRING. de

Sueviæ, *confirm. episc. Germ.* STRUVII *syntagma hist. Germ.* GLADOV. in *hist. imper. lib. III. cap. II.* ERN. SAL. CYPRIANI *diss. de Maximiliano I. pontificatum adfectante, Cob. 1710. recusa Jenæ, 1716.* W. C. KRIEGSMANNI *diss. de attrito per papas imperio, & pontificatu per cæsares capessendo.*

(20) Auctores vid. apud FABRICIVM, in *bibliogr. antiq. cap. XIII. p. 639. 640.* & BVDDEVM, in der *Untersuchung l. 1. p. 144. seq.* in *not.*

(21) Conf. STRYCK diss. *quod quilibet princeps in territorio suo sit papa*, & WALLACHER, *diss. cit. p. 4. seq. §. IV.*

Sueviæ, *Saxoniæ*, &c. documentis exemplisque evidentissimis confirmatur. (22) Manet igitur hoc, tum imperatores regesque, tum principes statusque imperii, potestate circa sacra nunquam penitus fuisse exutos, sed postulasse jura sua, & quantum per infelicitatem illorum temporum fieri potuit, graviter exercuisse; quidquid vero auctoritatis injusto ausu ad se rapuerint antistites romani, id ab iis, qui summas rerum publicarum tenuere, minime adprobatum, vel pro jure agnitum, sed variis & fere perpetuis contradictionibus impugnatum fuisse, donec tandem per sacrorum repurgationem, a LVTHERO susceptam, excusso pontificis jugo, principum æque ac ecclesiæ jura redintegrarentur, atque iis etiam principibus, qui ab emendatis sacris alieni essent, via jurium circa sacra sensim sensimque recuperandorum muniretur.

§. *VIII.* Ipsa enim *sacrorum emendatio* tantum abest, ut de juribus principum aliquid subtraxerit, ut ea potius firmarit, ac insignibus incrementis adauxerit. (23) Deminuta enim *juris canonici* seu *pontificii* auctoritate, (24) & communione cum Romano præsule sublata, non potuit non supremi magistratus circa sacra potestas & restitui, & novis accessionibus ampliari. (25) Nec diu tardarunt principes usum jurium recuperatorum; sed, cum disciplinam LVTHERI castigatiorem in terris suis introducerent, legesque insimul ac ordinationes ecclesiasticas conderent, integra jam cœtus religiosi directione susceptа, latissime ostenderunt, quid circa sacra possent. In his vero omnibus, quæ sibi adseruerant juribus, universi populi voluntate, doctorumque ipsorum, quorum maxima apud populum auctoritas erat, suffragiis munitos ac suffultos fuisse principes, facta ac testimonia, a SECKENDORFIO aliisque enarrata, (26) inque ipsis primipilorum nostrorum scriptis passim obvia abunde comprobant.

§. *IX.* Et hæc quidem principum in sacris jura, primo per *transactionem Passaviensem*, & quæ eam excepit, *pacem religiosam Augustæ* initam confirmata, ultimum deinceps sigillum acceperunt in *instrumento pacis Westphalicæ*. Quibus in tabulis cum *suspenderetur* pontificia episcoporum in protestantes jurisdictio, non facultas quidem sacra dirigendi principibus demum tradita fuit, sed iis quibus jam pollebant juribus, munimentum additum, & obstaculum, remotum, quod antea exercitio potestatis circa sacra supremæ interfuerat. Vtut vero jam jam insigni circa sacra auctoritate prædíti sint imperantes, emendatiorem doctrinam amplexi, tamen cave existimes, potestatem illam *omnem*, quæ per sacrorum repurgationem vel restituta principibus vel in eos translata & sanctione pacificationum religiosarum stabilita est, cum majestate necessario connecti, & terminis carere. Enim

(22) vid. REINHARDI *jus principum German.* passim. BOEHMER. *diss. de jure episcop. §. XIV — XVI.* SCHILTERVS *de libertate eccles. Germ. p. 821.* BVDDEVS *lib. cit. cap. III. §. 4.*

(23) Hoc egregie probavit BEBELIVS in *diss. de beneficiis magistratui politico b. Lutheri ministerio exhibitis.* Cui addi meretur RECHENBERGIVS in diss. *de prærogativa imperii principis protestantis.* nec non HECTOR GOTTFR. MASIVS, *theologus quondam Hafniensis*, in *diss* cui index est: *interesse principum circa religionem evangelicam.*

(24) vid. BVDDEI *isag. hist. theol. lib. poster. cap. V. §. VII. p. 692. seq.* & MOSHEMII *allgem. Kirchenrecht, p. 122. seq. 133 — 139 — 143. 544.* ubi inprimis etiam de facto LVTHERI, jus canonicum *Wittebergæ* comburentis, figillatim agitur, auctoresque citantur.

(25) Hoc cumprimis probe agnovit, aperteque professus est princeps *Anhaltinus*, GEORGIVS, narrante SECKENDORFIO in *comment hist. de Luther. lib. III. §. 117. add. 1.*) *lit. u. p. m. 502.*

(26) vid. SECKENDORF *hist. Luth lib. III. §. 96. add. e. f. lib. II. §. 83. num. 24. seq.* & alibi passim. Referri etiam huc meretur LVTHERI, de *potestate seculari liber singularis*, acrem quorundam adversariorum, COCHLÆI inprimis censuram expertus, in quo LVTHERVS noster non quidem ex instituto jus principum circa sacra tractat, sed conscientiae potius jura contra vim magistratuum crudelem atque injustam graviter defendit; interim tamen hinc inde quaedam enunciata sparsit, ex quibus cognosci potest, quantum legitimae potestatis in ecclesiam tribuerit principibus; id quod ostendit BVDDEVS in *der Untersuchung des Grundes* &c. p. 177 — 182. conf. SECKENDORF. *lib. I. §. 127. add. 2.*

Enim vero, ut taceamus per ipsos sacrorum emendatores egregie prospectum esse libertati conscientiæ, certe nusquam deprehendimus, *omnia* jura, episcopis romanensibus ademta, vel populi consensu in principes translata, vel per decreta pacificationum in solidum illis adjudicata fuisse. Sunt enim jura quædam cum ipsa religione, & ecclesiæ totius indole ac fine tam arcte connexa, ut ab ea legitime divelli non possint. Alia vero, quæ cum natura ac constitutione societatis religiosæ minus arcte cohærent, & alienari possunt, non universe sibimet adseruerunt principes, sed ex parte reliquerunt collegiis, quo pertinent, forum proprium, imperanti tamen subjectum quo causæ ad ecclesiam ejusque ministros proxime spectantes cognoscuntur; immunitas sacrorum ministris concessa, disciplinæ in rebus minoribus exercitium, votum negativum in ministrorum electione; suffragia in proposita sive rogata symbolorum, rituum, legum ecclesiasticarum definitione vel immutatione, & quæ sunt alia hujusmodi. Conditis etiam post susceptam *reformationem* variis ordinationibus ecclesiasticis, suum esse duxerunt principes, ut operam ac consilia theologorum, pietatis & peritiæ laude florentium, diligenter adhiberent. Quæ omnia argumento sunt, non prorsus suo stetisse arbitrio imperantes, cum sacrorum procurationem in se susceperunt, sed jurium ipsis collegiis competentium ratione habita, æquitati & communibus ecclesiæ commodis obtemperasse.

OBSERV. III.

DE FONTIBVS,

ex quibus jus principum circa sacra derivari solet.

§. I. Accedimus jam ad *tertiam* tractationis propositæ *partem*, qua id nobis agendum superest, ut in *fontes* inquiramus, *ex quibus jura sacrorum principibus competentia deduci solent.* In hac autem quæstione non exiguam sententiarum diversitatem apud viros eruditos animadvertimus: sed ne in inani tantum verborum contentione disceptatio ista versari videatur, ante omnia definiendum est id, de quo proprie quæritur. Nam hoc quidem omnes, quotquot doctrinæ a b. LVTHERO restitutæ puritatem amant, uno fere consensu largiuntur, supremam in sacra *inspectionem*, ac potentiam disponendi de iis, quæ in *rem civilem* proxime influunt, partem esse majestatis, & ab ea divelli non posse. At vero caput quæstionis in eo potissimum vertitur, ex quonam principio *integra* sacrorum cura, eorumque etiam jurium, quæ *collegia propria* esse existimantur, administratio principibus *protestantibus* in *Germaniæ* terris commissa, sit repetenda. Sed istius potestatis fundamentum alii aliter ponunt. Sunt enim, qui rem omnem confici putant *tabularum sanctiorum auctoritate* divina; alii vero, rationis potius sequuti principia, vel ex *officio magistratus christiani*, vel ex ejusdem propiore, *ad coetum*, quem dirigit, *accessione* jus supremum circa sacra deducunt; alii ad *pacis religiosæ* decreta provocant; alii in principibus protestantibus *episcoporum* personam reveriti, jura, quibus illi funguntur, prærogativis præfecturæ sacræ exæquant; alii totam sacrorum administrationem derivant ex *superioritate*, quam vocant, *territoriali*, sive imperii eminentia; alii denique origines potestatis sacræ in *consensu ecclesiæ* quærunt, cui nonnulli singularem addere solent considerationem vel *factorum*, quibus principes protestantes de ecclesia sacrisque puriorибus optime meriti sunt; vel *commodorum*, ex directione magistratus suprema in ecclesiam redundantium. Nos rationibus uniuscujusque

horum systematum expositis, nostram epicrisin de genuino jurium circa sacra fundamento breviter subjiciemus. (1)

§. *II.* Ac primo quidem loco considerandа nobis venit eorum sententia, qui directa *scripturarum diviniorum auctoritate*, imperium principis in ecclesiam niti arbitrantur. (2) Provocant autem viri isti eruditi partim ad *exempla*, in *antiquo foedere* nobis proposita, partim ad ipsa *oracula*, quibus supremam principum circa sacra potestatem evincere adnituntur. At vero non diffitendum est, in illis, quæ in medium adduci solent, argumentis alia esse minus idonea, reique probandæ plane non adcommodata, alia vero id, de quo proprie quæritur, non efficere, sed spectare tantummodo ad supremam sacrorum inspectionem vel ad imperium majestatis in rebus cum foro civili conjunctis, non ad eorum jurium administrationem, quæ secundum præsentem ecclesiæ formam ex interno collegii instituto fluunt. Etenim ad *exempla* quod adtinet, sive ducum Israëliticorum, Mosis & Josvae, sive regum, ut Davidis, Salomonis, Assae, Josaphati, Ezechiae, Josiae &c. hæc & quæ sunt alia, potiori ex parte testantur principum circa sacra curam, ex *instinctu divino in gente Deo propria* susceptam. Accedit, quod ecclesiæ *judaicæ* constitutio, rei civili penitus implicita, longe distet a forma collegii a re publica discreti, ipsiusque magistratus *judaici*, qui in regimine *theocratico* legatus erat Dei, officium singulare, muneri magistratuum aliorum æquari neutiquam possit. Minus igitur firma est consequentia, cum a dissimili statu *reipublicæ judaicæ* & *magistratus* eidem præfecti, ad *nostrum* concluditur. Nec tamen omnem usum comparationis inter regimen ecclesiæ *judaicæ* & *christianæ* negamus, sed hoc facile largimur, specimina supremi in ecclesiam imperii, a piis regibus olim edita, nostris etiam principibus in exemplum piæ, providæ, solertis circa sacra curæ proponi posse.

§. *III.* Nec major probandi vis inest in oraculis, in quibus integræ circa sacra potestatis, principibus commissæ præsidium quæritur; id quod illico adparebit, cum ex longo eorum agmine aliqua tantum, quæ plurimum roboris habere quibusdam videbantur, examini subjecerimus. Palmarium sine dubio argumentum est illud, quod ex *Es. XLIX. 23.* desumitur: *Et erunt reges tutores tui, & feminæ eorum principes nutrices tuæ.* (3) In oraculo

(1) Varia de *fonte* istorum jurium systemata recensent, & pro ea, quam ipsi sequuntur, tuendi ratione examini subjiciunt Jægervs, in *diss. de radice & fonte jurium summarum potestatum circa sacra.* Peaffivs in dem *prot. Kirchenrecht. part. I. cap. V.* Buddevs in der *Untersuchung des Grundes &c. cap. IV.* Wernsdorfivs, in *diss. de jure magistratus circa vocationem &c. §. LIII.* J. H. Boehmeras in *jure protest. eccl. part. I. lib. I. tit. XXXI. §. 42. seq. & tom. V in præfat.* Wiesenhaver in *diss. de jure convent. sect III §. 2.* Hoeckdorfivs in den *gründlichen Betrachtungen, p. 248. seq.* Moshemivs in dem *prot Kirchenrecht, p. 564. seq.* S. R. D. Faber, in *diss. de principe ecclesiæ nutritio, §. XI. seq.*

(2) Hac præcipiendi ratione usi sunt plerique *antiquiorum theologorum*, ut Gerhardvs noster, *supra §. CLXV. seq.* Meisnervs, in *philos. sobr part. III. &c.* quibus ex *recentioribus* adcensendi sunt Buddevs (qui ipse tamen alias ideae majestatis favet) in *theol. moral. mor. part. II. cap. III. sect VII. §. 26.* Wernsdorfivs, in *diss. cit. §. XVI.* aliique. Faciunt cum iisdem *jure consulti* quidam doctissimi, & qui minime heic praetermittendus est, ipse Grotivs, in *lib. de imperio summarum potestatum circa sacra, §. II. seq.* Sed argumenta illa ex sacris literis collecta, studio confellenda sibi sumserunt Christ. Thomasivs in dem *Recht evangelischer Fürsten &c. thes. V. p. 36. seq.* & in *diss. de jure circa adiaphora.* Peaffivs in *orig. jur. eccl. cap. V. p. 194. seq.* nec non in *jure prot. eccl. germanice edito, sect. I. cap. V. §. XVII.* Thom. *ab* Hoeckdorf *lib. cit. p. 150. seq.* Wiesenhaver, in *diss. de jure convent. sect. III. §. II.*

(3) Dictum istud *Esaianum* commentatione prorsus egregia dilucidavit *Vir* S. R. D. Jo. Theoph. Faber, in diss. jam laudata, de *principe christiano, ecclesiæ nutricio, occasione oraculi Es. XLIX. 23.* Breviorem istius dicti explicationem dedit C. M. Peaffivs, in *diss. originibus jur. eccl.* adnexa, cui index est: *de regibus tempore messiæ ad Zionem congregandis, vi oraculi, Es. XLIX. 23.*

oraculo isto *Zioni* prædicto, ad *novi testamenti ecclesiam*, veteri superstructam proxime respici, curamque & tutelam principum ad meliora sacra conversorum eidem promitti, nobis quidem tam probabile est, ut nihil magis. (4) Sed in hac ipsa prædictione non definitum deprehendimus, quam late pateat benefica ista sacrorum cura, quasnam officii partes, quænam jura in se complectatur; plena vero potestas in ecclesiam, & administratio jurium cœtui sacro ex fine, in quem coaluit, competentium, nostro quidem judicio non necessario nexu combinata est cum regio illo munere ornandi, tuendi, emendandi ecclesiam. Id igitur, quod effici debebat, ex dicto adlegato solidum firmamentum non accipit. Eadem est ratio oraculorum, quibus continua legum obedientia, divinorumque statutorum observatio regi injungitur; ut *Deut. XVII. 18. Jos. I. 7. 2 Reg. XI. 12. 2 Par. XXIII. 11.* &c. Nam licet omnino hoc demus, non ad privatæ tantummodo pietatis studium religione sanctissima obstringi principem, sed curam quoque peculiarem ipsi demandatam esse, ut apud populum, cui præest, divini nominis honorem, sanctitatem vitæ, mandatorum divinorum reverentiam conservet, provehat, adjuvet; id tamen omne ad confirmationem universæ circa sacra auctoritatis non sufficit, sed vigilantiam tantum, servando ordini commodisque ecclesiæ promovendis intentam, & alacritatem parandorum rei sacræ adjumentorum, denique supremam in cœtum inspectionem cum exemplo probitatis conjunctam, a principe exigit. Reliqua argumenta longius petita heic non moramur. Quanam enim ratione probabili ex officio civium, pro magistratu licet ethnico, preces fundendi, jurium *collegialium* administratio colligitur? Et quonam, quæso, fundamento dici potest, regibus, cum *Ps. II. 12.* Messiam osculari, i. e. religioso cultu venerari, ejusque imperium agnoscere jubentur, usum imperii circa ea, in quibus religio consistit, traditum ac confirmatum esse. Hæc si non incertis conclusionibus eliciuntur, vix quidquam contra regulas bonæ argumentationis impingere dixeris. Sed, quod dissimulare non possumus, nobis quidem minime persuasum est, antiquiores theologos dicta modo adducta ad demonstrandam potestatem principis universam adhibuisse. Imo vero id potissimum ipsos egisse statuimus, ut commune pii magistratus officium, ecclesiæ commodis prospiciendi, & sacra puriora quantum quidem illibatis ecclesiæ juribus fieri posset, procurandi, ex oraculis divinis declararent; ceterum, cum dicta illa magistratui christiano adplicarent, nec ad limites respexisse videntur, quibus cura sacrorum principibus demandata contineretur, nec modum definivisse, quo jurium *collegialium* administratio ad principes *protestantes* translata esset.

§. *IV.* Jam vero progredimur ad *alteram* sen-

(4) In objecto sensuque hujus oraculi definiendo, in varias sententias abeunt interpretes. *Judæi* illud transferunt ad promissionem futurae felicitatis, quam post reditum in *palæstinam* instaurata ipsorum ecclesia olim nactura sit. Ab his non multum abludunt alii, præsertim ex *Chiliastis*, qui inde colligunt, splendorem ecclesiæ *judaicæ* olim restitutum, regumque & reginarum consociatione cultu, muneribus condecoratum iri. *Grotius* vaticinium *Esaianum* exponit de *Judæis*, ex captivitate *Babylonica* redituris, regumque & reginarum, ut *Cyri, Darii, Artaxerxis, Demetrii, Estheris, Cleopatræ*, beneficia & immunitatem experturis. *Pontificiorum* multi dictum hocce in suas trahunt partes, ejusque auctoritate non solum munus principum nutriendi ditandique ecclesiam, sed & subjectionem regum procerumque ecclesiae debitam, supremamque in eos pontificis romani potestatem probare adlaborant. *Nostratium* au-

tem communis fere sententia, quam & GERHARDVS noster *p. 28.* tuetur, huc redit, per *Zionem* innui *ecclesiam nov. test.* ex credentium Israelitarum multitudine succrescentem, gentiumque accessionibus ampliatam. Ejus autem *nutricios* fore principes, ad fidem christianam conversos, qui susceptа sacrorum cura ecclesiam munificentiae suae fructibus ornaturi, ac saluti ejus, sociali & religiosa fide prospecturi sint. Nec sine fundamento vaticinii istius complementum *exstantius* refertur ad tempora *reformationis*, ubi munus, ecclesiam diu oppressam nutriendi, i. e. emendandi, tuendi, provehendi, incolumitatem ejus procurandi, in magistratibus puriora sacra amplexis quasi revixit, modoque singulari se exseruit conf. de hoc dicto LVTHERI explicatio, ad principes protestantes translata, *op. Witeb. tom. IV. f. 255.* & *Jen. tom. V. f. 31.*

tentiam eorum, qui ex *provincia magistratus christiani* jus omne circa sacra repetunt, maxime, si imperans facta ad ecclesiam accessione, *membrum ejus præcipuum* sit. Ex hoc enim titulo colligunt, principem suprema in cœtum sacrum auctoritate præditum esse, sacrorumque administratione integra merito ac optimo jure potiri. (5) Atqui persona *principis christiani* omnino adnexam habet obligationem, ecclesiæ non minus, quam reipublicæ salutem quovis modo promovendi. Multo magis, si familiæ cuidam religiosæ se dedit princeps, iisdemque utitur sacris, arctioribus sane vinculis adstrictus est ecclesiæ, sanctoque tenetur officio, ut rebus societatis suæ diligenter provideat, ab incommodis omnibus, nævis, abusibus, quantum fieri potest, sanctam tectamque eam servet, nihilque omittat, quod ad statum ejus emendandum ac perficiendum ullo modo facere possit. Hoc vero negotium cum auctoritatem requirat ac potentiam, omnino que liceat principi, in emolumentum ecclesiæ imperii eminentia uti; recte fortassis dicitur, magistratui christiano, præsertim si eadem colat sacra, novam quandam facultatem accedere, qua præsidio suo tueri, beneficiis juvare, consilio regere ecclesiam, noxisque ejus quibuscunque cavere vel mederi & possit, & proprio jure debeat. Pari ratione societas principis cum cœtu quodam religioso hoc etiam efficit, ut ipsa *collegii* jura, nisi gravissimis causis intercedentibus, optime transferantur in imperantem, partim, quod propter reipublicæ administrationem summæque dignitatis fastigium insigni jam in ecclesiam auctoritate polleat; partim, quod per inspectionem, tutelamque ecclesiæ, debitam singularis facultas data sit magistratibus, bene meritis universum cœtum sibi devinciendi.

§. *V.* Sed illa ipsa *collegii* jura, circa quæ præcipue quæstio nostra versatur, nec ex fidei christianæ professione qualicunque, nec ex propiore sacrorum communione, summis imperantibus vindicari possunt. Nam licet utriusque tabulæ custodia utique mandata sit christiano magistratui, licet obligatio illi imposita, cultum divini numinis rectum sincerumque promovendi, causam Dei tuendi, commoda ecclesiæ amplificandi; tamen hoc officium non *integram* sacrorum curam, non *absolutam* collegii gubernationem comprehendit, sed inspectione, tutela, munificentia absolvitur. Ipsa vero *consociatio* principis cum cœtu religioso, neutiquam jus illi proprium tribuit, potestatem, *collegio toti* radicitus inhærentem, ad se rapiendi. Enim vero dirigendo cœtui adprime idoneum esse principem, iisdem sacris addictum, ultro concedimus; si quidem cetera recte se habeant; sed de eo, quid *jure* exigi possit, non quid magis minusve expediat, heic quæritur. Atqui æqualis est societas, religionis causa fœderata, æqualia sunt omnium jura; nulla imperantium & parentium distinctio, nulla civilis prærogativa, nulla dominatio pro se valet apud eos, qui Christo nomen dederunt: Quid igitur in hac membrorum æqualitate privi *juris* ad principem, nisi consentiente ipsa societate, propter gravissimas rationes potestas sacrorum integra ad unum imperantem fuerit delata?

§. *VI.* Sequitur jam *tertio* systema eorum, qui genuinum imperii circa sacra fundamentum in *dignitate episcopali* ponunt, quam in principes sacra emendata amplexos transisse existimant. (6) Origo opinionis istius, latius olim pervulgatæ, repetenda maxime videtur a pacis religiosæ decretis, quibus, *suspensa* anti-

(5) Sententiam hancce cumprimis defendit atque exornavit Jo. Wolfg. Jægervs, *cancellarius quondam Tubingensis*, qui plures infimul alios ex theologis ac jureconsultis in partes suas vocat, in *system. theol. lib. IV. p. 176. seq.* nec non in *tract. de concordia sacerdotii & imperii, cap. IV.* & in *diss. de fonte jur. summæ potestatis circa sacra.* Sed fundamentum illud gubernationis sacrae a Jægero positum, praeter multos, quos ipse l. c. excitat, reformatos inprimis, impugnarunt ex nostratibus C. M. Pfaffivs in *jur. eccl. germ. p. 98.* J. H. Boehmervs, in *jure eccl. prot. part. I. lib. I. tit. XXXIII. §. 35.* & in *jure paroch. sect. I. cap. II. §. XXX.* ut alios taceamus.

(6) Systematis istius complures olim exstitere patroni, ut

antiſſitum *Romanenſium* in proteſtantes jurisdictione, non libertas modo profeſſionis, ſed propria etiam ſacrorum adminiſtratio ſecedentibus eccleſiis præſtita fuit. Atque iſta jurisdictionis pontificiæ cohibitio anſam dedit viris eruditis, ut principibus *proteſtantibus*, quippe qui in epiſcoporum locum ſubſtituti, poteſtatem eccleſiæ directricem ſuſcepiſſent, jura *epiſcopalia* adjudicarent. Enimvero alte inſidebat animis trita illa diſciplinæ *pontificiæ* ſententia, poteſtatem circa ſacra *epiſcopis* eſſe propriam, & a magiſtratu civili, cui profana duntaxat negotia objecta eſſent, longe alienam. Huc inſuper trahi ſolebat exemplum CONSTANTINI M. ejusque ſucceſſorum, qui, ut ſub titulo juris probabiliori ſacrorum cura perfungerentur, cognomen ac dignitatem epiſcoporum ſibimet adſciverint. Nulla igitur alia ratione gubernatio eccleſiæ tribuenda videbatur principibus, quam ut duplex illis perſona adfingeretur, altera *imperantis*, qua civilia curarent, reique publicæ præeſſent, altera *epiſcopi*, qua eccleſiam adminiſtrarent.

§. *VII.* Hæc autem ſententia, quæ principes eccleſiæ rectores, perſona *epiſcoporum* induit, quam lubrica ſit, quamque infirmis innixa principiis, quam parum congruat cum vera epiſcopi notione, cumque rectis officii epiſcopalis finibus; quam contraria ſit conſuetudini primitivæ eccleſiæ, & ſequiorum quoque temporum hiſtoriæ; quam ambiguo denique & contorto nexu totum illud ſyſtema cohæreat, copioſe heic oſtendere, nec inſtituti noſtri ratio patitur, nec opus eſt, cum largiſſima nobis otia fecerit BOEHMERVS. Vnum duntaxat alterumve, quo ſyſtema hocce premitur, incommodum breviter adtingemus. Itane vero jus omne circa ſacra ad *clerum* propre pertinet, nihil ad magiſtratum, nihil ad eccleſiam? Itane civilis poteſtas ab eccleſiaſtica adeo abhorret, ut, licet utraque eodem tempore, cœtuque conſentiente ſuſcepta ſit, uno tamen *imperantis* officio comprehendi non poſſit? Itane ex pacto publico, & per ipſa pacificationum decreta poteſtatem in ſacra omnem jure tantum *fiduciario* poſſidet princeps epiſcopus, *depoſitarii* inſtar, cui ſpe bene reddendi, pro tempore duntaxat, *ad litium usque compoſitionem* tradita ſit eccleſiæ regundæ provincia. Nonne verendum eſt, ne hac ratione pontificiæ hierarchiæ novum accedat firmamentum, inſidiisque periculoſiſſimis via muniatur. Et ſi nihil plane periculi ſubſit, quid, quæſo, ad rem certam ac legitimam defendendam, ſimulacro opus eſt, cui non modo veritas deſit, ſed natura ipſa repugnet, cum nec univerſa ſacrorum adminiſtratio abſolvatur juribus epiſcopalibus, nec epiſcoporum jura omnia velut *jus*, quod vocant, *ordinis*, conveniant perſonæ imperantium. Denique quid lucri redit ad principes, ſi ex obſoletis impurisque *juris canonici* oraculis, quibus alioquin juſta imperantium poteſtas tantopere dejecta ac diminuta fuit, cura ſacrorum integra explicetur, deſcribatur, & ad hanc quaſi normam exigatur.

§. *VIII.* Nec difficultatibus iſtis prorſus ſe expediunt, qui cum STRYCKIO, aliisque, diſtinguendo inter jus *ſacrorum* & jus *epiſcopale* illud *majeſtati* tribuunt *ſoli*, hoc *ſenatui eccleſiaſtico* ſub imperantis auctoritate adminiſtrandum relinquunt. Nam ſi in *canonum* ſenſu vulgato ſumatur jus epiſcopale, non omnis illa

ut VOETIVS, TEXTOR, CARPZOVIVS, MYLERVS, ZIEGLERVS, REINKINGIVS, BRVNNEMANNVS, aliique, a BOEHMERO in diſs. *de jure epiſc.* excitati, quibus ex recentioribus ſe adjunxit vir ill. & cel. GE. LVD. BOEHMER, *Jureconſultus Gœttingenſis*, idemque HENNINGII filius. Sed nec adverſarii hujus ſententiae deſuerunt, e quibus eminent J. H. BOEHMER, in *diſs. de jure epiſc. princ. evang.* quae *Halæ an.* 1712. prodiit, inſerta deinceps *juri prot. eccl. lib. I. tit. XXXI.*

PFAFFIVS in *jure prot. eccl. p. 252. ſeq.* BVDDEVS in der *Unterſuchung &c. cap. I. II. V.* HOECKDORFIVS *lib. cit. p. 254.* recentius autem b. Jo. ERN. SCHVBERT, in den *Gedanken von den biſchafflichen Rechten der Landesobrigkeit, Helmſtædt, 1763.* & cel. FRID. PLATTNERVS, in diſs. G. L. BOEHMERO oppoſita, *poteſtatem principis in eccleſiam partem eſſe majeſtatis, Lipſiæ, 1766.*

illa potestas exercetur a consistoriis; sin sensu apud *protestantes* recepto, vel nulla erit consistorii jurisdictio, vel a potestate principum discerni amplius non poterit. Rectius vero præcipiunt ii, qui neglecta legum *Romanensium* auctoritate, sacrorum jura cum majestatica, tum collegialia, olim ab episcopis nunc a principibus exerceri solita, innocenti *episcopalium* nomine insigniunt. Quod si enim adsumatur, principes, episcoporum loco ad ecclesiæ gubernacula accessisse, seu, quod idem est, sacrorum jura, ante doctrinæ emendationem ab antistitibus usurpata, jam jam sublato dominatu pontificio, administrari ab imperantibus; res ipsa certe negari non potest, & tota fere controversia in meram verborum contentionem abit. Æque innocens castumque est adsertum, si, quod quidem a nonnullis factum est, *episcopi* adpellatio generatim ad tutorem magistratumque gregis religiosi transfertur, ac jura episcoporum cum juribus supremæ in sacra *inspectionis* commutantur. Ceterum, licet verborum in re eadem diversitas parum habeat momenti, satius tamen est, ab ambigua illa jurium *episcopalium* adpellatione prorsus abstinere, quam per improvidum invidiosi nominis usum, cavillationibus litibusve producendis materiam dare. Sed hæc quoque cautio adhibenda, ne, cum antistitum prærogativæ impugnantur, sacrorum administratio universa *majestati soli* tribuatur, nulla eorum jurium ratione habita, quæ a *collegio* demum in imperantem dimanarunt.

§. *IX.* Cum systemate episcopali arcte colligata est ea sententia, secundum quam jus principum circa sacra ex *pacificationibus religiosis, Augustana & Westphalica* deducitur. (7) Atque hoc quidem nos ipsi facile damus, jura principum decretis istis firmata atque ampliata, & obstaculum, quod iis exercendis intercesserat, omnino sublatum esse, jurisdictione episcoporum *Romanensium* per vim legis a protestantibus semota. At hoc ipsum pacis religiosæ fundamentum, quomodocunque se habeat, nonnisi *civile* est, eo maxime directum, ut reipublicæ non minus quam ecclesiæ securitas, libertas, tranquillitas externa præstaretur. Exercitium vero jurium vel *majestaticorum* vel *collegialium*, hoc fundamento tanquam primario, unice niti, perperam adseritur. Quod enim adtinet ad jura *majestati* propria, his profecto non demum opus erat confirmatione pacificationum, cum in ipsa imperantis notione contineantur, nec sine injustissima usurpatione majestati detrahi queant. Jura vero *collegio* competentia ab alio quoquam, qui ipse iisdem caret, in principes deferri non possunt. Atqui nec imperatorem, nec alios principes, quorum auspiciis pax confecta fuit, juribus collegiorum *protestantium* potitos fuisse, palam est. Quo efficitur, ut ab iis quidem jura ecclesiæ alienari & magistratui committi nunquam potuerint. Accedit, quod, uti supra jam ostendimus, diu *ante pacem religiosam*, ab antiquissima retro rei christianæ ætate, potestas in ecclesiam ab imperatoribus & principibus christianis, inprimisque etiam ab imperii germanici statibus non postulata solum sed & magna ex parte exercita fuerit. Et num quæso pacificationes istæ sufficerent, juribus principum *omnium*, quotquot protestantium cœtus ubicunque moderantur, adferendis? Quid enim ad *exteros* statuta *Germaniæ*? Aliud igitur juribus illis idque commune subsit fundamentum, necesse est. Sed, quod postremo notamus, in ipso *pacis Westphalicæ instrumento* caput quæstionis, num omnium jurisdictio ecclesiastica ab episcopis in *principes* delata sit, decisum non invenitur. Nam tota antistitum potestas cum omnibus, quæ eo pertinent, ita dicitur esse suspensa, ut *intra territorii cujusque terminos jus diœcesanum & jurisdictio ecclesiastica se contineat.* (8) Sic vero non principum

(7) Pacificationum istarum vigore jurisdictionem ecclesiasticam, ab episcopis in principes translatam, iisque pacti publici solemnitate concessam fuisse, contenderunt viri quidam eruditi, (e quibus huic indicasse sufficiat STRYCKIVM, LYNKERVM, STEPHANI, &c.) refutati a STRUVIO, SCHILTERO, ZIEGLERO, HERTIO, ESTORE, BOEHMERO, BUDDEO, PFAFFIO, REINHARDTO, aliisque.

(8) *Instrum. P. W. art. V. §. 48.* Verborum istorum interpretationem meliori lectorum judicio reliquimus.

cipum modo, sed & *ecclesiæ* jura stabilita sunt. Quonam vero pacto jura ecclesiæ restituta exerceri debeant, cuinam potestati sacrorum moderamen omne competat, id quidem definitum non est. Imo, cum status *anni decretorii 1624.* canonis instar positus fuerit, ad quem tota jurisdictio ecclesiastica in terris imperii exigenda esset, sequitur, ut ea tantum *principum* jura stabilita sint, quibus anno isto potiti essent, *coetibus* autem pari modo relicta ac stabilita, quæ tum possedissent, privilegia.

§. *IX.* Transimus ad expendendum systema eorum, qui *majestatem summi* in civitate *imperantis*, seu *superioritatem*, quam vocant, *territorialem* pro fundamento unico habent, cui *omnis* sacrorum administratio superstructa sit. (9) Et hi quidem recte adserunt, societatem religiosam a potestate civili non prorsus exemtam esse, sed auctoritati imperantis subjacere, qui institutis ejus invigilando, ordinem servet externum, caveatque, ne quid ab ecclesia detrimenti in rem publicam illabatur. Sed iidem, cum potestatem circa sacra omnem majestati tribuunt, plus sane justo ejus jura dilatant, & supremam inspectionem, potentiamque disponendi de iis, quæ cum statu civili proxime connexa sunt, ad universam sacrorum administrationem extendunt; facultatem vero *negativam*, qua quid omitti in salutem reipublicæ debeat, præcipitur, commiscent cum potestate definiendi, quid ad obtinendos ecclesiæ fines agendum sit. Vt vero rationes hujus systematis paulo plenius exponamus, discipiendum nobis erit, quibus innitatur principiis, quibus argumentis roboretur, quibus difficultatibus & incommodis laboret.

§. *X.* Vrgent vero ante omnia vulgare illud *Brocardicum: cujus est regio, ejus etiam est religio*; quæ sententia, anceps omnino variisque abusibus, ipso Boehmero teste, obnoxia, si de jure *inspectionis supremæ* explicetur, nihil habet vitii; sin de *absoluta in omnem religionem potestate*, non modo probari nequit, sed periculosa etiam est, & violentis consiliis favet. Sed sententiæ isti, latius sumtæ, varia supponunt fulcra. Sunt, qui discrimen omne inter potestatem causasque fori civilis & ecclesiastici pernegant, ipsamque ecclesiam pro parte civitatis habent, cum societas ecclesiastica ex civibus conflata sit, nostrisque præsertim temporibus totum statum pervadat. Sed ista ratio non evincit, ecclesiam indole collegii propria carere; hoc tantum sequitur, eosdem, qui ad religionem exercendam mutuo pacto coiverunt, civitatis quoque legibus adstrictos esse, communique reipublicæ vinculo teneri. Vtriusque autem consociationis, civilis & ecclesiasticæ indolem, finem, pacta, leges, regimen, jura, instituta eadem esse, seu in unum coalnisse, utriusque œconomiam universam eodem modo sustentari, iisdem contineri terminis, quis hoc unquam probaverit? Alii, agnito licet rei civilis & ecclesiasticæ discrimine, nexum tamen sacrorum omnium cum republica ita constringunt, ut ad ea constituenda, firmanda vel immutanda, auctoritate magistratus simpliciter opus esse pronuncient. At vero, utut religio sanctissimum omnino sit societatis humanæ, fidei, justitiæ firmamentum, quod ne concutiatur, vel in abusum vertatur, summa cura providere debet imperans; tamen idoneis argumentis ostendi non potest, *omnia* religionis instituta proxime influere in civitatem, & e nexu civili judicanda esse, nec nisi jubente magistratu stabilem formam nanciscí. Sunt denique, qui statuunt, actiones civium omnes, religiosas etiam, lege divina non definitas, absoluto magistratus imperio subesse. Sed cum imperium maxime versetur circa ea, quæ ad *finem societatis civilis*, i. e. ad salutem ac tranquillitatem publicam spectant, pactoque civium mutuo exiguntur, non circa ea, quæ ut præstentur, aliorum non interesi; patet, religionis instituta, sub fine societatis pactoque *civili* non comprehensa, nisi reipublicæ adversentur, ab imperio magistratus non pendere.

(9) Opinio haec, a Pfaffio, Liberio, Moshemio, Struvio, aliisque graviter impugnata, post Thomasium & Boehmervm, plures invenit patronos, quorum indicem dedimus in obs. I. §. XX.

§. *XI.* His positis facile adparebit, quam firma sint systematis majestatici robora. *Ecclesiam*, ajunt, *in republica esse, non rempublicam in ecclesia.* Recte, sed collegium illud quod in civitate est, sua gaudet disciplina, suis juribus, ex mutua membrorum consociatione, & communi, quem spectant, fine deducendis. *In una republica potestatem summam leges ferendi & exsequendi divisam esse non posse.* Nec nos divisam statuimus in iis, quæ *ad finem civitatis* pertinent & vim requirunt. *Jurisdictionem in sacris nonnisi majestate deminuta principi derogari posse.* At majestas non imperium in omnia absolutum complectitur, sed finibus certis partim ex lege naturæ, partim ex interna civitatis structura pactique primævi indole, partim ex singularibus constitutionibus circumscripta est. Quidni igitur collegium quoddam in civitate, salva quidem republica, suis stare juribus possit? Imperantis insuper jurisdictio cum proprie versetur circa ea, quæ *cogentibus* instrumentis effici possunt, sacra eo non pertinere, juriumque *collegialium* administrationem ab illa diversissimam esse, res ipsa docet. Obvertunt porro: *Jus omne sacrorum administrandorum contineri in jure supremæ inspectionis, cujus fundamentum sit ipsa majestas.* Atqui hæc jus duntaxat infert cavendi, ne quid agatur in ecclesia, quod reipublicæ detrimento sit, non vero facultatem, *integram* ecclesiæ procurationem suscipiendi. *At, nisi ex propria potestate jura sacrorum exerceat princeps, ab aliis, imo ipsi subditis eadem accepisse censendus est.* Et quid hoc majestati derogat, jura collegii, quæ si originem eorum spectaveris, penes ecclesiam resident, a cœtu ipso in principem translata esse? *Nihil autem in principis imperio, nisi majestas; nihil in majestate, quam complexus jurium summi imperii; imperio igitur in sacris vi majestatis fungatur imperans, necesse est.* Hoc quidem in rebus cum civitatis fine connexis ita se habere, ultro concedimus, in ceteris negamus. Provocant denique ad auctoritatem *pacis Westphalicæ*, qua *jurisdictio principum protestantium ecclesiastica*, & speciatim *jus reformandi ex superioritate territoriali* deducta esset. Sed, licet in P. W. liberum *majestatis* exercitium, tam in politicis quam in ecclesiasticis firmetur, *antiquorum* maxime jurium respectu habito; tamen, quousque illud extendatur, non definitum est; certos autem limites intelligi, partim ex natura potestatis ecclesiasticæ, partim ex universo *instrumenti* tenore elucescit. Jus autem *reformandi*, quod *superioritati territoriali* adnexum dicitur, nec omnem sacrorum administrationem in se continet, nec majestati ita adscribitur, ut subditorum consensus plane non requiratur.

§. *XII.* Jam vero, quid fundamento potestatis ecclesiasticæ in imperii eminentia posito, opponi possit, breviter videbimus. Id quidem contra veritatem illius adserti non leve adfert præjudicium, primo, quod ipsi jureconsulti in definienda *superioritatis territorialis* notione, limitibusque ejus describendis non inter se conveniant; deinde, quod nobilis illa jurium *majestaticorum* & *collegialium* divisio, qua stante jus imperantis proprium in universa sacra cadit, nondum subruta, solidisque argumentis profligata sit. Etenim hoc quam maxime obstat systemati illi, si fas sit dicere, *majestatico*, quod ecclesiæ, ut collegio hominum, libero fœdere ad certum finem consociatorum, sua sint jura, divinitus ipsi concessa ac firmata, pioque, quod sequuntur, instituto adcommodata, quæ sine vi injusta nec minuere nec ad se trahere possit imperans. At quid jurium remanet cœtui, si tota eorum administratio pendeat a majestate? Vel, si radices potestatis illius hæreant in ecclesia, quomodo pars sit regalium? Quin vero ipsa jurium *majestati propriorum* indoles abhorret ab iis, quæ imperium cogens, pœnarumque vim civilium non admittunt, ut sunt causæ ac instituta religionis, disciplinæ societatis fœderatæ mitiori subjacentia. Præterea, si potestas imperii supremi ex *fine civitatis*, id est, ex salute & incolumitate reipublicæ metienda sit; quomodo sacrorum procuratio universa, ex ea saltim parte, quæ fini civitatis non subest, a majestate trahat originem? Denique, cum

non

non pauci ex ipsis imperii summi tutoribus, virtutis, veritatis, salutis æternæ curam ab officio imperantium prorsus excludant, nihilominus autem sacrorum curam integram cum majestate combinatam velint, sane in eo vel sibi ipsis contradicere, vel religionem omnem civilis instar negotii, non sine gravi libertatis periculo, tyrannidi principis relinquere videntur.

§. *XIII.* At totum illud systema, quidquid ceteroquin contestentur cordatiores ejus defensores, ferax est *consecutionum* periculosarum, quæ licet a pluribus non agnitæ, prono tamen alveo inde effluunt. Etenim, si plena sacrorum administratio pars majestatis est, nullis certe continetur limitibus, nisi iis, quos salus publica præscribit. Integrum itaque erit principi, in causis religionem concernentibus, quodcunque libuerit, sancire, impedire, tollere, quantum quidem per civilia commoda fieri poterit. Licebit ipsi, sanctiones suas civilium pœnarum minis firmare, & ad compescendos eos, qui sub conscientiæ prætextu obedire noluerint, vim imperii adhibere. Ipsa religione, rebusque cum ea connexis, nisi sanioribus præceptis veroque pietatis sensu imbutus sit, utetur tanquam mero imperandi instrumento; quæ cum fine civitatis cohærent, credenda & agenda retinebit, quæ minus in rempublicam influere videntur, de iis ceu de rebus mediis disponet, & dictatoria prorsus potestate in omnibus fungetur. Hoc autem quid est, nisi invisa illa diuque profligata *cæsaropapia*, & via proxima ad tyrannidem *Hobbesianam*, qua nihil immoderatius ac pestilentius, nihil libertati juribusque hominis & civis, nedum christiani, inimicius cogitari potest. Non ignoramus quidem, plurimos eorum, qui majestati favent, detestari hanc tyrannidem, defendere conscientiæ jura, ex indole religionis, & ecclesiæ salute, quæ suprema semper lex sit, limites potestatis in sacra describere imperantibus. Nec negamus, quod objiciunt, quamcunque aliam regiminis ecclesiastici formam surrepentibus adfici vitiis, nisi pii, prudentes, commodisque ecclesiæ provehendis intenti sint ejus administratores. At vero, cum limites, quibus *illi* potentiam imperantis definiunt, non ex notione majestatis, vel finibus reipublicæ, sed aliunde deducti sint; manet certe hoc, in systemate majestatico ad abusus fovendos, & conscientiæ jura minuenda summam esse proclivitatem.

§. *XIV.* Postremo, ut hoc sigillatim notemus, systema illud parum prospicit juribus cœtuum, ditioni imperantis, qui alia sequitur instituta, subjectorum; quod inprimis *protestantibus Germaniæ* nostræ ecclesiis valet, si imperans, cui subsunt, romanis sacris addictus sit. Quodsi enim majestati adhærent sacrorum jura; quidni princeps integram ecclesiæ, licet ab ipso secretæ, administrationem postulet, *instrumenti* vero *Osnabrucensis* sanctionem, vel tanquam injustam & absonam infringat, vel aliena interpretatione in suas partes detorqueat? Fatemur quidem, majestatis illos tutores longe abesse a proditione jurium tam sancte nobis firmatorum, tantoque pretio adquisitorum. Diserte enim monent, jura principum, qui alienis utuntur sacris, restrictiora esse; jurisdictionem ecclesiasticam in Germania ad *annum normalem* exigendam, partium æqualitatem servandam, libertatem ecclesiæ tuendam, verbi divini vocem, ipsamque sanam rationem, quæ dominum ecclesiæ alienum recuset, audiendam esse. At sacrorum juribus a majestate deductis, debilia sunt hæc protestantium munimenta, & perquam difficulter satisfieri poterit morosiorum objectionibus. Eædem vero limitationes juris majestatici, ad quas tanquam ad arcem confugiendum est Thomasii sectatoribus, satis superque nos condocent, illos ipsos cum molestia experiri, quam variis difficultatibus laboret, & nodis fere inexplicabilibus implicita sit ipsorum sententia, quam multis denique, ne in abusum trahatur, cautionibus opus habeat, quibus cum utuntur, profecto in longe mitiorem descendunt sententiam, imo oppugnata alioquin collegii jura, suis ipsi rationibus supponere videntur.

§. *XV.* Expensis hactenus variis sententiis de fonte, ex quo potestas imperantium in ecclesiam derivanda sit, ultimo loco succedit *systema*, ut adpellare amant, *collegiale*, quod, si quidem recte judicamus, facilitate, perspicuitate, convenientia sua præ reliquis sese commendat. (10) Atque hujus summa, ut breviter eam exponamus, eo maxime redit, alia esse jura imperantis, *majestatica* vel *absoluta*, ex *superioritate territoriali* fluentia, alia vero *collegialia*, toti ecclesiæ, tanquam collegio, cui suis uti institutis liceat, ex mutuo membrorum pacto radicitus insita. *Illa* ad imperium civitatis omnino pertinere, absolvique suprema in cœtum religiosum inspectione, & potestate etiam leges ferendi, ac vi adhibita exsequendi, qua externus ecclesiæ ordo, quantum quidem civilem adficit nexum, conservetur, ac provideatur, ne sub calumnia religionis res publica detrimenti quid capiat. Alius autem indolis esse jura collegii. *Hæc* ad ecclesiæ, non civitatis finem directa, versari circa ea, quæ cum ipsa religione, disciplinaque sanctiori, cujus exercendæ causa cœtus coaluit, arctius cohærent. Jurium vero istorum administrationem, ab omni vi aut majestatis usu alienam, subesse quidem auctoritati magistratus, sed ad integrum collegium æqua conditione referendam esse; nec proprio ausu ab imperante usurpari posse, nisi summa necessitas id poposcerit. Sed quanquam pars maxima curæ circa sacra originario jure ipsi ecclesiæ competat, tamen integrum ei esse, quin certo tempore ordini salutique piæ societatis magis convenire, ut jurium collegialium exercitium principibus committatur. Atque ex hac ratione, consentiente quidem cœtu, potestatem in sacra ad principes *Germaniæ protestantes* perveniisse. Nimirum, cum sacris purioribus introductis, episcopi Romanenses jurisdictione in cœtus *evangelicos* excidissent, factum esse, ut jura illa collegialia episcopis adempta, & ecclesiæ restituta, communi cœtuum protestantium consensu, vel per singulos doctores statusve provinciales subinde declarato, vel etiam tacito, principibus, sacrorum emendatorum sociis exercenda relinquerentur.

§. *XVI.* Huic autem jurium collegialium in principes translationi justissimas subesse causas docent. Ecclesiæ enim hodiernæ, latissime jam patentis ac per totam civitatem diffusæ integram administrationem nemini melius committi potuisse, quam imperantibus, si quidem isti iisdem, quibus subditi, sacris sint addicti. Hos opibus, auctoritate, potentia ad promovendam, ecclesiæ salutem, ad servandum ordinem, ad dirigendam societatem quam plurimum valere. Hos munificentia, tutela, meritis in ecclesiam illustribus, ad regimen ejus capessendum, gradum proximum sibi parasse. Hos, cum membra sint ecclesiæ, quibus præ reliquis obligatio imposita, causam ejus tuendi, cum inspectione in cœtum suprema curam ejus reliquam optime conjungere. Hos denique factis, ad præstandam ecclesiæ incolumitatem susceptis, in ipsa maxime sacrorum emendatione comprobasse, quam eximia in iis facultas sit, ecclesiæ porro regundæ. Exerceri itaque a principibus protestantibus collegii jura, non vi quidem majestatis, (salva enim imperii eminentia carere eorum usu potuissent) sed totius ecclesiæ nomine, consensu, adprobatione, quippe quæ optime sibi consuli existimaverit, si potestas, ob civium multitudinem ab integro cœtu non amplius administranda, esset penes imperantem, religionis suæ socium atque adjutorem. Hæc denique principum jura ultimum accepisse sigillum in *pace religiosa*, cujus ea sit vis, ut procuratio sacrorum, imperantibus jam tradita, adimi ipsis nequeat, si quidem recte, hoc est, non in perniciem, sed in salutem ecclesiæ ea defungantur.

§. *XVII.*

(10) Defensores hujus systematis, cujus fundamenta posuit PVFENDORFIVS, jam supra indicavimus §. XVIII. conf. PFAFFII *Kirchenrecht*, p. 24. D. HOECKDORF, *lib. cit. p. 271.* MOSHEMII *Kirchenrecht der Protestanten*, p. 574. S. R. D. FABER, in *diss. cit. p. 21. seq.*

§. *XVII.* Hoc igitur est systema illud *collegiale*, quod *absoluta* sacrorum jura ex majestate repetit, jura vero *collegii* ab ipsa communitate in principem delata esse statuit. Et in eo quidem, quod præcipuum est, conveniunt sententiæ istius fautores, ecclesiæ toti propria competere jura, quorum administratio a principibus protestantibus inde a sacrorum emendatione, cœtu nec dissentiente nec improbante suscepta sit. Sed in ampliori systematis hujus efformatione, maxime cum de *modo* quæritur, quo jura collegii in principes translata sint, disceptationem aliquam & varietatem explicationum nasci videas. Alii enim jurium collegialium in principes translationem deducunt totam ex *consensu* ecclesiæ, eumque consensum vel verbis declaratum, vel factis proditum, vel expressum una cum tacito ponunt, & partim ex testimoniis undecunque collectis, partim ex ipsa rei indole probare adnituntur. Alii vero pactum quoddam ecclesiæ cum principe initum, tanquam fictitium pernegantes, provocant ad *facta* imperantium, quibus potestatem in sacra, cum consensu ecclesiæ præsumto sibimet adseruerint. Nimirum, cum principes, re sacra in terris suis immutata, non modo ipsi ecclesiæ puriori sese adjungerent, sed eandem quoque, a dominatu pontificio liberatam, in nativam libertatem restituerent, beneficiis largissimis impertirent, saluti ejus & securitati omni modo prospicerent; non potuisse non pios illos imperantes, ad procuranda & servanda ecclesiæ tanta emolumenta, potestatem in sacra moderatricem adsciscere, jusque collegialium usum cum suprema in cœtum inspectione combinare. Et hoc ipsum *factum*, quo re ecclesiæ ita poscente regimen ejus suscepissent, fundamentum esse volunt administrationis perpetuæ in principes devolutæ. Alii denique usum jurium collegialium in principes protestantes delatum ex *necessitate rei*, & *salute* tum ecclesiæ, tum reipublicæ derivant. Cum enim ecclesia nostris temporibus, totam rempublicam permeet, unaque cum imperante civium universitatem complectatur; cum instituta ecclesiæ civilibus institutis immixta, intimeque connexa sint; cum crescente morum corruptione fines, quorum causa coaluit sanctior societas, vix obtineri amplius possint, nisi auctoritate summi imperii intercedente; cum ipsa ecclesia varii generis adjumenta, præsidia, privilegia, dignitatem quoque externam ab imperante desideret; nihil ecclesiæ commodis fuisse convenientius, quam ut jura collegii, in sacrorum communione summis potestatibus administranda concederentur.

§. *XVIII.* Sed quacunque tandem forma systema suum induant jurium *collegialium* adsertores, non tamen ita inter se discrepant, ut variæ illæ sententiæ mutuam inire concordiam, & amico vinculo conjungi non possint. Imo universa disciplina de potestatis ecclesiasticæ in principes transfusione ita comparata est, ut non modo neutram explicationum illarum excludat, sed sine illis ne cohærere quidem & consistere queat. Cum enim exercitium jurium collegialium a cœtibus in principes *translatum* dicitur, non intelligitur solemnis quædam certoque civili nomine munita delegatio, sed consensus populi & congratulatio in ipsa principum facta, quibus susceptis ecclesiæ administrationem capessiverunt. Et cum ad *res* ab imperantibus in rei sacræ commoda *gestas* provocatur; quid hoc est, nisi provocare ad id, quod votis communibus expetitum, publicisque adclamationibus bonorum omnium adprobatum fuit, qui, si fines bonos cupiebant, ecclesiæ nimirum instaurationem, splendorem, incolumitatem, certe in instrumenta & auxilia finium illorum adsequendorum consensisse censendi sunt. Communia autem vota, preces, gaudia de rebus per principum auctoritatem in ecclesia gestis, fiducia, amor, parendi alacritas, hæc si non consensum probant, nihil probat. Denique, exsequendis *consiliis honestissimis* studia, curas, potentiam omnem intendere, ut pii illi *principes* fecisse celebrantur, rem diu exoptatam, in salutem ecclesiæ, flagitante ipsa necessitate perficere, agere ita, ut nemo melius & commodius; quid hoc est, nisi agere

ex

ex consensu *præsumto*? consensus autem præsumtus, qui ex certa alterius utilitate, apertisque æquitatis legibus cognoscitur, ab eo, qui dictis factisve declaratur, ratione fundamenti tantum differt, & modi, quo intelligi solet, virtute & efficacia non differt. Damus igitur hoc, suffragia populi pro potestate imperantium in sacris numquam collecta esse; desint per nos monumenta, ex quibus publica integrorum cœtuum ad principes declaratio probari possit; nihil potestatis conceptis apertisque verbis, & pacti publici solemnitate ad principes delatum sit; num vero documentis hisce opus est, ut ostendatur, jura sacrorum, origine tenus ecclesiæ competentia, consentiente cœtu perveniisse ad principes? Nonne doctorum, quorum summa fuit auctoritas, testimonia perspicua pro voce populi accipi possunt? Nonne res ipsa clarius verbis loquitur? Nonne vehemens illud disciplinæ melioris desiderium, tristissimæ corruptionis exitus optatissimus, instituta principum ecclesiæ saluberrima, felix ille novi regiminis successus, nonne securitas, tranquillitas, vigor cœtuum antea oppressorum, pro sufficientissimo consensus expressi supplemento reputanda sunt? Jungatur igitur testimoniis doctorum perspicuis, adsensio populi tacita & præsumta; combinentur cum consensu collegii facta principum; cum factis ecclesiæ & principum necessitas & salus publica; ita plenum atque evolutum existet systema collegiale.

Constitutum nobis erat, hanc de jure sacrorum præcipiendi rationem uberioribus confirmare argumentis, adversaria dissolvere, usumque & convenientiam systematis nostri, adductis rationibus ostendere; sed cum temporis angustia pedem heic figere nos jubeat, lectores nostros tantisper ad PFAFFIVM & LIBERIVM ablegamus, cogitata nostra alia fortassis occasione plenius explicaturi.

Corrigenda in supplemento.

P. 382. §. XVIII. lin. 24. *de juribus ecclesiæ imperantium*: lege: *de juribus ecclesiæ* pariter ac *imperantium*.



CON-

CONSPECTVS
LOCORVM,
CAPITVM, SECTIONVM ET RELIQVORVM
CONTENTORVM
IN TOMO HOC XIV. OCCVRRENTIVM.

Loci XXV.
DE MAGISTRATV POLITICO.

PARS II.

SECTIO I.

de officiis magistratus erga Deum.

Officia magistratus erga Deum consistunt in *pietate* vera, cujus declarantur
I) *motiva*. §. CXLII.
II) *nutrimentum*, verbi divini studium & sedula meditatio. §. CXLIII.
III) *requisita* & partes.
1) preces. 2) animi humilitas. 3) vitæ integritas. §. CXLIV.

SECTIO II.

de officiis magistratus magistratus erga se ipsum.

Officio magistratus *erga se ipsum* posita sunt in *continentia*, ad quam pertinent
I) *Sobrietas* & temperantia. §. CXLV.
II) *Castitas*. §. CXLVI.
III) *Modus in cultu corporis*. §. CXLVII.
IV) *Robur* & magnitudo animi. §. CXLVIII.

SECTIO III.

de officiis magistratus erga Domesticos.

Explicantur *officia* magistratus.
I) Erga *parentes*. §. CXLIX.
II) Erga *conjugem*. §. CL.
III) Erga *liberos*. §. CLI.
IV) Erga *fratres*, *sorores* & *agnatos*. §. CLII.
V) Erga *consiliarios* & ministros aulicos. §. CLIII.

SECTIO IV.

de officiis magistratus erga æquales, vicinos sc. populos, & magistratus alios.

A) *Enarrantur hæc officia*, quæ sunt
1) concordiæ studium.
2) in fœderibus pangendis prudentia.
3) pactorum fides.
4) honor legatis debitus. §. CLIV.
B) *Quæstiones* excutiuntur:
I) An licitum sit pio magistratui, cum *diversæ religionis* hominibus *fœdera inire?* §. CLV.
* *occasionem* disputationis super hoc argumento, & *scripta* præcipua huc pertinentia commemorat nota *Editoris*.
1) Adducuntur rationes *negantium*, §. CLV. & *affirmantium*. §. CLVI.
2) Declaratur sententia *auctoris*, sub certis distinctionibus *affirmans*; §. CLVII. & ad *contraria* argumenta respondetur. §. CLVIII.

* His subjungit *Editor* in nota, suffragia aliorum eruditorum, suamque ipsius *epicrisin*: ostendit etiam ὡς ἐν παρόδῳ rationem, cur *Ebræi Aegyptiis* fuerint abominationi.

II) An *principi fidem fallere* sit *integrum?* §. CLIX.

* *Editor* heic copiose disserit de famoso illo politico, *Machiavello*, hoc quidem ordine:

1) Citatis, qui de ipso data opera scripserunt, *auctoribus*, breviter narrantur *vitæ ejus* rationes.

2) *Scriptorum Machiavelli* præcipuorum, maxime pernicioſi illius tractatus *de principe* historia traditur.

3) Virorum eruditorum de eo *judicia diversa* exhibentur, eaque inprimis scripta recensentur, quæ *impietatis* adcusant *Machiavellum*.

4) Inter eos, qui calamum contra *Machiavellum* strinxerunt, laudatur præclarum illud *regiæ manus opus*, cui inscriptio est: *l'Antimachiavel* &c.

5) *Defensores atque excusatores Machiavelli* nominantur.

6) Ex ipsis *Machiavelli* scriptis luculenta proferuntur testimonia, quæ manifestæ impietatis & detestandæ pravitatis ipsum arguunt.

III) An *legati* semper haberi debeant *inviolabiles?* §. CLX.

* Auctores quosdam *de jure legatorum* suppeditat nota *Editoris*.

SECTIO V.

de officiis magistratus erga subditos.

I) *Generatim subditis debent* magistratus

1) amorem & benevolentiam, §. CLXI.
2) comitatem, §. CLXII.
3) clementiam, §. CLXIII.
4) liberalitatem & beneficentiam, §. CLXIV.
5) solicitam reipublicæ curam, §. CLXV.

II) *Speciatim ad tria membra* revocari potest officium magistratus erga subditos, secundum 1 Tim. II, 2. Curent nimirum, ut subditi vivant

1) ἐυσεβῶς.
2) σεμνῶς καὶ δικαίως.
3) ἡσυχῶς.

Est ergo officii magistratus erga subditos

MEMBRVM I.

de cura magistratus circa sacra.

A) *Quod* ad magistratum politicum *religionis & sacrorum cura* pertineat

I) *demonstratur*

1) ex *mandatis divinis*. §. CLXVI.
   α) Deut. XVII. 18.
   β) Psalm. II, 12. §. CLXVII.
   γ) Psalm. XXIV, 7. §. CLXVIII.
   δ) 1 Tim. II, 1. §. CLXIX.
2) ex divinis *promissis*.
   α) Pſ. XXII, 30. §. CLXX.
   β) Pſ. XLVII, 10.
   γ) Pſ. LXXII, 11.
   δ) Eſ. XLIX, 23.
3) ex *encomiis*, magistratui datis. §. CLXXI.
4) ex probatis *exemplis*. §. CLXXII.
5) ex *rationibus* variis. §. CLXXIII.
6) ex *patrum* dictis. §. CLXXIV.

His accedit *constitutio pacificationis Passavienſis*, qua cautum est, ne jurisdictio ecclesiastica ab episcopis pontificiis adversus Augustanæ confessionis socios exerceretur. §. CLXXV.

II) *Vindicatur* jus principum circa sacra contra *antithesin anabaptistarum & pontificiorum*, qui magistratum politicum a cura religionis & sacrorum penitus exclusum volunt, argumentis usi, desumtis §. CLXXVI—CLXXXII.

1) a punitione *Vſæ & Vſiæ*.
2) a *Christi* ordinatione.
3) ab ecclesiastici & politici muneris confusione.
4) a consecutione absurdi.

B) *Quatenus* cura sacrorum & religionis ad magistratum spectet, explicatur.

I) *Generatim limites juris* illius, & *officia* magistratus politici *circa sacra* constituuntur ex *fine*, qui ipsi propositus esse debet. Hic finis est cultus divini & veræ religionis propagatio. Curet igitur pius magistratus, ut vigeat *veræ religionis integritas* & *cultus divini sinceritas*; ad quam obtinendam duo requiruntur, *veræ* scilicet religionis & recti cultus diligens *conservatio*, & religionis *collapsæ* cultusque depravati *instauratio*. Munus autem hoc circa sacra postulat ante omnia ab *ipso* magistratu *veræ religionis* ex sacris literis *cognitionem*. §. CLXXXIII.

II) *Speciatim* exponuntur *officia magistratus circa sacra*, quæ eo reducunt, ut

1) *religionis sinceritatem* & *cultus integritatem* conservari *curet*; quod fit
   α) *idoneos* ecclesiæ *ministros* constituendo, §. CLXXXIV.
      * *Editor* in notis *auctores* excitat, *errores* eorum notat, qui *circa constitutionem ministrorum nimium tribuunt* magistratui, & cumprimis quæstionem, an *jus vocandi* ministros *plebi* christianæ competat, copiose pertractat, expensis sententiarum inter ipsos etiam *pontificios* doctores super hoc argumento divortiis.

Huc pertinet

a) scholarum erectio & conservatio; §. CLXXXV.
b) ministrorum honesta *sustentatio*, §. CLXXXVI.
c) ordi-

c) *ordinis* inter ministros institutio; §. CLXXXVII.
d) ministrorum *flagitiosorum* remotio. §. CLXXXVIII.
β) *leges* ecclesiasticas promulgando, §. CLXXXIX-CXC.
γ) *bona* ecclesiæ *legitime* dispensando, §. CXCI-CXCIII.
δ) ecclesiæ *inspiciendo*,
a) per ecclesiarum *visitationem*. §. CXCIV.
b) per *synodorum* convocationes. §. CXCV.
ε) *Collapsum divini cultus exercitium restituat*. §. CXCVI. Huc pertinet
α) in *hæreticos inquisitio*.
β) eorundem *coercitio*. §. CXCVII.
γ) *idololatricorum* cultuum *abolitio*. §. CXCVIII.

C) *Quæritur* hoc loco:
1) An *disputationes de religione* in republica *ferendæ*? §. CXCIX.
2) An *libri hæreticorum prohibendi*?
3) An magistratus subditos ad *fidem cogere* debeat? §. CC.
4) An magistratus debeat *plures religiones* in republica *tolerare*? §. CCI. CCII.
5) An *pacificatio passaviensis adprobanda*? §. CCIII.
* Notitiam librorum, occasione pacis hujus religiosæ a *protestantibus* ac *pontificiis* in lucem emissorum, suppeditat nota *Editoris*.
6) An pacificatio *passaviensis exspiraverit post decreta concilii Tridentini*? §. CCIV. Hoc *negatur* maxime ex ea ratione, quia concilium Tridentinum pro generali, libero atque christiano haberi nequit. §. CCV — CCX.
7) An *fides hæreticis servanda*? §. CCXI.
* *Editor* notas adjicit literarias, in quibus de nomine hæreticorum, & de sententia Cardinalis Hosii, quædam subjicit, aliosque rigidiorum contra hæreticos statutorum patronos ex *pontificiis* excitat. Inprimis vero, quid de *fracta* Hvsso *fide* statuendum sit, ostendit, adductis insimul ipsis synodi *Constantiensis* verbis, quibus Johannes Hvss promisso salvo conductu indignus ob hæresin declarabatur. Denique eliditur objectio *Jesuitarum Trivoltiensium*, quasi Hvsso tantum immunitas *ab injusta vi* non autem a pœna debita, fuerit promissa; salvus autem conductus, ab *imperatore*, Hvsso concessus, non ligare potuerit judicem ejus ecclesiasticum, quo minus in eum animadverteret. Exhibet vero *Editor* in alia nota alios ex pontificiis, eosque de fide hæreticis servanda melius sentientes.
8) An magistratus *juramentum religionis exigere* possit? §. CCXII.
9) An magistratus *vicinorum, religionis causa pressorum*, curam gerere debeat? §. CCXIII.

Sub fine dicitur de officio magistratus in promovenda subditorum pietate. §. CCXIV.

MEMBRVM II.

de cura magistratus circa honestatem & justitiam.

Officium magistratus in promovendo apud subditos honestatis & justitiæ studio, cujus summa proponitur §. CCXV. CCXVI. versatur
1) in *ordinando*, seu in legibus fanciendis.
2) in *judicando*, seu judiciis juxta legum normam exercendis.
3) in *puniendo*, seu suppliciis adversus transgressores legum statuendis.

Hinc potestas magistratus dividitur in legislatoriam, judicatoriam ac punitoriam.

ARTICVLVS I.

de legibus politicis.

Consideratur
I) *Legum dignitas*, elucescens ex earum
1) necessitate. §. CCXVII.
2) utilitate. §. CCXVIII.
3) auctore supremo. §. CCXIX.
II) *Causa* legum
1) *efficiens principalis* est Deus. §. CCXIX.
2) *instrumentalis* sunt legislatores in qualibet republica. §. CCXX.
Horum requisita sunt:
α) publica *potestas*.
β) *prudentia* directrix.
γ) *publici boni studium*. Quæritur:
a) An magistratus habeat *ferendarum legum potestatem*. §. CCXXI.
* Circa *abrogationem legum forensium*, a Mose promulgatarum, tres præcipuas eruditorum sententias recenset nota *Editoris*.
b) An ad legem requiratur *promulgatio*? §. CCXXII.
III) *Materia* legum civilium positivarum statuuntur in *genere τα νομιμα*, i. e. ea, de quibus leges ferri possunt ac debent. Hæc autem sunt
τα δικαια, δυνατα, χρησιμα, καθολικα και μελλοντα. §. CCXXIII.
In *specie*, ea, de quibus leges ferendæ sunt, revocantur ad duplex genus, *personarum* & *rerum*. De utroque moventur aliquot *quæstiones*. §. CCXXIV.
1) De *personis*.
α) An *tolerandi* sint in republica *Judæi*? §. CCXXV—CCXXVII.

* Scriptores quosdam de hocce argumento exhibet, simulque de satis libri ab *Eisenmengero* evulgati, cui titulus est: *entdekktes Judenthum &c.* nonnihil subjicit *Editor*.

β) An *peregrini* in *civium* numerum recipiendi? §. CCXXVIII.

γ) An *Zigeuni* commorandi hospitium in republica concedendum sit? §. CCXXIX.

* De *cingaris*, eorumque natalibus *Editor* in nota ablegat ad *Wagenseilium*, & edicta quædam imperii *germanici*, speciatim ducatus *Wirtenbergici*, contra illos edita, breviter recenset.

δ) An *mendicantes* in republica tolerandi? §. CCXXX.

ε) An *ortosi* in republica ferendi? §. CCXXXI.

2) Circa *res*, de quibus leges sunt sanciendæ, notata earum vi atque diversitate, §. CCXXXII. quæritur:

α) An *asyla* instituenda? §. CCXXXIII.

* *Editor* in larga notarum copia

(1) vocis *asyli etymologiam* explicat.

(2) *scripta* rem præsentem illustrantia laudat.

(3) *origines juris asylorum* pandit.

(4) vim & rationem ejus, *limites*que lege *Justiniani* constitutos declarat.

(5) in terris *protestantium* jus asyli exstinctum esse, & templis etiam atque monasteriis *catholicorum*, quæ principis *evangelici* regimini subsunt, *jure denegari*, condocet.

β) An *usuræ* in republica tolerandæ? §. CCXXXIV.

* *Auctores* præcipuos de *usuris*, earumque moralitate in medium adducit nota *Editoris*.

a) Usuras *lucratorios* & *immoderatas* damnatas esse ostenditur §. CCXXXIV. CCXXXV.

b) *Census* autem *annuos*, *moderatos* quidem & *compensatorios*, *licitos* esse, probatur

(1) ex naturali æquitate. §. CCXXXVI.

(2) ex christiana caritate. §. CCXXXVII.

(3) a magistratus christiani auctoritate. §. CCXXXVIII.

(4) ex aliorum contractuum paritate. §. CCXXXIX.

(5) ex humanæ societatis utilitate. §. CCXL.

c) Monetur, respiciendum esse ad *circumstantias* in pecuniæ elocatione. §. CCXLI.

d) Respondetur ad argumenta eorum, qui *simpliciter* census annuos *improbant*, provocantes

(1) ad dicta *veteris testamenti*: Exod. XXII, 25. Lev. XXV, 35 &c.

R. Dictis istis non absolute omnes census, sed injustas duntaxat usuras, a pauperibus mordenter exactas prohiberi; officium vero mutui, indigentibus *gratis* præstandum inculcari, prolixe demonstratur §. CCXLIII—CCXLVIII. Idem tenendum de aliis fundamentis, quæ quidem non ejusdem sunt roboris, ut ex Gen. XLVII. 24. Deut. XXIII, 20. Matth. XXV, 26. §. CCXLIX. CCL.

Imo, si generalis adeo prohibitio insit in illis legibus, morale tamen ab usu forensi & judiciali distinguendum esse, docetur §. CCLI. CCLII.

(2) ad dictum *Christi* Luc. VI, 35. ubi notandum, Christum loqui de mutuo eleemosynario, non autem de mutuo officioso & compensatorio. §. CCLIII—CCLV.

(3) ad *rationes* varias. §. CCLVI.

(4) ad *juris canonici* dispositionem. §. CCLVII.

(5) ad auctoritatem *Lutheri*. §. CCLVIII.

γ) An *mercaturæ* in republica sint tolerandæ? §. CCLIX. CCLXX.

δ) An *jus talionis* probandum? §. CCLXI.

IV) *Forma* legum positivarum,

1) *interna*. §. CCLXII.

2) *externa*. §. CCLXIII.

De *differentia* legum *positivarum* a lege *naturali*. §. CCLXIII.

V) *Finis* legum positivarum; §. CCLXV.

1) *intermedius*, studium virtutis & honestatis.

2) *ultimus*, salus reipublicæ.

VI) *Effectus* legis, *obligatio*. §. CCLXVI. Quæritur

1) An leges positivæ etiam *magistratum* obligent? §. CCLXVII. CCLXVIII.

2) An leges civiles violatæ obligent in *conscientia*? §. CCLXIX. CCLXX.

VII) *Adjuncta* legum civilium. §. CCLXXI.

ARTICVLVS II.

de Judiciis.

Ratio ordinis ostenditur, legum nimirum executionem spectari tum in *judiciis*, ut juxta earum normam sententiæ ferantur, tum in *supplicits*, ut transgressores legum pœnis afficiantur, contra vero bonis & obedientibus præmia conferantur. §. CCLXXII.

In hac ipsa tractatione

A) Excutienda venit *quæstio*, *an liceat magistratui exercere judicia*, & an homo christianus possit salva & illæsa pietate in judicio coram magistratu contra proximum agere? §. CCLXXIII.

* *Editor* in nota ablegat ad tom. XIII.

1) *Affirmativa* probatur

1) ex dictis scripturæ S. §. CCLXXIII. CCLXXIV.

2) a commodis judiciorum, §. CCLXXV.

3) a probatis exemplis. §. CCLXXV.

4) a judiciorum necessitate,

5) ab analogia disciplinæ, patrisfamilias in ordine œconomico commissæ. §. CCLXXVIII.

Adduntur quædam *limitationes* ad cavendos abusus. §. CCLXXIX.

II) *Con-*

II) *Contraria Anabaptiſtarum argumenta* conſelluntur,
1) ex Matth. V, 38. §. CCLXXX. CCLXXXI.
2) ex 2. Cor. VI, 7. §. CCLXXXII.
3) ex aliis dictis male adplicatis. §. CCLXXXIII.

B) Proponuntur *canones* judiciorum recte exercendorum. §. CCLXXXIV.

I) Canon *generalis*: Judex ſit juſtus & recte judicet.

II) Canones *ſpeciales*: A judice exſulent
1) ἀσέβεια. §. CCLXXXV.
2) προσωπολημψία. §. CCLXXXVI.
3) τῶν παθῶν ἀτυξία. §. CCLXXXVII.
4) προπέτεια. §. CCLXXXVIII.
5) ψευδολογία. §. CCLXXXIX.
6) δωροδωκία. §. CCXC.
7) ἀδωτία. §. CCXCI.

C) Subnectuntur *quæſtiones*.
I) An judex ſemper judicare debeat *ſecundum leges*? §. CCXCII.
II) An judex *ſecundum acta & probata*, an vero *ſecundum conſcientiam* judicare debeat? §. CCXCIII. CCXCIV.

ARTICVLVS III.

de Suppliciis.

Indicatur *nexus* cum antecedentibus. §. CCXCV. (nimirum, vis legum ſeſe exſerit per præmia bonorum & pœnas malorum) §. CCXCVI.
* De *ſuppliciis*, apud *Judæos* uſitatis, ſcripta exhibet *Editor*.

A) *Generatim* demonſtratur, quod *liceat*, imo incumbat magiſtratui, *pœnas irrogare legum transgreſſoribus*. §. CCXCVII.

B) *Speciatim* agitur *de pœnis capitalibus*, ubi quæritur, an liceat magiſtratui, præſertim in nov. teſt. *pœnas capitales irrogare?*
I) Rationes ſententiæ *adfirmativæ* adferuntur
1) ex lege divina *ſcripta*:
α) *vet. teſt.* a) Gen. IX, 6. §. CCXCVIII.
b) ex ſtatutis quibusdam legis moſaicæ. §. CCXCIX.
β) *nov. teſt.* a) Matth. XXVI, 52. §. CCC.
b) Rom. XIII, 4. §. CCCI.
c) Apoc. XIII, 10. §. CCCII.
2) ex lege *non ſcripta*, mentibus inſita. §. CCCIII.
3) ex variis *rationibus*. §. CCCIV.
4) adduntur *patrum* dicta. §. CCCV.
II) Producitur *antitheſis*.
1) *Anabaptiſtarum*, cum argumentis, quibus uti ſolent. §. CCCVI.
2) *Phoeniarum*, qui gratis urgent
α) effatum Chriſti, Matth. V, 44. §. CCCVII.
β) exemplum *adulteræ*. Joh. VIII, 11. §. CCCVIII.
* *Editor* de *hiſtoria mulieris iſtius adulteræ* varias criticas atque literarias obſervationes adjicit; auctores ſuper hoc argumento conſulendos, variarumque ſententiarum patronos excitat, inprimis ad textum explicandum quædam admonet, & ſententiam *Woolzogenii* ipſis ejusdem verbis recitat.
γ) *mandati defectum*. §. CCCIX.
III) *Poriſmata* ſubjunguntur:
1) *Carnifices* & lictores *non infames* eſſe, nec ab uſu ſacrorum arcendos. §. CCCX.
2) Magiſtratum non poſſe *capitalia* ſupplicia *ſemper & ubique remittere*. §. CCCXI.
* *Editor* in largis notis auctores exhibet de *jure ægratiandi*, & controverſiam ſuper iſta veniæ reo dandæ licentia exortam enarrat, laudato inſimul ſcripto recentiori V. C. *de* Mareesvon der *Todesſtrafe des Mörders*.
IV) *Canones* traduntur de *irrogatione pœnarum capitalium*. §. CCCXII.

C) Explicantur *quæſtiones*:
I) De *modo irrogandorum ſuppliciorum*.
1) An probanda ſit *ſortitio de pœnis*? §. CCCXIII.
2) An proportio *arithmetica*, an vero *geometrica* in pœnis obſervanda? §. CCCXIV.
* Nota *Editoris* exponit, ad quodnam juſtitiæ genus *pœnæ* ſint referendæ.
II) De *objectis* capitalium ſuppliciorum.
1) An *adulteri capitali ſupplicio* ſint adficiendi? §. CCCXV.
2) An *hæretici capitali ſupplicio* adficiendi? §. CCCXVI.
* Auctores de *pœnis hæreticorum* adlegat nota *Editoris*.
α) Traditur adſertum
א) *pontificiorum* confirmatum
a) ipſorum *verbis*.
b) *factis*. §. CCCXVIII.
* Scriptores de *inquiſitione Hiſpanica* in nota profert *Editor*.
ב) querundam ex *Calvinianis*. §. CCCXVIII.
* *Editor* in notis copioſis
α. differit de *Calvini* libello, *quod hæretici gladio ſint puniendi*, ejusque occaſione, de ſupplicio *Serveti*, adductis tum iis, qui *Calvinum* hujus rei cauſa in ſcriptis publicis reprehenderunt, tum iis, qui patrocinium ejus in ſe ſuſceperunt; inter quos eminet *Fr. Turretinus*, cujus verba quædam apologetica *pro Calvino* proferuntur.
β. ex *pontificiis*, qui hæreticos e medio tollendos, publicis in ſcriptis adſerunt, notat *Editor* inprimis famoſum illum *Jaworskii* librum, cui titulus eſt: *lapis ſeu petra*

petra fidei, a nonnullis noſtratium graviter refutatum. Adducit etiam ſententiam *Galli* cujusdam, quem *Tournemininm* fuiſſe veriſimile eſt, hæreticis infeſtam. Denique ex ipſis *proteſtantibus* exemplum adfert diri ſupplicii, ab *Helvetiis* hoc demum ſeculo adverſus nonnullos ſuſpectæ religionis homines conſtituti.

β) Formato *quæſtionis ſtatu*, §. CCCXIX. proponuntur fundamenta ſententiæ *noſtræ negativæ*:

a) ex *ſcriptura S.*

(1) *vet. teſt.* §. CCCXX.

(2) *nov. teſt.* §. CCCXXI.

א) ex doctrina & praxi *Chriſti*: §. CCCXXII. cujus argumentum præbet

aa) parabola illa Matth. XIII, 30. *Sinite creſcere zizania.*

* Diſſertationem *Pfaffii de zizaniis non evellendis* laudat in nota *Editor.*

Per zizania *hæreticos* intelligi, adparet

אא) ex oppoſitione. §. CCCXXIII.

בב) ex ſcopi determinatione. §. CCCXXIV.

גג) ex zizaniorum deſcriptione. §. CCCXXV.

Vnde concluſio informatur, ac vindicatur contra *Bellarmini* aliorumque exceptiones. §. CCCXXVI — CCCXXVIII.

bb) Dictum Chriſti, Luc. IX, 54. (*Neſcitis, cujus ſpiritus ſitis?* §. CCCXXIX.) quod vindicatur ab exceptionibus *Bellarmini.* §. CCCXXX, CCCXXXI.

cc) Joh. VI, 67. §. CCCXXXII.

ב) ex doctrina & praxi *Apoſtolorum*, §. CCCXXXIII.

b) ex *rationibus.*

(1) a periculo, viam converſionis atque ſalutis hæreticis præcludendi. §. CCCXXXIV.

(2) ab iniquitate coactionis externæ in rebus fidei. §. CCCXXXV.

(3) a defectu proportionis inter culpam hæreſeos ejusque pœnam. §. CCCXXXVI.

(4) a crudelitate antichriſtiana in perſecutione hæreticorum. §. CCCXXXVIII.

(5) a contraria eccleſiaſticæ manſuetudinis conditione. §. CCCXXXVIII.

(6) ab incommodorum conſecutione §. CCCXXXIX.

c) ex *primitivæ eccleſiæ conſenſu*, qui videtur

(1) in patrum teſtimoniis. §. CCCXL.

(2) in conciliorum antiquiorum decretis. §. CCCXLI.

(3) in ipſa eccleſiæ primitivæ praxi. §. CCCXLII.

d) ex *ſuffragio adverſariorum*,

(1) *pontificiorum.* §. CCCXLIII. CCCXLIV.

(2) *calvinianorum.* §. CCCXLV. qui quidem prorerum ac fortunæ diverſitate diverſas proferunt ſententias.

γ) Producuntur elidunturque *contraria diſſentientium argumenta*, inprimis *Bellarmini*, in quinque claſſes diviſa. Quærunt nimirum adverſarii cauſæ ſuæ fulcra,

a) in *ſcripturis*:

(1) *veteris teſtamenti*:

aa) in legibus quibusdam *politiæ Judaicæ.* Hanc ob diſparitatem objectorum & obligationis iſthuc non pertinere, demonſtratur. §. CCCXLVII—CCCL.

bb) in *exemplis quibusdam*, velut Eliae, Jehu &c. §. CCCLI.

cc) in *variis dictis vet. teſt.*

Zach. XIII, 3. §. CCCLII.

Esdr. VI, 11. VII, 26. §. CCCLIII.

Pſalm. CXLIX, 6. §. CCCLIV.

Eſ. L, 11. §. CCCLV.

(2) *novi teſtamenti*: §. CCCLVI.

aa) Matth. XVIII. §. CCCLVI.

bb) Rom. XIII, 4. §. CCCLVII.

cc) in comparatione hæreticorum cum lupis, furibus &c. §. CCCLVIII.

dd) in exemplis Chriſti & Apoſtolorum. §. CCCLIX.

ee) in admonitione Pauli Tit. III, 12. §. CCCLX.

ff) in dicto Chriſti, *ſi quis non manſerit in me, mittetur foras.* Joh. XVI, 6.

b) in *legibus imperatorum.* §. CCCLXI.

c) in *conſtitutionibus eccleſiæ.* §. CCCLXII.

d) in *teſtimoniis patrum.* §. CCCLXIII.

e) in *rationibus*, *pro ſe obviis*: quas ſcilicet ſubminiſtrant

(1) pœnæ eccleſiaſticæ & politicæ comparatio. §. CCCLXIV.

(2) hæreticorum cum falſariis collatio. §. CCCLXV.

(3) experientia. §. CCCLXVI.

(4) ratiocinatio quædam *Auguſtini.* §. CCCLXVII.

(5) cauſarum, propter quas capitalia ſupplicia irrogantur, enumeratio. §. CCCLXVIII.

(6) juris naturalis inſtructio. §. CCCLXIX.

SECTIO VI.

de officio magiſtratus erga hoſtes.

Officium magiſtratus erga ſubditos non ſolum gubernationem legitimam reipublicæ, ſed juſtam quoque illius defenſionem complectitur. §. CCCLXX.

Eſt igitur hoc conſequens muneris, magiſtratui demandati, ut ipſi *liceat bella gerere* adverſus hoſtes. §. CCCLXXI. CCCLXXII.

* Nota

* Nota *Editoris* diversas eruditorum *de jure belli gerendi* sententias, cum scriptis huc pertinentibus recenset.

I) Probatur, *bella esse licita*,

1) ab *auctoris* eorum *principalis* denominatione. §. §. CCCLXXIII.
2) a *Johannis baptistæ in nov. test.* adprobatione. §. CCCLXXIV. CCCLXXV.
3) ex *causæ instrumentalis* conditione. §. CCCLXXVI. CCCLXXVII.
4) ab *officii* magistratui incumbentis *exsecutione*. §. CCCLXXVIII. CCCLXXIX.
5) a *juris naturalis* obligatione. §. CCCLXXX. CCCLXXXI.
6) a bellorum justorum *fine & effectu* utili atque necessario. CCCLXXXII.
7) ex *Luc.* XIV, 31. § CCCLXXXIII.
8) ex *consensu ecclesiæ primitivæ*, quem demonstrant
   α) dicta veterum. §. CCCLXXXIV.
   β) probata exempla piorum. §. CCCLXXXV.
   * *Editor* in notis refert historiam *legionis Thebææ*, simulque eos, qui veritatem ejus vel defenderunt, vel impugnarunt, commemorat. *Fulminatricis* etiam nomen unde repetendum sit, observat, & de *signo illo crucis* a *Constantino* in cœlis viso, diversas eruditorum sententias exhibet.

II) Examini subjicitur *antithesis* eorum, qui *bellum simpliciter improbant*,

1) Producuntur ita sentientes *Manichæi*, *quidam ex veteribus ecclesiæ doctoribus*, *Anabaptistæ* & *Photiniani*. §. CCCLXXXVI. CCCLXXXVII.
2) *Lutheri* enunciata de bello, maxime *contra Turcas* gerendo, dilucidantur. §. CCCLXXXVIII.
3) *Confelluntur argumenta contraria*,
   α) *Anabaptistarum*, desumta
      a) ex dictis *vet. test.*
         (1) Num. XXXI, 50. §. CCCLXXXIX.
         (2) Deut. XXXI, 35.
         (3) 1 Reg. VI, 7.
         (4) 1 Paralip. XXVIII, 3.
         (5) Es. II, 4. XI, 9. LXV, 24.
         (6) Zach. IX, 10.
      b) ex *nov. test.*
         (1) Matth. V, 22. §. CCCXC.
         (2) Matth. V, 39.
         (3) Matth. XIII, 20.
         (4) Matth. XXII, 7.
         (5) Matth. XXVI, 52.
         (6) Joh. XXIV, 27. Rom. XII, 13. 1 Cor. VII, 15.
         (7) Rom. XII, 5. 1 Cor. XII, 12.
         (8) 2 Cor. X, 4. Eph. VI, 17.
         (9) Apoc. I, 16.
      c) ex *rationibus*. § CCCXCI.
         (1) a primitivæ ecclesiæ exemplo.
         (2) a belli nomine probroso.
         (3) a belli incommodo.
   β) *Photinianorum*.
      a) ex sanctione divina. Gen. IX, 6. §. CCCXCII.
      b) ex caritatis regula. Matth. V, 44. §. CCCXCIII.
      c) ex nov. test. natura. §. CCCXCIV.

III) Definiuntur *limites*, sub quibus bella probanda sunt. §. CCCXCV.

V) Recensentur *requisita belli justi & legitimi*: §. CCCXCVI.

1) quoad *causam*
   α) *efficientem*:
   magistratus auctoritas. §. CCCXCVI - CCCXCVIII.
   Quæritur hoc loco:
   (1) An *subditi absque consensu* magistratus arma capere possint? §. CCCXCIX.
   (2) An *episcopi* bella gerere debeant? §. CCCC.
   (3) An subditi teneantur *obedire* magistratui, *ad quodvis bellum* illos vocanti. §. CCCCI.
   (4) An *recte* faciant, qui *mercede* ad militiam se conduci patiuntur? §. CCCCII.
   β) quoad *causam impulsivam*, requiritur *causæ justitia & æquitas*. §. CCCCIII.
   Possunt autem *causæ justi belli* ad tria revocari capita, quæ sunt
   (1) *necessaria defensio*. §. CCCCV.
   Quæritur:
   a) An in *quovis* defensionis casu arma expedienda? §. CCCCVI.
   b) An *quibusvis* fidem nostram imploranti*bus supperiæ* sint ferendæ? § CCCCVII.
   c) An ob *religionis defensionem* arma capienda? §. CCCCVIII.
   (2) *Legitima vindicatio*. §. CCCCIX.
   Quæstiones de vindicta proponuntur:
   a) An ob *quamvis vindictam* bella movenda? §. CCCCX.
   b) An *hoste satisfactionem offerente*, altera pars teneatur a bello *cessare*? §. CCCCXI.
   c) An *infideles & barbaros sine causa* bello petere liceat? §. CCCCXII.
   d) An *propter negatum exercitui transitum* bellum juste inferatur? §. CCCCXIII.
   (3) *Ablatorum* & injuste possessorum *recuperatio*. §. CCCCXIV.
   Hinc colliguntur causæ bellorum *injustæ*. §. CCCCXV.

2) quoad *modum legitimum*: In bello gerendo requiritur
   α) *pietas*. §. CCCCXVI. CCCCXVII.
   β) *justitia*. §. CCCCXVIII.
   γ) *prudentia*. §. CCCCXIX.
   δ) *fortitudo*. §. CCCCXX.
   Circa modum belligeraudi quæritur:
   a) An *stratagemata* sint adprobanda? §. CCCCXXI.
   b) An *exploratoribus* uti liceat? §. CCCCXXII.
   c) An *proditoribus* in bello utendum? §. CCCCXXIII.
   d) An *proditores* sponte venientes *recipiendi*? §. CCCCXXIV.
   e) An usus *tormentorum* bellicorum probandus? §. CCCCXXV.

3) quoad *finem*. Finis belli justi *bonus* esse debet, videlicet *pacis adquisitio*, & *reipublicæ conservatio*. §. CCCCXXVI.

Epilogus eorum, quæ de magistratus officio dicta sunt, comprehenditur verbis *Augustini*. §. CCCCXXVII.

Subjungitur collatio boni & mali principis. §. CCCCXXVIII.

Denique proponuntur præmia bono, & mala malo magistratui exspectanda. §. CCCCXXIX.

CAPVT VIII.

de Adjunctis magistratus.

Adjuncta magistratus sunt §. CCCCXXX.

I) *Virtutes*, quibus magistratus instructos esse convenit. De his supra.

II) *Difficultas* hujus muneris. §. CCCCXXX.

III) *Cognatio* hujus status cum *ministerio ecclesiastico & ordine œconomico*.

IV) *Honestæ recreationes*, magistratui permissæ, cujusmodi sunt:
   1) *historiarum* lectio.
   2) operum *naturæ* investigatio.
   3) *musices* oblectatio.
   4) *Venatio*, & quæ sunt his similia.

   Quæritur hoc loco:
   α) An *venationes* sint *recreationum honestarum* loco habendæ? §. CCCCXXXI. CCCCXXXII.
   β) An principes venationes *sibi solis jure vindicent*? §. CCCCXXXIII—CCCCXXXV.

   Cautelæ inculcantur. §. CCCCXXXVI.

CAPVT IX.

de Pugnantibus cum magistratu.

Pugnantia cum magistratu sunt
1) *errores* furoresque eorum, qui officium magistratus *labefactant*.
2) *seditiones* ac rebellio subditorum.
3) *adulatio* eorum, qui immoderate tollunt principum potestatem.
4) *conversiones rerum publicarum*. §. CCCCXXXVII. CCCCXXXVIII.

PARS III.

de Subditis.

Correlatum magistratus politici sunt *subditi*, §. CCCCXXXIX. qui sunt
1) *origine*, seu nativitate:
2) *domicilio*. §. CCCCXL.
   suntque vel *mere* subditi, vel *mixti*, h. e. in partem potestatis recepti. ibid.

Hic *quæritur*:
An *personæ ecclesiasticæ* a potestate civilis magistratus etiam christiani sint *exemtæ*? §. CCCCXLII.

1) Respondetur adhibitis *distinctionibus*. §. CCCCXLII.
2) sententia nostra *negativa* confirmatur argumentis, desumtis
   α) a generali obedientiæ mandato. §. CCCCXLIII.
   β) a sacerdotum in vet. test. exemplo. §. CCCCXLIV.
   γ) a Christi in nov. test. exemplo. §. CCCCXLV.
   δ) a facto Pauli apostoli, Act. XXV. §. CCCCXLVI.
   ε) ex rationum momentis, quæ sunt:
      a) clericorum conditio. §. CCCCXLVII.
      b) incommodum. §. CCCCXLVIII.
      c) caritatis præscriptum.
      d) immunitatis illius variatio.
      e) lex evangelica. §. CCCCXLIX.
      f) imperatorum statuta. §. CCCCL.
      g) patrum & episcoporum romanorum suffragia. §. CCCCLI. CCCCLII.
      b) adversariorum confessio. §. CCCCLIII.
3) *Antithesis pontificiorum* expenditur, §. CCCCLIV. & speciatim *Bellarmini* propositiones de *clericis* examini subjiciuntur, §. CCCCLV.

a) Cle-

a) Clericos in *causis ecclesiasticis* a potestate *seculari*, jure divino liberos esse. §. CCCCLVI.
b) Clericos teneri obligatione legum *civilium*, quæ *sacris canonibus non repugnent*. §. CCCCLVII.
c) Clericos a judice *seculari* judicari non posse. §. CCCCLVIII. CCCCLXI.
d) *Bona* clericorum exemta esse a tributis principum *secularium*. §. CCCCLXII.
e) *Exemtionem* clericorum, quoad personas & bona, niti jure *humano* ac *divino*, eoque non solum positivo, sed & naturali. §. CCCCLXIII—CCCCLXIX.

4) Quæstio subjungitur, an magistratus juramentum fidelitatis ab ecclesiæ ministris possit exigere? §. CCCCLXX.

Transitus fit ad *officia* subditorum, §. CCCCLXXI.
1) erga *patriam* & *concives*, §. CCCCLXXII.
2) erga *magistratum*, §. CCCCLXXIII. Huic debentur
a) honor & reverentia, ibid.
b) subjectio & obedientia, §. CCCCLXXIV. cujus partes & limites describuntur, §. CCCCLXXV—CCCCLXXVII.
c) census ac tributa, §. CCCCLXXVIII—CCCCLXXX.
d) preces & vota, §. CCCCLXXXI.

Heic quæstiones adnectuntur:
1) An etiam *infideli* & *hæretico* magistratui debeatur obedientia, §. CCCCLXXXII—CCCCLXXXIV.
2) Quid faciendum sit subditis, si *cogantur ad falsam religionem*? §. CCCCLXXXV.
3) An *pravo* & *impio* magistratui sit resistendum? §. CCCCLXXXVII.
4) An *tyranno* resistere liceat? §. CCCCLXXXVII—CCCCXC.

Conclusio generalis subjicitur, §. CCCCXCI. CCCCXCII.

---

* * *

Supplementum Editoris

ad Locum

DE MAGISTRATV POLITICO,

speciatim

DE JVRE SACRORVM,

AD MAGISTRATVM POLITICVM PERTINENTE.

OBSERVATIO. I.

de variis sententiis circa regimen ecclesiæ.

Ratio instituti indicatur, §. I. II.
Sententiarum de *regimine ecclesiæ* diversitas notatur, & *auctores* exhibentur, §. III.

His praemissis, ipsa sententiarum istarum enarratio plenior incipit, ubi occurrunt,

I. *Pontificii*,
1.) *Scriptores* excitantur de *Romanæ* sedis tutoribus atque adversariis, §. IV.
2.) *sententia pontificiorum* recensetur, §. V. notaturque insimul differentia inter eos, qui *pontifici* tribuunt potestatem
α.) *absolutam*, §. *VI*.
β.) *limitatam*, §. *VII*.
* In notis de Febronio, & de *libertatibus ecclesiæ Gallicanæ* sigillatim agitur.

II. *Episcopales* in *Anglia*, quorum declaratur
1.) *sententia*, §. *VIII*.
2.) discrimen ostenditur inter *rigidiores* & *moderatiores*, §. *IX*.
3.) *contentio episcopalium* cum *presbyterianis* adtingitur, §. *IX*.
* In notis de *interno dissidio episcopalium*, eorumque *oppugnatoribus* plura adjiciuntur.

III.) *Presbyteriani*.
1.) *Regiminis*, quo utuntur, *ecclesiastici forma* narratur, §. *X*.
2.) *Dissensio* eorum de *potestate magistratus politici circa sacra* exponitur, §. *XI. XII*.
* Nota de *litibus Arminianis*, *scriptis*que dissentientium aliquid refert.

 3) Na-

3.) *Natales* regiminis *presbyteriani* e disciplina *Calvinii* repetuntur. §. *XIII.*

IV. *Independentes*, §. *XIV.*

1.) Eorum *sententia* de regimine ecclesiae recensetur. §. *XIV.*

* In nota factionum, quae hoc nomen gerunt, diversa genera indicantur, & quaenam hujus loci sit, disquiritur, observato insuper discrimine inter sectatores Brownii & Robinsoni.

2.) differentia independentium a *tremulis* notatur. §. *XV.*

V. Sententia eorum exponitur, qui *toti ecclesiae jus circa sacra tribuunt*; ita quidem, ut

1.) vel magistratum penitus excludant, §. *XVI.*

* Notae *Donatistis*, & defensoribus *systematis christocratici* occupantur.

2.) vel magistratui debitas partes relinquant.

α) Heic fusius ostenditur, quomodo sanioribus istorum praeceptis jura tum *collegio*, tum *majestati* propria adserantur, §. *XVII.*

β) sententiae istius, communiter fere apud *protestantes* receptae, *patroni* ac defensores exhibentur, §. *XVIII.*

* Notae notitiam *librorum* huc pertinentium suppeditant.

VI. Opinio eorum enarratur, qui *jus sacrorum omne principibus solis* tribuunt;

1) Recensentur crassiora praecepta Hobbesii, aliorumque, qui potestatem prorsus *illimitatam* adjudicant principibus. §. *XIX.*

* In notis de Hobbesio ejusque *sectatoribus* fusius agitur.

2) Exhibetur mitior illorum sententia, qui *limites quosdam* summae potestatis circa sacra agnoscunt. §. *XX.*

* Notae scripta varia indicant.

OBSERVATIO II.

de Jure Sacrorum, a Principibus christianis jam ante paces religiosas exercito.

Instituti ratio, & nexus ostenditur §. *I.*

* Nota *auctores* super argumento hocce suppeditat.

Tractatio ita destribuitur, ut summatim agatur

I. De potestate *imperatorum* in ecclesiam, *ante tempora* Constantini Magni, §. *II.*

II. De sacrorum administratione, a Constantino Magno susceptа. §. *III.*

* In notis distinctio Constantini, inter *interna* & *externa* ecclesiae, nec non, adscita ab ipso *episcopi* adpellatio copiose declaratur.

III. De *successoribus* Constantini. §. *IV.*

IV. De *Francorum* regibus, & speciatim de Carolo Magno. §. *V.*

V. De sequentibus *Germaniae imperatoribus*, nec non de *proceribus imperii*, aliisque *regibus*. §. *VI. VII.*

VI. De administratione ecclesiae, a principibus *protestantibus* in *emendatione sacrorum*, susceptа. §. *VIII.*

Ex his documentis conclusio deducitur, principes jam *ante pacificationes religiosas* sacrorum jura exercuisse; simul vero de *commodis* ipsius *pacis religiosae* aliquid commemoratur. §. *IX.*

OBSERVATIO III.

de Fontibus, ex quibus jus principum circa sacra derivari solet.

Formato *quaestionis* statu, ex quonam nimirum principio *administratio jurium collegialium*, principibus protestantibus in *Germaniae* terris jamjam commissa, sit repetenda? sententiarum circa hocce argumentum diversitas summatim ostenditur, §. *I.*

Systemata ipsa de fontibus jurium circa sacra, cum rationibus, quibus superstructa sunt, recensentur, & quidem

I. Expenditur sententia eorum, qui potestatem omnem principis in ecclesiam *ab auctoritate sacrarum literarum* deducunt, ita ut maxime provocent

1) ad *exempla* ducum regumque *Israëliticorum*, in antiquo foedere nobis proposita. Ab his autem non valere conclusionem ad nostros magistratus, monetur, §. *II.*

2) ad *oracula vet. & novi test.* quorum palmarium est dictum illud *Es XLIX.* 23. Hoc vero, licet munificentiam principum, tutelamque ecclesiae praestitam praedicet, integram tamen sacrorum curam non inferre; reliqua vero dicta parum habere momenti ad id, quod probari debebat, efficiendum, ostenditur §. *III.*

* In

* In *nota* laudantur commentationes S. R. D. Eaberi & Pfaffii super dictum Esaianum variæque insimul interpretum sententiæ de sensu objectoque vaticinii illius enumerantur.

II. Proponitur sententia eorum, qui ex *officio magistratus christiani*, præcipue, *si membrum sit ejusdem*, quam regit, *societatis religiosæ*, jus omne circa sacra repetunt. Heic inquiritur, qualis sit illa prærogativa, sive provincia circa ecclesiam, quæ principi, ut christiano, seu religionis socio legitime competit, §. IV.

Sed ipsa *collegii* jura ex hoc titulo nondum venire ad magistratum, ex eo probatur, quod ecclesia membris *æqualibus* constat. §. *V.*

III. Sequitur systema eorum, qui principi, *qua episcopo*, sacrorum curam competere adserunt.

1) *Natales* istius opinionis ex cohibita episcoporum *pontificiorum* in *protestantes* jurisdictione, aliisque causis repetuntur, §. *VI.*

2) Argumenta *contraria*, variasque, quæ hoc systema premunt, difficultates breviter adferuntur, §. *VII.*

3) Subjiciuntur explicationes eorum, qui mitiorem ac probabiliorem sensum systemati huicce adfundere adnituntur; ubi maxime probatur adsertum eorum, qui jura, episcopis *Romanensibus* ademta, & jam nunc a principibus *protestantibus*, administrari solita, innocenti *episcopalium* jurium nomine insigniunt. Additur tamen cautio, melius esse, si ab ambigua illa adpellatione prorsus abstineatur, §. *VIII.*

IV) Consideratur adsertio eorum, qui jus principum circa sacra ex *pacificationibus religiosis* deducunt, §. *VIII.*

1) *conceditur*, jura principum decretis illis firmata esse.

2) *Negatur* autem, jurium circa sacra tum *majestaticorum*, tum *collegialium* administrationem hoc fundamento, quod quidem nonnisi *politicum est*, unice niti; idque partim ex jurium istorum indole, aliisque rationibus, partim ex ipsius *pacis Westphalicæ* conditione ostenditur.

V) Nobile illud systema, quod ex *superioritate territoriali*, vel *suprema imperii majestate* jus principum circa sacra repetit, sub examen revocatur.

1) *sententia* eorum, qui majestati favent, *exponitur*, & quid in ea probandum ac desiderandum sit, notatur. §. *IX.*

2) In *fundamenta* systematis illius inquiritur ita, ut

α) considereatur *Brocardium* illud, *cujus est regio, ejus etiam est religio.*

β expendatur *discrimen inter civitatem & ecclesiam.*

γ) *ratio religionis ad civitatem* ponderetur,

δ) potestas imperantium in *actiones civium* limitetur. §. *X.*

3) *Argumentis*, quibus imperium majestatis in sacra universum firmari solet, *quænam probandi vis insit*, dispicitur, inprimisque etiam solvitur illud, quod a *pacis Westphalicæ* decretis sumitur. §. *XI.*

3) *Contraria quædam argumenta*, fundamento potestatis ecclesiasticæ in imperii eminentia posito, opponuntur. §. *XII.*

5) *Consecutiones periculosæ*, quæ ex systemate illo fluunt, licet a plurimis ejus tutoribus non agnitæ, ob oculos ponuntur; nimirum

α) ita viam muniri *Cæsaropapiæ*, imo *tyrannidi Hobbesianæ*, cum majestas *pro se* nullos agnoscat limites, nisi a *fine civitatis* deductos, qui quidem libertati conscientiæ in rebus religionis tuendæ non sufficiunt. §. *XIII.*

β) ita sigillatim *juribus protestantium*, qui domino subsunt alienis sacris addicto, *parum prospectum* esse, quibuscunque alioquin cautionibus ad illa servanda utantur. §. *XIV.*

IV) Agmen claudit *systema collegiale*, præ reliquis commendabile, quod, semota episcoporum *romanensium* in sacra emendata potestate, *jurium collegialium exercitium communi cœtuum evangelicorum consensu in principes protestantes translatum esse* adserit.

1) In pleniori sententiæ istius explicatione dicitur

α) De discrimine jurium *majestaticorum* & *collegialium*, § *XV.*

β) de *administratione* jurium *collegialium* per consensum cœtuum *in principes translata.*

γ) de *causis* & *firmamento* istius translationis. §. *XVI.*

2) Notatur *differentia* in explicando *modo*, quo translatio ista facta sit, num per *consensum* ecclesiæ, eumque vel expressum, vel tacitum, an per ipsa *principum facta*, an propter *rei necessitatem*, & *salutem ecclesiæ?* §. *XVII.*

3) Ostenditur, facilem imo necessariam esse sententiarum istarum *conciliationem* sive combinationem, ut plenum ac evolutum existat *systema collegiale.* §. *XVIII.*

Jg 1830
(13/14)

ULB Halle 3
002 610 868

VOIP

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-841178-p0429-4

IOANNIS GERHARDI

THEOLOGI QVONDAM JENENSIS
CELEBERRIMI

LOCORVM THEOLOGICORVM

TOMVS DECIMVS QVARTVS

DENVO EDIDIT
VARIISQVE OBSERVATIONIBVS
ADAVXIT

IO. FRIDERICVS COTTA

THEOLOGVS TVBINGENSIS.

TVBINGAE
SVMTIBVS JO. GEORGII COTTAE.
MDCCLXXVI.